MINISTERO DELLA PUBBLICA ISTRUZIONE
BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE VITTORIO EMANUELE
ROMA
8
24
10
F

# OPERE

DEL PROPOSTO

# LODOVICO ANTONIO MURATORI

GIA' BIBLIOTECARIO

*DEL SERENISSIMO SIGNORE*

# DUCA DI MODENA.

## *TOMO QUARTO.*

IN AREZZO MDCCLXVII.

PER MICHELE BELLOTTI Stampat. Vesc. all' Insegna del PETRARCA.

*CON LICENZA DE' SUPERIORI.*

DE PARADISO REGNIQUE CAELESTIS GLORIA NON EXSPECTATA CORPORUM RESURRECTIONE JUSTIS A DEO CONLATA, ADVERSUS TOMAE BURNETI BRITANNI, LIBRUM DE STATU MORTUORUM.

APPENDIX. S. CAECILII CYPRIANI OPUSCULUM DE MORTALITATE, ANNO CH. CCLII. CONSCRIPTUM, AD FIDELIUM SOLATIUM HEIC RECUSUM, EX EDITIONE AMSTELODAMI ANNI MDCC. CUM ALTERA BALUZIANA CONLATUM.

LETTERA SCRITTA A NOME DI UNA INGLESE CATTOLICA AD UNO INGLESE PROTESTANTE.

*EMINENTISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI*

# JOSEPHO DOMINICO

## S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

*EXEMPTAE ECCLESIAE*

PATAVIENSIS EPISCOPO, ET S. R. I. PRINCIPI;
COMITI DE LAMBERG &c.

Domino Domino Colendiſſimo.

*Uam vivida Ingenia pariat ac nutriat magna Britannia, a quibus Scientiae & Eruditio conſtanti aemulatione felicique ſucceſſu excoluntur, ſatis novimus, & ego quidem,* EMINENTISSIME ANTISTES, *lubens agnoſco. Sed quod ſaepe dolui, & dolere vel inter ipſos Britannos probus quiſque conſuevit, erumpere illic identidem videmus, qui novas de Religione Opiniones procudunt, aut vetera Dogmata explodunt. Haec mihi omnium graviſſima felicium illorum Ingeniorum infelicitas videtur; nul-*

*lum enim deterius malum puto, quam Religioni Sanctiſſimae Chriſti dare nomen, eidemque poſtea bellum indicere. Illam autem oppugnat, & pro viribus prodit, quicunque novitatem Dogmatum in eam inducit, aut quae univerſa Chriſtianorum Reſpublica olim damnavit, nunc impia libidine exſuſcitat, atque tuetur. Non id ſane mirum. Nam poſtquam Britannica gens funeſtiſſimo Schiſmate a Matre illa receſſit, in cujus ſinu nos ſecuri conquieſcimus, quo jure ſalutare frenum, quod ipſa prior excuſſit, a ſuis exigat ſuis? Id mirum potius, non omnia apud eos ruere in pejus. Inter illos vero, qui poſtremis hiſce temporibus in perniciem Religionis Ingenii ſui libertate abuſi ſunt, omnium maxime noſti, famam nominis ſibi conquiſiviſſe* Thomam Burnetum, *virum alioquin in re literaria viſionibus adſuetum, & qui non ſe Religioni, ſed ſibi Religionem ſubjectam ad finem uſque vitae voluit. Prodiit ejus Liber de* Statu Mortuorum; *neque intra fines unius Magnae Britanniae ſe continuit peſtifera merces, ſed in Galliam quoque, Germaniam, ipſamque Italiam penetravit. Nemo tamen hactenus, quod ſciam, praſenti veneno remedium quaeſivit, ſive quid noſtri ſibi inde nihil timeant, ſive quod apud Britannos idem perinde ſit, bonis in Religione Libris, ac peſſimis Populum erudiri. Interea quanquam perſuaſum & ego habeam, doctos ſplendidiſſimi illius Regni viros non tantum abhorrere a Burneti Opinionibus, ſed & earum vanitatem probe ſentire, floccique facere: ſi vera tamen ſunt, quae feruntur, non paucos ex Populo, & ſemidoctis, novitas iſtius doctrinae invaſit, & nomine contra hiſcente fieri poteſt, ut latius in dies ſerpat ejuſmodi virus. Itaque ſtatutum eſt mihi in arenam prodire, manuſque conſerere cum Scriptore, quem mors quidem pugnae*

*ſubtra-*

*ſubtraxit, ſed adverſus nos in Libro ſuo pugnantem adhuc habemus. Quibus ille potuit modis atque rationibus Dogma hac de re* Catholicae Eccleſiae, *ſimulque ejus Decreta impetivit, quaſi haec una, & non Britanni etiam,* Caeleſtem Paradiſi gloriam *immerito Juſtis aperiat ante poſtremum Orbis univerſi Judicium. At quantum ille a veritate aberrarit, & contra quam ſolidis atque inconcuſſis fundamentis in hoc etiam argumento nitatur Catholicorum ſententia, ſi quae congeſſi in hoc meum Opuſculum, Britanni legent, brevi, ut ſpero, intelligent.*

*Illud autem ad te miſſum, tibique dicatum volui,* CELSISSIME PRINCEPS. *Nam ex quo accepi per literas cujuſdam mihi amicitia conjunctiſſimi, Te aliquam de me bonam opinionem induiſſe in ſermone, quem habuiſti cum eruditiſſimo & nobiliſſimo Abbate ex Comitibus de Trautſon, continuo me quoque cupiditas inceſſit prodendi, quanta mihi jamdudum inſederit de virtutibus dotibuſque animi tui ſublimis exiſtimatio, & quantum egomet obſequio erga te nemini concedam. Equidem Eccleſiam, cui praees, feliciſſimam ſemper reputavi, tum ex antiquitate originis inter Germanicas, atque ex amplitudine Dioeceſis, quae in Bavariam late protenditur, atque ad fines uſque Moraviae, Bohemiae, atque Hungariae pertingit; tum etiam ex connexo jure Principatus, qui illuſtrem Civitatem, complureſque etiam Dynaſtias complectitur, in Bavaria, atque Auſtria Superiore, & inferiore ſitas. Felicior tamen Eccleſia iſta evaſit, ex quo eamdem regendam ſuſcepit Eminentiſſimus Patruus tuus* JOHANNES PHILIPPUS *Cardinalis de Lamberg, univerſae olim Germaniae decus, ex tot legationibus celebris, atque ex tot beneficiis in eamdem Eccleſiam conlatis ſumme ſpectandus. Liceat tamen dicere: ad*

*apicem*

*apicem felicitatis erecta eſt Patavienſis Eccleſia, ex quo te Paſtorem,* EMINENTISSIME ANTISTES, *accepit. Nunc honore cum ceteris majoribus certat, poſtquam cura tua denique factum eſt, ut reſtauratis antiquis juribus Laureacenſis Archiepiſcopatus, nunc ab uno Pontifice Maximo pendeat; ejuſque Epiſcopus Metropolitici etiam decoris inſignibus, Pallio videlicet utatur.*

*Sed quod potiſſimum Eccleſiae tuae, Tibique ſimul gratulandum eſt, tu eximios illos Epiſcopos, quos Saeculo praeſertim Decimo atque Undecimo Germania peperit, ante oculos perpetuo habens, ad eorum aemulationem mores tuos, animumque jamdiu compoſuiſti. Certe Tibi ſummopere cordi eſt, ut ſub te Principe Juſtitia, & quies, atque felicitas Populis tuis, quantum fieri poſſit, procuretur. Verum praecipua ſtudia, dicam etiam deliciae tuae, ſitae ſunt in rite implendo Paſtorali munere, in Vinea Dei excolenda, in Pietatis, & Caritatis operibus ſingulari conſtantia exercendis. Bone Deus! quanta ſolicitudo tua in ſacrorum Ordinum collatione, in ſignandis Chriſmate populis, in ampliſſima Dioeceſi toties luſtranda, ne in aliquo e ſacris Templis Tibi ſubjectis deſideretur decor, & Miniſtrorum ſollertia atque integritas! Tu reliquo gregi exemplum, quod tute praeſtare potes in ſacris divinoque cultu, nulli parcens labori, magnaque pariter alacritate ſuſcipis. Illud vero prae ceteris mirandum, quia noſtris temporibus perquam rarum, non aliena voce, ſed tua, non aliquoties, ſed centies & millies Populum tuum Fidei doctrina imbuiſti, atque ad prava fugienda, ad virtutes amplectendas, per familiares in Templo expoſitiones, orationes, & ſermones, jam es hortatus, atque hortari indefeſſo ardore non deſinis. Si dicam, Te per hoc in primis ad Apoſtolicorum virorum*

*vorum normam accedere, conſentientem certe mihi quemlibet probum polliceor. Quam in rem affluentem Tibi vel juvenis doctrinam paraſti, atque in dies parare pergis. Nunquam enim otioſus, quod temporis ſupereſt, dicatum vis lectioni Sanctorum Patrum, ut in promptu habeas quidquid ad boni Principis, & perfecti Epiſcopi munus pertinet, quo Te populoſque Tibi a Deo commendatos, in ſanctitate & juſtitia regere ac erudire poſſis. Neque Tibi uni in ſacra Eruditione verſari, atque oblectari ſatis eſt: ad ejuſdem quoque ſtudii amorem Clerum tuum excitas, & progredi in eo cupientibus non unum offers commodum & adminiculum, aperta nempe unicuique inſigni Bibliotheca, quam in Epiſcopali Palatio Eminentiſſimus Patruus tuus inſtruxit, tu vero tot millibus exquiſitis Libris additis perfeciſti.*

*Quid ergo mirum, ſi dignorum perſonarum judicioſiſſimus aſtimator & amator Auguſtiſſimus CAROLUS VI. Te prae ceteris elegit, in quem ſuae beneficia Clementiae effunderet, & cui ſummum in Eccleſia procuraret honorem? Quid etiam mirum, ſi tam lubenti animo Te nuper in Purpuratorum Patrum Collegium aſciſcit Sanctiſſimus Pontifex CLEMENS XII. quando tibi ad ampliſſimum hunc gradum tuae ipſae Virtutes, ac merita ubique nota, patentem jamdiu ſtraverant viam? Haec autem commemorata heic volui,* EMINENTISSIME ANTISTES, *non ut ingratum Modeſtiae tuae poculum exhibeam, ſed ut Te ad majora, ſi fieri poteſt, excitem, Deumque Optimum Maximum glorificem, quod dona ſua tam liberaliter in Te effuderit, Tuque talenta Tibi credita tanto cum foenore in illius gloriam multiplicaveris. Perge, perge: hac itur, & grandi quidem volatu, in ſublimem illam, beatamque Patriam,*

quae

*quae Libro huic argumentum praebuit. Ibi Te manet laborum tuorum ineffabile praemium; ibi bravium; ibi quies, ad quam adipiſcendam nulla Tibi nunc quies eſt. Atque utinam & ego, quando Te nunc coram alloqui & intueri non liſet, ibi aliquando Te Beatitudine & honore cumulatum ſuſpicere queam. Interea dum in hoc exſilio verſamur, exſpectantes beatam ſpem, & adventum gloriae magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Librum hunc illuſtri Nomine tuo ſignatum, utpote qui de* Paradiſo *loquitur, & cauſſam Sanctiſſimae Eccleſiae Catholicae agit, fidenter ad Te mitto. Tuae ſit eximiae humanitatis, ejus quoque Auctorem benigne complecti, hominem nempe Tui admiratorem jam factum, & nullam deinceps praetermiſſurum rationem, qua Tibi luculentius etiam, ſi vires adſint, ſingulare ſuum erga Te obſequium probet.*

Eminentiſſime, & Celſiſſime Princeps.

Dabam Mutinae Kalendis
Februarii MDCCXXXVIII.

*Humillimus addictiſs. & obſequentiſs. famulus tuus*
LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS.

# PRAEFATIO.

QUot vulnera Sanctiſſimae Chriſti Eccleſiae intulerint, noviſſimis hiſce temporibus, Schiſmata atque Haereſes, quibus conſciſſa eſt nimium in tot Europae Provinciis Fidei unitas, nunquam memini, quin miſeram humanarum rerum conditionem moeſtis oculis metiar, animoque paene indignante contempler. Nam quid non factum, quid non quotidie fieri novimus ab iis, qui poſtquam ab Eccleſia matre ſua defecere, in id unum intenti ſunt, ut adverſus illam pugnent, nullum calumniis, nullum dicteriis & invectivis ſtatuentes modum, quo ſe jure defeciſſe populo ſuo perſuadeant? Et hoc quidem valde dolendum, non jam noſtri cauſſa, quos in fortiſſima arce poſitos imbecillia tela non feriunt, ſed eorum cauſſa, erga quos, etſi a nobis diviſos, nobiſque quotidie inſultantes, noſter nunquam defuturus eſt amor. Non ii perſpiciunt: perſpicimus nos, quantum ſit coram Deo ſcelus, ſeditiones & Schiſmata in Religione conflare, atque ſub incerta ſpe aſſequendae Veritatis, aut meliora ſapiendi, certum interea Caritatis & Unitatis patrimonium profundere, quibus quicunque caret, inani ſane titulo de Chriſti nomine gloriatur. Sed quod gravius dolendum, multi jam ſunt ex eorum grege, qui non Eccleſiae tantum, ſed & Religioni ipſi, quantis poſſunt artibus atque conatibus, bellum inferunt. E primo lacrymabili

facinore nihil facilius, quam gradus ad alterum. Ubi enim ſibi relinquas infirma, ſimulque ſuperba Hominum ingenia, quid non moliantur, quid non audeant animi in effuſam Libertatem a teneris, ut ajunt, unguiculis proni? Sed & nihil enixius corrupta hominis Natura expetit, quam ut ſibi liberum ſit, quidquid lubet. Proinde nimium urgente maleſano hujuſmodi ſtimulo, tunc Religio ipſa, cujus ſaluberrimo ſanctiſſimoque freno in officio continemur erga Deum & Homines, ſenſim videri moleſtum incipit jugum, atque ad illud excutiendum meditatio demum tota convertitur. At ſublata Religione ex homine, mirum eſt, ni is continuo pernicioſum peſtiferumque animal evadat; nam, ut alia praeteream, tunc *fides*, *& ſocietas humani generis*, *& una excellentiſſima Virtus Juſtitia tollatur* oportet, uti jamdiu Tullius animadvertit.

Duplici autem via in tam deplorando negotio mortalium audaciſſimi, immo ſtultiſſimi, procedunt. Univerſam Religionem nonnulli, ſed clam, veluti puerorum terriculamentum projiciunt, atque inridentes, in intimis ſuae phantaſiae aut mentis cubiculis, de Divinitate, Legibuſque ſacris ſe veluti certos Judices intoleranda confidentia erigentes. Atque ex his nonnulli ſua infelicitate, quam felicitatem putant, minime contenti, ſocios amant, & ſolicite quaerunt. Alii denique Religionem ipſam palam profeſſi, immo tutelam ejus magnifice obtendentes, palam eodem tempore ipſam per latus adoriuntur, Dogma nempe quoddam arrodendum ſibi ſumentes: quo, ſi fieri poſſet, dejecto, Religio ipſa aut enervetur, aut pereat neceſſe eſt. Atque utinam verum non foret, noſtris in magna Britannia temporibus hujuſmodi calamitatis, ſive temeritatis apud aliquos exempla crebra ſpectari. Nimirum illic, uti Amicus quidam meus, & is quidem Britannus, ajebat, *quibuſdam Impie cogitare*, *ea demum ſola & vera eſt Libertas:* Sed camerinam iſtam lubens ego praetergrediens, unum heic aliorum inſtar commemoro *Thomam Burnetum*, ſive *Burnetium*, hominem in ea gente famoſum. Quod hactenus Catholica Eccleſia credidit de Caeleſti gloria, & Viſione Dei, Juſtorum Animabus a Corpore ſeparatis conlata, & conferenda, minime exſpectato in omnium Reſurrectione conſortio redivivi Corporis, a Britannica quoque gente, aut ſaltem a pleriſque, credi compertum habeo. Et fortaſſe vix aliam habemus ex tot Sectis, Chriſtianam Legem profitentibus, ſed a Romana Eccleſia diviſis, quae non eamdem amplectatur foveatque doctrinam, ſi forte Arminianos, aut Anabaptiſtas excipias, exiguum gregem, qui heic in aliquibus a nobis diſſentire viden-

videntur. Verum adverſus hoc omnium ferme Chriſtianorum Dogma aevo noſtro Burnetus in aciem prodiit: ſcilicet contendens, tum ſolum Juſtis praemia, Injuſtis ſupplicia eſſe retribuenda, quum univerſum genus humanum Chriſtus viſibilis in Judicium adducet. Immo ne tunc quidem Juſtis aditum futurum in Caelos, atque ad beatificum Dei adſpectum, ſed poſt Mille tantum Annos in terrae deliciis prius exigendos: ille quippe *Regni Millenarii* a tot Saeculis exciſi errorem ſumma tranquillitate in vitam revocare conatus eſt, eaque de re Librum conſcripſit, cui titulum fecit: *De ſtatu Mortuorum & Reſurgentium*. Porro quantum animi Improbis ex ejuſmodi opinione accreſcat, quantum Probis detrahatur in humanae vitae officiis, vel me tacente unuſquiſque nullo negotio intelligit.

Et quid quaeſo dulcius homini Chriſtiano, quam *Paradiſum* meminiſſe, nobis ab amantiſſimo ac veraciſſimo Deo promiſſum, ejuſque immenſa gaudia meditari, ibique poſt arduum peregrinationis hujus curriculum ſperare, conſpectui beatifico Dei noſtri ſe cito eſſe iſtendum? Hinc amor erga Patrem optimum, qui tantam caris ſuis mercedem paravit; hinc ſolamen verum inter adverſa, dum vivimus; atque haec una Spes Mortem nemini eludendam non terrore ſolum exarmare, ſed exoptandam ſuavemque efficere poteſt. Propterea uti apud Britannos illi, qui ſunt Improbi, grates habuiſſe Burneto credendi ſunt, quod flagitiorum ſuorum retributionem in immenſum quodammodo diſtulerit: ita Probos quoslibet eidem indignatos perſuaſum habeo, quod Paradiſum, quem & ipſi ſperant (jurene, an injuria, minime nunc opus eſt inveſtigare) a tot Saeculis clauſum exhibuerit, & quo unquam tempore recludendum ſit, obſcurum omnino reliquerit. Certe illud exploratum eſt mihi, fatentibus ejuſdem Libri editoribus in Praefatione, videlicet quum foetum ſuum Burnetus *gravium quorumdam* in Britannia *Theologorum* amico examini tradidiſſet, exhorruiſſe viros doctos atque ſapientes hominis conſilium, utpote quod in perniciem Chriſtianae Religionis & Reipublicae manifeſte vergat; eidemque fuiſſe auctores, ut lucubrationem, nullum decus, ſed odium ſibi & contemtum parituram, ſupprimeret, prudentiuſve flammis inſumendam commendaret. Atque ille profecto, dum vixit, ab exponenda peſtilenti merce abſtinuit. Attamen, ut eſt Novatorum omnium, quibus idem perinde eſt bona fama, atque infamia, dum eorum nomen in ore hominum ſonet: ita Librum vivens preſſit, ut liberum ei poſt mortem oſtium voluerit. Neque defuere viri, qui, quod lucri ſui loco ponant ſan-

ctiſſimae Religionis detrimenta quaeque, obſtetricias manus lubenter eidem praebuere. Hos nempe fructus ex infelici Schiſmate ſuo jamdiu Britannia refert, ut gregem non credentium in ſinu ſuo augeri quotidie cernat, ac teterrimo gliſcenti morbo nullum amplius remedium agnoſcat. Itaque Anno 1726. Londini in lucem erupit Burneti Liber. Acuto minime ingenio opus eſt ad dignoſcendum, qua pice obliti ſint illius Editores. Inquiunt enim: *Reperto in ſcriniis, poſt obitum ipſius, codice, in quo nonnulla immutarat, viſum eſt in Pauciſſimorum uſum Aliquot exemplaria recudere: quippe quia aegre ferrent ex doctioribus nonnulli, magno ſummi viri ſtudio excultum Opus aliquando forſan interire poſſe: Adhibita tamen eſt cautela, ne in Vulgus emanaret. Quiſquis igitur hunc Librum in manus ſumſerit, is ſe nullo modo paſſurum, a quoquam aut calamo aut typis deſcribi, data fide obſtringitor.* Ita illi, ſanniones utique impii, in ludibrium ſuorum praecipue contribulium, quando tot exemplaria virulenti Operis ubique diſſeminarunt, eorumque interim raritate conficta, pretium & deſiderium illius apud incautos adaugendum ſperarunt. Quare, ſi conjecturae locus, id unum conſequuti videntur, ut apud probos Britannos gloriam ſibi maligni perditique animi compararint: qua procul dubio fraudandus nequaquam eſt, quicunque in corruptelam Religionis & Reipublicae ſuae ſciens volenſque conſpirat. Sed haec miſſa faciamus.

Sero ad me perlatus fuit Burneti Liber, atque e veſtigio nulla mihi de illo confutando injecta eſt cogitatio. Immo ne illum quidem, fateor, legere ſuſtinui. Quippe quemnam in finem, niſi ut deſipere incipiam, ad Novatorum ſcripta me conferam? Qui me in Religione confirment, non qui me ab ipſa avertant, equidem quaero & amo. Verum ubi intellexi, per Italiam ſerpere ejuſdem exemplaria non pauca, tunc vires meas, quantulaecumque ſint, in praeſidium Religionis ac Veritatis, ſimulque fratrum meorum, experiri in animum induxi. Profecto certum mihi paene eſt, ex Catholicis neminem, etiamſi in Burneti Librum incurrat, quidquam ab illius abominando conatu, & fraudulenta eruditione commotum iri. Nam ex quo Catholica Eccleſia, in Florentino potiſſimum Generali Concilio, quid heic nobis credendum ſit, decrevit: habemus firmiorem Evangelicum ſermonem, in quo ſtabiles conquieſcimus, certos nos faciente Deo, ibi Veritatem perpetuo futuram, ubi eſt Eccleſia Dei vivi, *Columna & firmamentum Veritatis*, contra quam portae Inferi nunquam praevalebunt. Nihilo tamen ſecius quum & puſillis auxi-

lium

lium praebere juvet adverſus Novatorum inſidias; atque utile non minus quam jocundum cuicunque eſſe conſueverit, poſſe etiam de Fide noſtra, prout occaſio tulerit, rationem reddere: propterea operae pretium me facturum duxi, ſi hanc provinciam ſuſciperem, atque una cum confutatione Burnetani ſomnii aperirem, quam ſolidis atque inconcuſſis fundamentis hac etiam in re nitatur Romanae Eccleſiae ſententia. Eo autem lubentius in arenam deſcendi, quod, niſi mea me fallit opinio, argumentum hoc videre mihi viſus ſum nondum pro dignitate pertractatum a noſtris. In eo quidem verſati ſunt jamdudum Sanctus Thomas Aquinas, Alphonſus de Caſtro, Cardinalis Bellarminus, Vaſquius, Petavius, aliique inſignes Theologi, ſed jejune, ſed alio properantes. Itaque opus aggreſſus ſum, ne illis quidem, qui inter Britannos ſapiunt, ingratum, ut ſpero, futurum, ſi forte ad eorum manus perveniat.

Ex ejus autem lectione utinam deſiderio ac ſpe Caeleſtis illius Regni, pro quo pugna ſuſcepta eſt, vehementius in dies animi noſtri accendantur. Eja mature oculos mentemque erigamus ad ineffabiles illas delicias, atque ad feliciſſimam aeternamque Patriam illam, ad quam brevis peregrinatio noſtra tendit. Quo importunius impii quidam Novatores a beatiſſimi illius loci poſſeſſione removere nos, ſeu remorari contendunt, eo nos alacrius, divinis freti promiſſis, neque amplius dubii de celeritate Praemii, per Virtutum iter feſtinemus. Ceterum non ego ſingulas perverſas opiniones, ſive ſomnia in eodem Burneti Libro temere expoſita, oppugnanda mihi propoſui. Unum volo: videlicet oſtendere, quam immerito, dicam etiam quam impio conſilio, ille Juſtis perfectis Beatitatem negarit in Caelis, antequam Corpora in fine Mundi reſurgant. Si hoc, ut ſpero, evincam, cetera Viſionarii hominis deliramenta quiſque prudens Lector contemnet atque ridebit. Ad haec reliquum foret, ut poſtquam multa diſſerui de *Paradiſo*, & Viſione Dei, hoc eſt de beatiſſimo fine *Spei Chriſtianae*, fundamenta etiam exponerem, quibus eadem ſupranaturalis Virtus innititur, quidve agendum ſit Chriſtiano homini, ut firma ſibi, neque illuſoria ſit Spes conſequendae ſuo tempore Caeleſtis Hereditatis. Nam a Deo quidem miſericorde per merita Jeſu Chriſti, unigeniti ejus Filii, ac Domini noſtri, ſperanda nobis eſt immenſa illa Felicitas: attamen adeo beata Spes nobis ea conditione facta fuit, ut & nos fidelem Deo ſervitutem ſerviamus, & per Caritatis & Pietatis Opera, non ſuperficialia, ſed ſolida, fidem atque amorem noſtrum benigniſſimo Regi ac Patri noſtro probemus. Id

ſi prae-

ſi praeſtarem, tunc haberemus plene pertractatum dulce *Chriſtianae Spei* argumentum, quod olim quoque mihi propoſueram, quum *de Caritate erga proximum* egi. Sed plura nondum potui. Interim non modicam nobilis hujuſce argumenti partem in Opuſculo iſto Lector accipiat. Antequam tamen cum Heterodoxo Burneto manus conſeram, procidens adoro te, Chriſte Fili Dei vivi, & obſecro, ut calamum meum in veritate Sanctae Eccleſiae tuae regas, & per mea verba magnificentiam Gloriae ac Regni ſanctitatis tuae unuſquiſque Fidelium vehementius excupere, & fidentius ſperare incipiat. Nos faciem tuam requirimus, amantiſſime Salvator; & concupiſcit ac deficit anima noſtra in atria tua. Praeſta, Domine, praeſta mihi, & omnibus diligentibus te, ut videamus, & cito videamus Te, ac Regnum tuum Caeleſte, illudque & nos poſſideamus una cum omnibus Sanctis tuis.

# INDEX CAPITUM

## QUAE IN HOC LIBRO CONTINENTUR.


### CAPUT PRIMUM.

*Proponitur Burneti ſententia de retardata Juſtorum Beatitudine uſque ad poſtremi Judicii diem. Loca Scripturarum & Patrum pro ſua opinione ab eo laudata. Peſſima conſectaria inde emergentia. Dolo malo haec ab eo actum.* Pag. 1.

### CAP. II.

*Eccleſiae Catholicae de hujuſmodi quaeſtione Decreta. Quibus divinorum Librorum documentis innixa. Sancti Methodius, Thomas Aquinas, & Chriſoſtomus eidem adſtipulantur.* Pag. 8.

### CAP. III.

*Aliis Scripturae locis confirmata Catholicae Eccleſiae ſententia. Non poſtremum tantummodo* Judicium *agnoſcendum, ſed & alia occulta. Aliuſque Chriſti* Adventus *admittere neceſſe eſt, tum in ſingulorum Fidelium morte, tum ad Hieroſolymae excidium. Reſurrectionis Dogma nihil pugnat contra inchoatam Animarum Beatitatem in Regno Caelorum.* Pag. 16.

### CAP. IV.

*Apocalypſeos loca quaedam non Burneti ſomniis, ſed Catholicorum ſententiae omnino faventia. Quid* Altare, *quid* Thronus Dei *ibi. Remuneratio Sanctis a Deo promiſſa, brevi complenda.* Requies *&* Requieſcere *in Sacris Literis, & apud Patres, Felicitatem ſummam in Caelis jam conlatam Juſtis ſignificat. Non una* Reſurrectio *in divinis Libris.* Pag. 32.

### CAP. V.

*Millenariorum error a quibus prodierit, quoſve ſectatores habuerit. A Sanctis Patribus confutatus, & jamdiu exploſus. Adverſus illum perſpicua Apocalypſeos loca.* Pag. 43.


*Impro-*

C A P. V I.

*Improbi ſtatim poſt Mortem in Inferorum poenas conjecti. Martyrum Animae Corpore ſolutae, communi Eccleſiae calculo, confeſtim Beatitudine Caeleſti donatae. Non unus* Dies Domini; *non unus* Adventus. *Neque tantum Martyres, ſed & caeteri Juſti, non exſpectato Corpore, Caelorum Regnum ingreſſi.* Pag. 50.

C A P. V I I.

*Sancti Clemens I. Papa, Ignatius Antiochenus Epiſcopus, Polycarpus Epiſcopus Smyrnenſis, Eccleſia itidem Smyrnenſis teſtes minime procraſtinatae Beatitudinis Sanctorum.* Pag. 55.

C A P. V I I I.

*Juſtinus Martyr Chiliaſtarum errori addictus, cum Burneto tamen minime concors. Quae de praeſenti controverſia ſenſerit Auctor Quaeſtionum ad Ortodoxos.* Pag. 62.

C A P. I X.

*Sanctus Irenaeus Martyr & Epiſcopus Millenarii ſomnii Patronus. Eodem errore infectus Tertullianus. Uterque tamen Catholicae ſententiae ſuam vim ineſſe fatetur. Quae Origenis, Victorini Martyris, & Lactantii Firmiani hac de re opinio fuerit.* Pag. 69.

C A P. X.

*Acta veterum ſincera Animas Martyrum confeſtim ad Caelorum Regnum ferri teſtantur. Clemens Alexandrinus, Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus, & Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus, non ſolum Martyribus, ſed & ceteris Sanctis patere Caelum poſt mortem teſtantur. Pro Martyribus Euchariſtica, non Propitiatoria commemoratio in ſacris. Alia Martyrum Acta eidem veritati ſuffragium praebent.* Pag. 79.

C A P. X I.

*Methodii, Euſebii Caeſarienſis, Eccleſiarum Viennenſis & Lugdunenſis, Conſtantini Magni, Alexandri & Athanaſii Praeſulum Alexandrinorum, aliorumque teſtimonia pro Beatitate Sanctorum. Hilarii Pictavienſis Epiſcopi propoſita hac de re ſententia.* Pag. 92.

C A P. X I I.

*Variis nominibus ab antiquis deſignatus Beatitudinis Locus. Hiſce uſus Paulinus Epiſcopus Nolanus.* Sinus Abrahae *ad eundem Locum indicandum adhibitus. Liturgiae Jacobo & Marco tributae, veteriſſima quoque Romana, idem confirmant. Sancto Hilario* Sinus Abrahae Regnum Caelorum *ſignificat.* Requies & Requieſcere *eodem ſenſu ab ipſo uſurpata. Alia Hilarii verba in examen adducta, & ad Catholicum Dogma ſtabiliendum opportuna.* Pag. 102.

CAP. XIII.

*Perperam pro ſua opinione laudatus a Burneto Sanctus Ambroſius. Varia illius loca expenſa. Pſeudo-Eſdrae Libris ille uſus. Perſpicue ab eo confirmata Sanctorum Beatitas.* Pag. 118.

CAP. XIV.

Paradiſi *vox quid apud veteres ſignificarit. Communiori Patrum ſententia Beatorum Regnum in Caelis deſignat. Sancto Ambroſio idem viſum fuit. Varia, eaque diſerta illius teſtimonia pro Felici Juſtorum ſorte in Regno Dei.* Pag. 128.

CAP. XV.

*Johanni Chryſoſtomo tributum durum quoddam aſſertum, atque illud ad trutinam revocatum. Apoſtoli locus in Prima ad Corinthios explicatus. Chryſoſtomus cum Eccleſia Catholica concors.* Requies *apud illum nihil aliud niſi Caeleſtis Beatitudo. Quibus calumniis eum ſibi adverſantem Burnetus exceperit.* Pag. 139.

CAP. XVI.

Sinus Abrahae *Chryſoſtomo idem cum* Regno Caelorum. *Ejuſdem varia, perſpicuaque loca, quibus Beata in Caelis vita non Martyribus tantum, ſed & ceteris Juſtis jam conlata firmatur.* Pag. 154.

CAP. XVII.

*Fruſtra Sancti Auguſtini auctoritatem ad ſuae opinionis patrocinium Burnetus contorquet. Diſſolutae objectiones ex ipſo petitae. Compluribus ejus locis Romanae Eccleſiae doctrina de Beatitudine Sanctorum ſolidata atque illuſtrata.* Pag. 165.

CAP. XVIII.

*Neque Gelaſius Cyzicenus, neque Theodoretus Catholico Dogmati adverſantur, immo adſtipulantur. Quid ſit* Conſummatio, *&* Conſummari *in ſacris Literis, quum de Animabus ſeparatis a Corpore agitur. Exploſum fragmentum Graeci Scriptoris, quem Cajum, aut Hippolytum nonnulli ſuſpicantur. Andreae, & Arethae Caeſarienſium Epiſcoporum, atque Oecumenii ſententia a Catholica minime diſcors. Theophylactus cum ipſa plane concors. Quid ſenſerit Euthymius Zigabenus. Graeculi quidam, & Armenii a majorum dogmate declinantes.* Pag. 183.

CAP. XIX.

*Bernardi Claraevallenſis peculiaris opinio de Beatitudine Sanctorum. A qua tamen is receſſit. Catholicae ſententiae luculentus & ipſe aſſertor plurimis in locis.* Pag. 200.

CAP. XX.

*Praesentem Justorum Beatitatem in Caelis agnoscunt Sancti Basilius Magnus, Gregorius Nyssenus, Ephraem Syrus, & Gregorius Nazianzenus. Quid huic* Sinus Abrahae *fuerit.* Pag. 207.

CAP. XXI.

*Theodorus Abbas, Didymus Alexandrinus, Gaudentius Episcopus Brixianus, Cyrillus Hierosolymitanus, Prudentius Hispanus, Amphilochius Iconiensis, Epiphanius Constantiensis, Damasus Romanus Pontifex, & Hegesippus (cujus actas exploratur) Caelorum Regnum Justis corporeo carcere solutis conlatum testantur.* Pag. 218.

CAP. XXII.

*Hieronymus Stridoniensis, Theophilus Alexandrinus, Paulinus Nolanus, Antonius Constantiensis, Prosper Aquitanus, Leo I. Romanus Pontifex, Honoratus Massiliensis, Maximus Taurinensis, Petrus Chrysologus, Isidorus Pelusiota, Synesius Ptolemaidis Episcopus, Arnobius Junior, Gennadius Massiliensis minime dilatam censent summam Felicitatem Sanctorum in Caelis. Quid significet* esse cum Domino *apud Apostolum.* Pag. 227.

CAP. XXIII.

*Burneti ridendae exclamationes adversus Florentinum Concilium. Fulgentius Ruspensis Episcopus, Primasius Adrumetinus, Gregorius Magnus Summus Pontifex, Ildefonsus, & Julianus Archiepiscopi Toletani, Beda Anglus, Aldhelmus isidem Anglus, Alcuinus pariter Anglus, Synodus Francofordiensis, Florus Magister, Paschasius Radbertus, Petrus Lombardus, Thomas Aquinas, aliique Sententiam Romanae Ecclesiae de Beatitudine Sanctorum tuentur, Ab eadem primo alienus Johannes XXII. Papa, tum ipsam confirmat.* Peg. 240.

CAP. XXIV.

*Post Photianum Schisma Graeculi quidam, inter quos Moses Bar-Cepha ineptus Scriptor, de Sanctorum Beatitate parum scite opinati. Concordes in ejusmodi quaestione cum Ecclesia Romana Dionysius vulgo appellatus Areopagita, Michael Syncellus, Auctor Vitae Sanctae Synclericae, Eustratius Diaconus C Politanus, Leontius Cyprius Episcopus, Daniel Monachus Rairhu, Andreas Cretensis, Stephanus Monachus Laurensis, Concilium II. Generale Nicaenum, Theodorus Studita, Naucratius, Philo Carpathius, Nicetas Paphlago, & alii e Graecis.* Pag. 254.

*Etiam*

CAP. XXV.

*Etiam poſt Schiſma Photianum plerique nobiles Graecae Eccleſiae Scriptores cum Romana Eccleſia in aſſerenda Beatitudine Sanctorum concordes. Quid de hac re ſcripſerint Joſeph Hymnographus, Simeon Metaphraſtes, Michael Pſellus, Nilus Monachus, Conſtantinus Acropolita, Nicephorus Gregoras, Nicolaus Cabaſilas, Manuel Palaeologus. Menaea Graecorum idem teſtata. Quam inſipienter Marcus Epheſius, & pauci alii Graeculi, dum Concilium Florentinum haberetur, in hoc argumento adverſati Romanae Eccleſiae; ſed compreſſi a Gregorio Protoſyncaello, Georgio Scholario, ſive Gennadio, atque ab aliis Graecis vel poſt ipſum Concilium.* Pag. 267.

CAP. XXVI.

*Quam neceſſarium, quam utile ad Chriſtianorum ſpem confovendam, quamque Dei bonitati conſonum Dogma de Beatitudine Sanctorum. Contra, quam pernicioſa Burneti opinio utpote quae a Martyrio, Virtutibuſque homines avertat, & Vitiis oſtium grande recludat. Quam ſimul divinam bonitatem dedeceat.* Pag. 277.

CAP. XXVII.

*Improbandum Burneti conſilium in hujuſmodi quaeſtione pertractanda. Quae ab eo divinae Scripturae loca pro ſe adducuntur, nihil Romanae Eccleſiae hac de re Dogmati adverſantur.* Pag. 287.

CAP. XXVIII.

*Egregiis Sacrarum Literarum locis confirmata Catholicorum ſententia. Simeonis Junioris, cognomento Theologi, nobilis pro illa atteſtatio. De ſtatu Juſtorum poſt mortem nemo deteſtabilius loquutus, quam Burnetus. Gregorii Magni, Thomae Aquinatis, Philippi Solitarii, luculenta pro Sanctorum Beatitate teſtimonia.* Pag. 296.

CAP. XXIX.

*Abominandae calumniae, quibus Eccleſiam Romanam Burnetus onerat, quaſi haec Lucri cauſſa poſtremis biſce temporibus ſententiam invexerit de Beatitudine Sanctorum. Nihil illa habet, niſi quod priorum Saeculorum Eccleſia profeſſa fuit. Olympiodori, Aſterii Amaſeni, Nili Monachi teſtimonia adduntur. Sanctorum quoque Invocatio firmata auctoritate Origenis, Sancti Cypriani (cujus verba Johannes Fellus perverſe interpretatur) ac Sancti Hieronymi; Burneti ineptiae, negantis Animabus Corpore ſolutis omnem doloris & gaudii motum.* Pag. 308.

*Roma-*

C A P. XXX.

*Romanae Eccleſiae Dogma de Sanctis ad Caeleſtem Felicitatem jam deductis, novis ſacrarum Literarum Documentis roboratur. Sancti Cypriani Opuſculum* de Mortalitate *in idem Dogma confluit. Quod Sancti, & potiſſimum Apoſtolus Gentium, verbis tradidere, factis compleruntOperis concluſio.* Pag. 319.

# A P P E N D I X

## *SANCTI CAECILII CYPRIANI OPUSCULUM*

## DE MORTALITATE.

*Anno Ch. CCLII. conſcriptum, ad Fidelium ſolatium heic recuſum: Ex Editione Amſtelodami Anni MDCC. cum altera Baluziana Conlatum.* Pag. 330.

*Lettera ſcritta a nome di una Ingleſe Cattolica, ad uno Ingleſe Proteſtante, ora per la prima volta data in luce.* Pag. 345.

DE

# DE PARADISO

## NON EXPECTATA CORPORUM RESURRECTIONE

*ADVERSUS*

# BURNETUM.

## CAPUT PRIMUM.

*Proponitur Burneti ſententia de retardata Juſtorum Beatitudine uſque ad poſtremi Judicii diem. Loca Scripturarum & Patrum pro ſua opinione ab eo laudata. Peſſima conſectaria inde emergentia. Dolo malo haec ab eo actum.*

PAUCIS exhibeo, quae Burnetus hanc in rem eſt eloquutus. Poſtquam oſtendit, Animas hominum ſubſtantias eſſe incorporeas, & immortalitatis praerogativa donatas: quaerit, quis earum futurus ſit Status, quoties per mortem a Corpore ſegregantur. An recta Impii, culparumve ſarcina onerati, ad Inferorum poenas trahantur, ſe nolle inveſtigare e veſtigio fingit. Ad Juſtos autem quod attinet, quos ante ſupremi Judicii diem ad caeleſte Regnum transferendos a tot Saeculis Reſpublica Chriſtiana fere omnis cenſet, haec ei ſententia nullo fundamento nixa, ac ſpes ina-

inanis creditur. Nam etſi Matth. V. 8. *Mundi corde Deum viſuri* dicantur, & Prima Corinth. XIII. 12. *viſio Dei facie ad faciem* nobis promittatur: nihilominus id tantummodo eventurum contendit poſt Reſurrectionem Corporum. Tunc enim, & non antea, in Epiſt. Prima V. 4. Sanctus Petrus *Coronam* fidis Paſtoribus pollicetur. Paulus quoque Secunda ad Timoth. IV. 8. *Coronam juſtitiae* repoſitam ſibi *in illa die* ſcribit. Et Cap. I. 12. ejuſdem Epiſtolae, *Certus ſum*, inquit, *quia potens eſt* Deus *depoſitum meum ſervare in illum diem*. Proinde, ſi illum audimus, componi haec minime poſſunt cum eorum opinione, qui ſtatim a morte Animas Juſtorum ad ſummam gloriam, Improborum ad aeternas poenas transferri arbitrantur. Accedit, quod in Scripturis mortui *dormire* dicuntur, & *expergefieri in die Judicii:* Apoſtolus vero Prima ad Theſſalonicen. IV. 13. non a Beatitudine illico poſt mortem ineunda, ſed a Reſurrectione, redituque glorioſo Chriſti, ſpem & ſolatium Chriſtianis eſſe capiendum ſcribit, inquiens: *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & ceteri, qui ſpem non habent. Si enim credimus, quod Jeſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Jeſum, adducet cum eo &c.* Totam pariter ſpem noſtram e Reſurrectione pendere prodit idem Apoſtolus Prima Corinth. XV. 19. qui & in Epiſtola ad Romanos VIII. 18. ait: *Non ſunt condignae paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis.* Ecquando autem revelabitur? In Reſurrectione. *Exſpectantes* quippe ſumus *redemtionem corporis noſtri*. Addit Burnetus, in hujuſmodi doctrinam confluere alia Scripturarum loca; nullumque ex iis ſibi offerri, quo ante Reſurrectionem affulgeat aeternae gloriae ſpes Juſtis. Neque *Paradiſus*, quo felix Latro adductus a Chriſto fuit, ſupremum Caelum ſignificat. Neque Apoſtoli, *cupientis diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*, vox ad beatificam viſionem torquenda venit: ea nempe loquendi formula indicatur duntaxat, eſſe Animas Juſtorum *in cuſtodia & tutela Chriſti*. Quare ſi antequam corpora reſurgant, caeleſtem Beatitudinem Sanctis tribuimus, ut is ait, *vim Doctrinae Chriſtianae de Reſurrectione labefactare videmur, ipſamque quaſi inutilem reddere.* Quam in rem Sancti Auguſtini verba laudat, ſcribentis Geneſ. ad liter. Lib. XII. Cap. 35. *Quid opus eſt Spiritibus Corpora ſua in Reſurrectione recipere, ſi poteſt iis etiam ſine corporibus ſumma illa Beatitudo praeberi?*

Neque ſolum e fonte Scripturarum, ſed ex rivis etiam fonti propioribus doctrinam ſuam haurire Burnetus pergit, contendens, per

tria

tria prima Eccleſiae Saecula nullum reperiri Graecum aut Latinum Patrem, *praeter Haereticos, atque unum forſan Cyprianum, qui defunctorum animas ſtatim a morte ad viſionem Dei tranſtulerit, eo ſcilicet modo, quo nuperis Saeculis decretum eſt in Eccleſia Romana.* Itaque *Juſtinum*, *Irenaeum*, ac *Tertullianum* teſtes ſuae ſententiae advocat; deinde *Origenem*, *Victorinum Martyrem*, *Lactantium*, *Macarium Hieroſolymitanum*, *Euſtathium Antiochenum*, *Andream & Aretham* Caeſarienſes Epiſcopos, *de Hade* loquentes. Quibus adjungit *Polycarpum*, *Clementem Romanum*, & *Ignatium* Sanctos Martyres, a quorum ſtilo abhorrere cenſet Eccleſiae Romanae decretum, ſtatuentis in Concilio Generali Florentino, *Sanctorum Animas mox recipi in Caelum, & intueri clare ipſum Dominum trinum, ſicuti eſt.* Addit, rationi minime conſentaneum, eſſe poenas exigi, aut praemia erogari, antequam res in judicium deducta fuerit; nullum vero Judicium in Scriptura memorari, niſi habendum in fine Mundi, uti docemur Actor. XVII. 31. & Prima ad Corinth. III. 13. Denique ſecum concordes ait Auctorem *Quaeſtionum* ad Orthodoxos apud Juſtinum, necnon & *Chryſoſtomum*, *Theodoretum*, *Oecumenium*, *Theophylactum*, *Euthymium*, *Hilarium*, *Ambroſium*, *Auguſtinum*, & *Bernardum*, ad quorum opinionem accedere etiam cenſet veteres Liturgias. Heic tamen Burneti conatus minime ſiſtit. Qualis ſit *Animarum ſtatus naturalis in intervallo mortis & Reſurrectionis*, ſubinde inveſtigat; variaſque interſerens quaeſtiunculas, eo tandem fertur, ut putet & doceat, Animas tunc eſſe in *ſtatu quietis*, *ſilentii*, & ἀεργασίας, ideſt *nihil operantes*. Et quidni? quum ſecundum communem ſacrae Scripturae morem *Mors* appelletur *Somnus*, & morientes *Obdormire* dicantur. Haec ille. Neque enim juvat cetera perſequi ad Reſurrectionis rationem, & poſtremum Chriſti Adventum, Judiciumque ſpectantia, quae is ad examen adducit. Id mihi duntaxat conſiderandum nunc venit, quod ad Statum Mortuorum pertinet, antequam Corporibus Reſurrectio per imperium Dei noviſſimo die contingat.

Et miror quidem, ſimul etiam doleo, homines reperiri, qui quamquam Chriſti Religionem profeſſi, atque ad ejus tutelam, dignitatemque amplificandam ſuo inſtituto obſtricti, nihil tamen non agere videantur, ut ipſam noſtris temporibus enervent, ne dicam evertant. Atque hoc praeſtitum a Burneto quiſque pius facile intelligat; immo & ipſe intellexiſſe non injuria credendus eſt, quando vivens Librum ſuum in lucem efferre non eſt auſus, Britannicae profecto gentis judicium atque odium veritus, quam melius ſapere in

hocce argumento omnes norunt. Verum ita ſibi viventi cavit Burnetus, ut tamen parato veneno erumpendi poſt mortem ſuam locum conſulto fecerit, aut lubens reliquerit. Abiit ille: quam ſpem ſecum tulerit, ignotum eſt; notiſſimum vero, non defuiſſe, qui eo e vivis ſublato, tandem Libro nocte tantum digno compedes eripuerunt, eumque libera luce frui juſſerunt. Qui ſi, aeque ac illius Auctor, male mereri de Chriſtiana Religione in animum induxerunt, voti ſui, quantum in ipſis eſt, compotes fuere; ſed proborum indignationem vel apud ipſos Britannos incurriſſe mihi perſuadeo. Nam ubi ſtatuas, ad Caeli gloriam, atque ad Inferorum poenas, aditum nulli hominum hactenus fuiſſe datum, neque dandum, quouſque mortuos e tumulis excitet Angelica tuba: neceſſe eſt, languere nimirum incipiat in mortalium cordibus Chriſtianae Religionis ſaluberrimum ſtudium & amor, mirumque in modum turbetur hactenus creditum diſcrimen praemii & poenae ab ea conſtitutum inter Bonos & Malos. Immortalitatem utique Animae fatetur Burnetus, neque Praemii Spem, Metumve Poenae tollit; at haec ille ita extenuat, ut quid ſperandum ſit, quidve timendum deinceps, vix ullus agnoſcat. Jam anni fluxerunt Mille & Septingenti, ex quo divinus Magiſter aeternam in Caelis Vitam Juſtis pollicitus fuit. Si Burnetum auſcultamus, nondum ille fidem ſolvit, omniumque Spem fruſtratus eſt; clauſa adhuc eſt caeleſtis aulae janua, & tot millia millium in Domino mortuorum, mercedem adhuc exſpectant vili *Somno* ac torpori, *nullique operationi* addicta. Quandonam vitae hujus poſt mortem corporis, quam vitam neſcio quei appelles, erit finis? Idem qui & Mundi. At quando poſtrema haec dies Mundo illuceſcet? *De Die illa & hora nemo ſcit, neque Angeli Caelorum, niſi ſolus Pater*, Matth. XXIV. 36. Fieri autem poteſt, ut nonniſi poſt complures, immo plurimas annorum myriades, humanarum rerum caſus adveniat. Quo ergo Juſtorum ſpes abierit, atque abire in poſterum poſſit, jam vides. Et quei, quaeſo, poſita adeo enormi dilatione Retributionis, ſe quiſquam Martyrio obiiciat, fortique & alacri animo vitam det pro Chriſto? Primis Eccleſiae Saeculis, teſtante Apoſtolo ad Roman. XII. 12. erant utique Fideles *in tribulatione patientes*, ſed ſimul *ſpe gaudentes*, quia vicinum ſpectabant, & ſpe praeoccupabant praemium, a Deo perſequutionem propter juſtitiam patientibus paratum. Sed quando poſt tot Saecula, ut Burnetus contendit, nondum ulla merces iis reddita eſt, atque inſuper reddendae tempus in immenſum trahi poteſt: quis jam in atrociſſima tormenta, ipſamque

in

in mortem pro vita beata in Caelis adipiſcenda lubens & gaudens incurrat? *Spes, quae differtur, affligit animam*, Proverbior. XIII. 12. Quanto plus autem illa affligat & exanimet, quae in tot Saecula, atque adeo in immanes moras protrahitur ullo fine fructu, totque alia Saecula obſtare ſibi poſſe intelligit? Ad haec, ubi quempiam in calamitatibus ſolari velis, aut ubi morituris Fidelibus ingemines ſpem caeleſtis Beatitudinis, ſtatim, vel propediem conſequendae: quicunque apud Britannos Burneti deliramenta accepere, ii certe ſe ludibrio haberi inclamabunt. Iſtud ſui dogmatis incommodum ſenſit & ipſe Burnetus, ac propterea pag. 49. nulla cenſura dignos edicit, *ſi qui ſine omni ſpe lucri conſolentur moribundos, animentque velut ad Caelum confeſtim abituros, & ad ſuprema gaudia. Exeunt e carcere in libertatem; & quae ex pio affectu dicuntur ad minuendum mortis metum, non ſunt explicanda cum rigore, inſtar articulorum Fidei.* Sed apertiſſime conterraneis ſuis illudit Burnetus. Non *e carcere in libertatem*, ſed quidem *e libertate in carcerem* morientes illius doctrina educit. Nam quo loco ſit, & quanta poſſit, quibuſve fruatur Anima, dum conjuncta cum Corpore in Mundo degit, norunt omnes. Soluta a Corpore en a Burneto detruditur in compedes, in carcerem, tum a caeleſti Regno excluſa, tum viſibilis hujus Mundi penitus oblita, *quod nihil ſcilicet*, ut ille ait, *operetur aut efficiat in Mundum corporeum, nec ab eodem quomodocumque afficiatur.* Praeterea gravi cenſura is dignus, quando cenſura illos abſolvit, qui perſuaſum habentes, Chriſtianorum neminem, quantacumque juſtitia polleat, poſſe ante ſupremi Judicii diem in Caelorum gloriam penetrare, nihilo ſecius ſpem eis faciunt immenſi illius praemii ſtatim a morte acquirendi, hoc eſt, aperto mendacio Populum in re tanti momenti fallunt, & fallere non erubeſcunt. Quaenam, bone Deus, haec Theologia? & qualis hujuſmodi Religio? Rideant profecto impii atque increduli, quos minime deſiderari in Britannia novimus, quum ludibria ejuſmodi audiunt; graviſſime vero doleant, quicunque ibi Chriſto revera credunt; ac tanti momenti mendacia in Anglicana Religione uti legitima venditari animadvertunt.

Ad Improborum poſtea Timorem ac poenas quod attinet, in ſancta Chriſti Religione tantopere depraedicatas, habent ſane Injuſti, unde Burneto plurimum ſe debere fateantur. Utcunque is in limine nos moneat, nullum ſibi verbum faciendum *de malorum ac miſerorum* ſtatu poſt mortem: ita tamen orationem deinde ſuam ſtruit, ut luculentiſſime ſignificet, ſibi perſuaſum, Impiorum quoque & Pec-

catorum Animas a Corpore ſejunctas, in *Somnum* rapi, ac tum ſolum excitandas, atque in *Ignem aeternum* trahendas, quum Chriſtus Judex de omnium hominum ſorte decernet. *Aeternum* appello *Ignem* illum, verbis eiſdem uſus, quibus utitur ipſemet Chriſtus, ſed cujus Aeternitatem idem Burnetus, ac Tillotſonus noſtris temporibus in dubium revocarunt, immo ſuſtulerunt. Nam quid jam non audeat inter Britannos effrenis ſentiendi licentia, ex quo a Catholica Eccleſia, nunquam ſatis deploranda ſeceſſione, defecerunt, & privato cujuſcumque judicio ac arbitrio ſubjecta eſt doctrina Fidei, quam & ſacrae Literae & Patres ab Eccleſiae voce petendam tradiderunt? Idcirco peregrina in dies dogmata apud illos emergunt, aut veterum errores veluti gemmae recuduntur, ne quid unquam deſideretur novi ad Eruditorum illorum nundinas deferendum; eo tamen ſucceſſu, ut in tanta inſtabilitate ſacri depoſiti, qui credebant, credere deſinant, & Religioni ſenſim Atheiſmus ſuccedat. Itaque poſita Burneti ſententia, Improbis addatur animus neceſſe eſt, ne ab iniquitatis via recedant; flagitioſae quippe illorum vitae poenas a Deo paratas ita procraſtinat, ita emollit, ut terror iis a Religione incuſſus prorſus exarmetur, leves etiam in auras apud multos evaneſcere poſſit. Scilicet ille malos Igne excruciandos ante poſtremum Judicium minime conſentit; poenas ipſas, ac damnatorum miſerias Sempiternas fore, ſatis aperte negat. Aut in nihilum Spiritus illi tandem conjicientur (quod famoſus vir Henricus Dodwellus antea ſenſerat) aut poſt emendationem ac poenitentiam a Deo miſericorde veniam impetrabunt. Interea qui ex praeſenti Saeculo a Mille & Septingentis annis migrarunt, nondum ſubiere Judicium, nondum Infernis cruciatibus addicti fuere. Id tantummodo praeſtandum, adveniente poſtremo Mundi hujus die, quem aut ſero nimis, aut nunquam adfuturum, facile ſibi gens nequam perſuadeat. Haec profecto gratiſſima Peccatoribus nuntia; ac potiſſimum quod iis liberum relinquitur, ſacras Literas in hocce argumento interpretari, prout quiſque magis conſonum divinae Clementiae arbitretur. Verum quid aliud haec ſunt, niſi nervos praecipuos Chriſtianae Religionis exſcindere, quae praemiis & poenis, ab omnipotenti, juſto, ac veraciſſimo Deo propoſitis, quotidie bonos ad arduum Virtutis iter animat atque incendit, malos vero ab iniquitate deterret? *Vae illis*, inquit per os Ezechielis Altiſſimus, Cap. XIII. 18. *qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus; & faciunt cervicalia ſub capite univerſae aetatis, ad capiendas animas; & quum caperent animas Populi mei, vivificabant animas*

*mas eorum*. Vae illis, qui per dulces ſermones Juſtitiam Dei in Improbos enervant ac tollunt; ejus vero Beneficentiam erga Juſtos extenuare non ceſſant.

At, inquit Burnetus, noſtrum non eſt, aut iſtis praemia, aut illis caſtigationem pro arbitrio noſtro decernere. Sacrae tantum Literae audiendae ſunt, Patres quoque auſcultandi. Hoc unum ex eorum doctrina conſequitur, nonniſi in fine Mundi piorum atque impiorum acta examini aeterni Judicis ſubjicienda, & tunc tantummodo unicuique pro merito aut mercedem donandam, aut ſupplicia eſſe inroganda. Sed quid, ſi mala fide agat heic Burnetus, atque incautos & ineruditos oratione ſua decipiat? Ignorare is minime poterat, ſuas rationes, eaſque validiſſimas, non deeſſe ſtatuentibus poenarum & praemiorum retributionem ante diem Judicii. Verumtamen iſtas ille diſſimulavit, ad illud unum anhelans, ut ſuam opinionem ab aliquot ex antiquis, & a nonnullis etiam poſteriorum temporum Haereticis venditatam, novis ſtipatam copiis, ipſe inter Britannos diſſeminaret, & ſi fieri poſſet, conſtabiliret. Nimirum id ille egit, quod quiſquam e Socinianis tentare nunc poſſet, divinitatem Filii Dei impugnaturus. Satis ei foret, nonnulla ſacrarum Scripturarum loca congerere, quae dogmati Catholicorum adverſari videntur; tum iis adjungere Ante-Nicaenos aliquot Patres, quibus nonnulla exciderunt, Socinianorum Haereſi in ſpeciem faventia, neglectis interim tot eorumdem ſacrorum Librorum locis, & Sanctorum Patrum ſententiis in Fidem Nicaenam conſentientibus. Quam bona fide ſubdolus iſte Scriptor munere ſuo fungeretur ad erudiendam Chriſtianorum Rempublicam, nemo non intelligit. Paria autem praeſtitit Burnetus, cujus iniquo conſilio propterea ſuates iraſcantur oportet, quando is ſatis prodit, ſe non amore ductum Veritatis, quae nihil celat, nihil diſſimulat, ſed ab unius cupiditate Gloriae ſe raptum fuiſſe. Novator enim quilibet nominis famam e Novitate doctrinae aucupatur. Contra, quum Deus, ipſaque recta Ratio Religionem in homines intulerit, efficaciſſimam videlicet animorum medicinam, & potiſſimum ſolamen in adverſis, regiumque iter ad Beatitatem: quiſquis in ejus amorem ſincere fertur, quantis etiam poſt viribus, ejus dignitatem atque utilitatem augendam, non minuendam, ubique ſibi proponit. Quamobrem quod Burnetus oculis ſuorum Civium ſubduxit, liceat mihi in praeſentia innuere: hoc eſt, experiri, num bonam ille cauſſam tueatur; an potius meliora ac veriora ſentiant, qui Proborum & Iniquorum beatam aut miſeram ſortem non ab uno poſtremo Judicio & Saeculi conſummatione petendam ſtatuunt.

## CAPUT SECUNDUM.

*Eccleſiae Catholicae de hujuſmodi quaeſtione Decreta. Quibus divinorum Librorum documentis innixa. Sancti Methodius, Thomas Aquinas, & Chriſoſtomus eidem adſtipulantur.*

QUOD antequam aggrediar, lubens fateor, hujuſmodi quaeſtionem hinc inde gravibus circumſederi difficultatibus. Nonnulli ex Sanctis Patribus in ea fluctuaſſe aliquando videntur, modo anticipantes, modo differentes ad Mundi hujus funera Felicitatem Juſtorum, aeternaſque aerumnas Impiorum. Communis tamen inter Chriſtianos, & ubique accepta ab Eccleſiae exordio uſque ad Saeculum XIV. ſemper ſententia fuit, Proborum Animas a Corpore ſejunctas, niſi quid purgandum habeant, ſtatim in caeleſtia Regna transferri. Eodem tandem Saeculo XIV. Joannes XXII. Romanus Pontifex aditum aperuit ad eandem controverſiam altius examinandam. Scilicet diſputandi cauſſa ille pendere videbatur in eorum ſententiam, qui defunctorum Animabus viſionem Dei negabant ante glorioſum Chriſti adventum ad judicandum genus humanum. Verum re mature excuſſa Anno MCCCXXXIV. ſuam mentem Joannes palam purgavit, tandem profeſſus, *quod Animae purgatae, ſeparatae a corporibus, ſunt in Caelo, Caelorum Regno, & Paradiſo, & cum Chriſto in conſortio Angelorum congregatae, & vident Deum, ac divinam eſſentiam clare, in quantum ſtatus & conditio compatitur Animae ſeparatae*. Ejuſmodi profeſſionem ſubinde omnibus notam fecit Anno MCCCXXXV. Benedictus XII. ejus ſucceſſor, Bulla promulgata, quae incipit *Benedictus Deus*. Acrius deinde Anno MCCCCXXXVIII. & MCCCCXXXIX. agitata quaeſtio haec fuit in Concilio Generali Florentino inter Latinos & Graecos, ac demum concordi calculo utriuſque gentis ſtabilitum: *Illorum Animas, qui poſt Baptiſma ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quae poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutae corporibus, ſunt purgatae: in Caelum mox recipi, & intueri clare ipſum Deum unum & trinum, ſicuti eſt, pro meritorum tamen diverſitate alium alio perfectius*. Doctrinam eandem a Synodo Tridenti-

dentina confirmatam habemus Seſſione XXV. ita ut nulla amplius inter Catholicos diſputatio ſive dubitatio de illa ſuperſit. Quod praemonendum cenſui, ne quiſquam miretur, ſi quando Patres aut Theologos ante Saeculum XIV. in hoc argumento offendat, ab aliis, immo a ſe in ſuis ipſis Libris diſcordes. Liberum quippe fuit ante judicium Eccleſiae, opinioni adhaerere, quae potior videbatur. Eoque magis cavendum eſt, ne (quod nonnullis ſubrepit) quenquam ante ea tempora haereticí dogmatis damnemus, quod is aliter de Mortuorum ſtatu ſenſerit, quam poſtea Eccleſia decrevit. Quotieſcunque enim ab Eccleſia ſciente Theologorum Opiniones tolerantur, & palam prodire ſine cenſura ſinuntur: quanquam poſtea decreto contrario tollantur, eas quidem averſari in poſterum jubemur, ſed ſimul earum Auctores, ac praecipue ſi de Sanctis Patribus agitur, nulla gravi nota aſpergendos novimus. Florentini autem Concilii doctrinam de Sanctorum Beatitate Britanni, tunc in unitate Fidei nobiſcum juncti, ſuſcepere. An autem omnes illibatam ſervarint, ſervatamve cupiant, non ſatis compertum eſt mihi. Ego certe, ne a veteri, ſolideque firmata ſententia ſe dimoveri illi patiantur, ſi quid haec mea poſſunt, quanta potero brevitate curabo.

Statuendum autem ante omnia eſt, poſtremam diem Mundi hujus aliquando venturam; tunc excitandos omnes mortuos, qui in ſua Carne ad tribunal Chriſti ſiſtentur, pro ſuis meritis ſententiam aut dulcem, aut terribilem ex ejus ore in totius generis humani conſpectu accepturi. Tunc *in Chriſto*, ut ait Apoſtolus Prima ad Corinth. XV. 22. *omnes vivificabuntur. Denique finis, quum Chriſtus tradiderit Regnum Deo & Patri. Noviſſima autem inimica deſtructur mors.* Sunt in hanc rem non pauca Scripturarum loca clariſſima, ac proinde *Reſurrectionem Mortuorum*, & glorioſum Chriſti adventum ad judicandos in fine Mundi univerſos homines, veluti unum e praecipuis Chriſtianae Fidei Articulis credimus & veneramur. Sacrae vero Literae, quae Reſurrecturos homines ſaepe tradunt, de *Corpore* id tradunt, de *Anima* vero ſilent; uti enim Sancti Patres animadverterunt, unum Corpus in morte hominis cadit, atque Anima ab eo ſejuncta vivere pergit. Propterea Matth. XXVII. 52. *Multa Corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.* Ita & Apoſtolus eum in multis locis, tum praeſertim in eodem Cap. XV. mortuorum Reſurrectionem deſcribens, de Corpore tunc ſuſcitando, & ad incorruptionem transferendo loquitur; de Anima vero nihil habet. In prima quidem ad Theſſalonicenſ. V. 23. optat, *ut integer Spiritus & Anima, & Cor-*

*pus ſine querela in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur.* Verum ea de adhuc viventibus dicit, & ad jam vita functos non pertinent. Nam, uti palam faciemus, non unum Chriſti Domini *Adventum* ſacrae Literae tradiderunt; atque in illo Apoſtoli loco nihil aliud deſignari contendimus, niſi acceſſum Chriſti Judicis ad ſingulorum Fidelium mortem. Sed ubinam poſt Corporis mortem Animae vivunt, praecipue poſtquam Chriſtus reſurrexit, atque in Caeleſtem aulam conſcendit? Catholicorum ſententia eſt, Impiorum aut Improborum Animas ſine vera poenitentia decedentes, ad Inferorum ſupplicia illico ferri: Piorum vero, dum culparum nihil expiandum eis reſtet, in Caelorum Regnum convolare, & divinae Viſionis compotes fieri. Ad iſtius doctrinae firmamentum haec Scripturarum loca Sanctus Thomas Aquinas, Durandus, Cardinalis Bellarminus, aliique doctiſſimi viri jamdiu attulere. Eccleſiaſtici Cap. XI. 28. *Facile eſt coram Deo in die obitus retribuere unicuique ſecundum vias ſuas.* Tum additur: *In fine hominis denudatio operum illius.* Quae Juſtorum ac Injuſtorum *Retributio* futura ſit, non ſemel Chriſtus, ejuſque Apoſtoli nos edocuerunt. Et quum hanc *in die obitus* unuſquiſque a Deo recepturus dicatur, non Corpus quidem, ſed Anima, jam tum ad gaudium, ſive ad ſupplicia tranſibit. At *Eccleſiaſtici* Librum, inquiant Proteſtantes, minime inter Canonicas Scripturas recenſemus. Ut ut ſit, negare ſaltem nequeant, quin veneranda in primis antiquitate nitatur, & tanquam Agiographus Liber ſecundi ordinis laudatus fuerit vel ipſo Secundo Eccleſiae Saeculo, a Tertulliano, & Clemente Alexandrino, deinde ab Origene, Cypriano, Athanaſio, Baſilio, Cyrillis ambobus, Gregoriis Nazianzeno & Nyſſeno, Chryſoſtomo, Epiphanio, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, atque ab aliis non paucis. Ergo velis nolis, luculentum habes teſtem, qualis in primitiva Eccleſia foret Opinio de mercedis *Retributione*, non ad metas ſupremi Judicii procraſtinanda, ſed *in die obitus* a Deo praeſtanda.

Ad haec Apoſtolus Secunda ad Corinth. V. 1. *Scimus*, ait, *quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in Caelis. Nam & in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quae de Caelo eſt, ſuperindui cupientes.* Video heic Interpretes digladiari. Burnetus ipſe loco iſto utitur, tanquam ſuae ſententiae fulcro, inquiens *diſſolutionem hujus corporis* opponi aſſumtioni *corporis caeleſtis*, quae tantummodo in Reſurrectione univerſali ſperanda eſt, *nulla habita*

*bita ratione temporis intermedii*. Verum uti Bellarminus poſt Sanctum Thomam ſcite animadvertit, ejuſmodi interpretatione nimium enervaretur Apoſtoli argumentatio. Is enim, ut ad patientiam in adverſis Corinthios animet atque inſtituat, praemium non poſt Saeculorum complurium moras, ſed brevi accipiendum propoſuerit oportet, appellando nempe aeternam Beatitudinem, *domum non manufactam*, habitationem nunquam interituram in caelis. Si terreſtris domus noſtra, in qua habitamus, diſſolvitur, *habemus* ſtatim aliam domum, ſine comparatione meliorem in caelis, hoc eſt, caeleſte domicilium, in quo Anima Deum facie ad faciem conſpiciet. Atque hanc interpretationem quo plus nos viventes ab Apoſtoli temporibus diſtamus, eo magis juſtam ac neceſſariam ſentimus. Neque objicias, aequum minime eſſe metiri a deſideriis noſtris, ſive a praeſenti rerum ſtatu, mentem Apoſtoli, quum nonnulli e Sanctis Patribus, atque ex ipſis nuperis ſacrarum Literarum Interpretibus in aliam abierint ſententiam. Nam neque Hammondo Britanno Interpreti noſtra improbatur; immo vel ante Mille & Quadringentos annos, Tertio videlicet poſt Chriſtum natum Saeculo, interpretationem a nobis propoſitam jam tum viguiſſe comperio. Sanctus Methodius Tyri Epiſcopus circiter Annum Chriſti CCXC. Librum *de Reſurrectione* elaboravit, quem Sanctus Hieronymus Cap. 83. de Scriptorib. Eccleſiaſtic. *Opus egregium contra Origenem* appellat. Ampla ejus excerpta nobis ſervavit Photius Cod. 234. Is autem explicanda ſibi ſumens praelaudata Apoſtoli verba, *ſcimus, quoniam ſi terreſtris &c.* inter alia ait: *per terreſtrem domum, brevem hanc Vitam abuſive intelligendam, non vero Corpus &c. Quae eſt ergo domus manufacta? Haec, inquam, brevis Vita &c.* Denique addit *Quemadmodum ergo, quum dies Vitae noſtrae praeſentis defecerint, bona opera Animas noſtras recipient: ita brevi hac Vita ſoluta, ANIMAE ANTE RESURRECTIONEM HABITATIONEM HABEBUNT APUD DEUM, donec inſtauratam, & nunquam caſuram Domum* (ideſt *Corpus*) *recipiamus*. Quae Sancti Methodii verba eo lubentius attuli, ut mature Lector intelligat, quae fuerit tanti viri ſententia (vel ipſo Saeculo Tertio) de non differenda ad Reſurrectionem Corporum Beatitudine Juſtorum; luſumque ludi a Burneto Britannis ſuis, dum contrariam tantummodo opinionem tunc receptam fuiſſe venditat.

Tertio ait Apoſtolus in eodem Cap. V. Epiſt. Secund. ad Corinth. *Qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus gravati, eo quod nolumus exſpoliari, ſed ſuperveſtiri &c. Scientes quoniam dum ſumus*

*in Corpore, peregrinamur a Domino (per Fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem). Audemus autem, & bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a Corpore, & Praeſentes eſſe ad Deum.* Evidens eſt *Peregrinari a Domino* ſignificare abſentiam a Domino, hoc eſt, nos heic poſitos, a reali ejus praeſentia ſejunctos vivere; *Peregrinari a Corpore* ſeparationem Animae ab ipſo Corpore. Si ergo Apoſtolus melius ſibi futurum ait, ſi Anima ſua e Corpore abeat, ut ſit *Praeſens ad Deum:* nonne tenes, Sanctorum Animas hinc evolantes illico ferri ad beatificam praeſentiam Dei? Propterea jure Sanctus Thomas Aquinas in Commentar. ad hunc locum ſcribit: *Confutatur per haec verba error dicentium, Animas Sanctorum decedentium non ſtatim poſt mortem deduci ad viſionem Dei. Nam fruſtra Sancti auderent & deſideravent peregrinari a Corpore, ſi ſeparati a Corpore non eſſent Praeſentes ad Deum. Et ideo dicendum eſt, quod Sancti ſtatim a morte vident Deum per eſſentiam, & ſunt in Caeleſti Manſione.* Eſtius quoque vir inter Catholicos doctiſſimus ex his Pauli verbis deducit, *evidenter oſtendi, Sanctorum Animas Corporibus exutas (ſive a Corpore peregrinantes; utroque enim modo loquitur Apoſtolus) eſſe Domino Praeſentes, & quidem eo modo, ut jam non per Fidem ambulent, ſed per ſpeciem teneat. Hoc autem eſt, Deum clare, & per eſſentiam intueri.* Neque diſſentit inter Britannos praelaudatus Hammondus. Immo Calvinus ipſe ab hoc loco convictus, affirmare coactus fuit, Juſtorum animas, mox ut e Corpore migrant, ferri ad praeſentiam Domini. Hoc idem tradidere Patres, ex quibus unum ſeligo, Chryſoſtomum videlicet, qui diſerte hinc ſententiam eandem eliciebat Homil. X. in Epiſtol. II. ad Corinth. Cap. V. En ejus verba ad hunc ipſum locum: *Praeſtantius eſt, cum Chriſto eſſe, quam Corpus a corruptione liberum accipere. Senſus autem horum verborum eſt hujuſmodi. Vitam noſtram is non extinguit, qui nos oppugnat, ac morte afficit. Ne timeas: fidentem animum praebe, quum conciderit atque obtruncaris. Neque enim ille duntaxat te a corruptione vindicat, ac gravi ſarcina levat; ſed etiam ad DOMINI CONSPECTUM CONFESTIM (ταχέως) TRANSMITTIT.* Et profecto, ſi dum Anima cum Corpore conjuncta eſt, peregrinatur a Domino, hoc eſt, a praeſentia Dei, ejuſque beata fruitione longe abeſt (nemo enim, in carcere corporeo vivens, ad videndum Deum facie ad faciem admittitur) conſequens eſt, ut peregrinari a Corpore (ideſt ſeparari a Corpore) vehementer cupiat, atque in eum locum transferri, ubi ſit *Praeſens ad Dominum*, hoc eſt emigrare ad Caeleſtem Gloriam.

Si

Si tantummodo poſt Reſurrectionem Corporum ſperanda eſſet haec Gloria, non dixiſſet Apoſtolus ad eam nos duci, poſtquam deſinit Anima verſari cum Corpore, ſed quidem in fine Mundi, qui quando futurus ſit, omnino incertum eſt. Atqui Paulus aperte nos docet, ideo exitum ab hac vita Juſtis exoptari, quia ſoluti a Corpore impediente Viſionem Dei, continuo fiunt *praeſentes ad Dominum*, eoque frui incipiunt. Dixi, per Corpus nunc Viſionem Dei impediri, quia idem diſcimus ab Apoſtolo ſcribente ibidem: *Scientes, quia dum ſumus in Corpore, peregrinamur a Domino. Per Fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem*, ideſt non per Viſum ſive Viſionem. Alibi hoc ille appellat videre Deum *facie ad faciem*. Ergo evidens eſt, Juſtum peregrinantem a Corpore, hoc eſt, Animam illius Corpore ſolutam, *Praeſentem eſſe ad Dominum:* hoc eſt Deum non amplius per *Fidem*, ſed *per ſpeciem*, ſive *facie ad faciem* ab ipſa videri: id quod Eccleſia Catholica credendum ſtatuit.

Evidentius eadem veritas colligitur ex aliis ejuſdem Apoſtoli verbis ad Philippenſ. I. 23. *Coarctor*, inquit, *e duobus: deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: multo magis melius. Permanere autem in Carne, neceſſarium propter vos:* Ubi Chriſtus poſt glorioſam Reſurrectionem ſuam collocatus fuerit, ſacrae Literae nobis non uno in loco aperiunt. Scilicet is *in Caelum aſcendit;* ibi *ſedet a dextris Dei; Chriſtus eſt in gloria Dei Patris*, eumque ibi ſtantem conſpexit ſpeciali viſionis praerogativa Stephanus, dum a Judaeis lapidaretur. Si Paulus cupit *diſſolvi*, ideſt optat, ut e Corpore Anima diſſolvatur, reputatque *multo magis melius* ſibi futurum exui carne, quam *vivere in carne:* non alia certe de cauſſa id cupit, niſi quia ſtatim adjungetur Chriſto, in ejus conſortio perennem Vitam, ſummamque felicitatem conſequuturus. Quare jam tenes, Beatitatem ante Corporum Reſurrectionem Juſtis promiſſam, eaque fiducia animatum Apoſtolum agnoviſſe, deſiderandum ſibi e praeſenti vita deceſſum. Burnetum angit mirum in modum hic locus: ideoque ut ejus vim declinet, effugium non unum quaerit. Si, inquit, *corporali praeſentia* ſe cum Chriſto futurum intellexit Paulus, *de tempore Reſurrectionis intellexit; interquiete mortis pro nihilo habita: Animae enim a Corpore ſeparatae, & ab omni materia, nullam habere poſſunt praeſentiam corporalem & externam cum Chriſto durante illo ſtatu: hoc ex natura rei eſt impoſſibile.* Inepte ac temere omnia, immo & impie. Apoſtolus ait: *Cupio diſſolvi, & Eſſe cum Chriſto*, hoc eſt, ut quiſque intelligit, Carnis ſarcinam deponere cupio, ut Anima mea

ad

ad Chriſtum videndum aſcendat. Homine autem Philoſopho, eoque magis Chriſtiano indignum eſt venditare, Animam humanam ſolutam a Corpore non poſſe, quanquam lumine gloriae a Deo donetur, frui praeſentia Chriſti, cum eo eſſe, ipſumque intueri. Angeli certe materia corporea carent, & nihilominus *in Caelis ſemper vident faciem Patris mei, qui in Caelis eſt*, inquit Chriſtus ipſe, Matth. XVIII. 10. Et poenitentis Latronis Anima ſine Corpore fuit cum Chriſto, beatificata illius praeſentia in Paradiſo. Id ſi quis negat, Anathemate feriendus eſt. Burnetus deinde, ſi Sanctis vita functis *praeſentiam Chriſti ſpiritualem & internam* (quali etiam *in hac vita* fruuntur) concedere malumus, non repugnat. Sed & haec pugnant cum mente Pauli. Nam ſi, fatente Burneto ipſo, & ſacris Literis idem tradentibus, Sancti homines in hac vita adſunt Deo, ſunt cum Deo, ſpiritu nempe conjuncti cum illo: nihil erat, cur Apoſtolus diſſolutionem Corporis optaret, ut eſſet cum Domino; cum ipſo quippe hac ratione erat etiam in Mundo vivens. Ergo neceſſe eſt intelligamus, Apoſtolo ante oculos fuiſſe, procul dubio ſibi obventurum alium Animae ſtatum, ubi iſta e Corpore avolaſſet, ideſt, ſe potiturum non ſpiritali duntaxat, ſed reali praeſentia Domini, quacum Viſio Dei & Beatitudo conjuncta incedit.

Subdit Burnetus: *Piorum Animae poſt mortem dici poſſunt eſſe cum Chriſto, quatenus erunt in cuſtodia Chriſti. Chriſtus jam jam moriturus Animam ſuam in Manus Patris depoſuit, ideſt in cuſtodiam & tutelam Patris. Stephanus quoque moribundus in manus Chriſti Animam ſuam tradidit; Domine Jeſu ſuſcipe ſpiritum meum, exſpirans dixit. Eodem modo Anima Sancti Pauli eſſet cum Chriſto in ipſius tutela, & apud eum depoſita uſque ad Reſurrectionem.* Neſcio, an quid Arianum inſuſurret nobis Burnetus, exemplum Chriſti adferens, deponentis Spiritum ſuum in Manus Patris. Numquid *tutela & cuſtodia* indigebat Anima Chriſti, a qua nunquam Divinitas ſejuncta fuit? Stephanus autem (ut Sancti Auguſtini verbis utar in Sermone 319.) *pro cujus Evangelio animam poſuit, illi commendavit ipſam animam. Domine, inquit, accipe ſpiritum meum. Feciſti me victorem, recipe in triumphum. Accipe ſpiritum meum. Illi perſequuntur: tu ſuſcipe; illi eiiciunt: tu intromitte. Dic ſpiritui meo: intra in gaudium Domini tui. Hoc eſt enim, Accipe ſpiritum meum.* Ceterum ſuperflua haec eſſe, & Burnetum vagari, ut nos a ſcopo avertat, continuo Lector intelligat, ubi recogitet, nihil aliud ſignificari phraſi illa *eſſe cum Chriſto*, ſive *recipi ad Dominum*, uti Tertullianus legit,

quam

quam id, quod nuper vidimus in Secunda ad Corinth. V. 8. ab eodem Apoſtolo repetitum, quum ait, Sanctos percupere *peregrinari a Corpore*, hoc eſt, mori, ac deſinere in Carne morari, ut *praeſentes* fiant *ad Dominum*: quae nonniſi de reali preſentia in conſpectu Dei vivi, & de caeleſti Gloria explicanda ſunt. Quod litem denique de hujuſmodi formula dicendi dirimit, idem Paulus Theſſalonicens. IV. 16. poſtquam Reſurrectionem, & poſtremum Chriſti in fine Mundi judicium deſcripſit, & Juſtos rapiendos *in nubibus obviam Chriſto in aera* nos docuit, addit: *Et ſic ſemper cum Domino erimus*. Haec diligenter animadvertenda; nemo enim ex his non intelligit, *eſſe cum Domino* idem ſignificare, atque Gloria ac Beatitate aeterna frui, quam ne Burnetus quidem Juſtis poſt Reſurrectionem & Judicium ſupremum negare auſus eſt. Hanc ergo *Felicitatem* adepturus, quod eſt ad Animam, Apoſtolus fuit, ſtatim ac eadem Anima *diſſoluta* a Corpore fuiſſet, quia confeſtim cum *Chriſto*, cum *Domino*, futura erat. Inquit deinde Burnetus, Apoſtolum Secunda ad Corinth. V. 4. dixiſſe *Nolumus exſpoliari*, ideſt non cupimus mori: heic vero cupere *diſſolvi*, quod idem eſt ac mori; atque adeo temperanda haec eſſe, ut non repugnent. Sed o egregium hominem, qui levibus hiſce difficultatibus diſtineri ſe patitur! Norunt omnes, in quolibet homine varios eſſe Voluntatis actus, immo & contrarios, ex quibus denique unus alteri praefertur. Chriſtus quoque diverſa volebat, qua Homo, qua Deus. Itaque Natura & in Juſtis a morte abhorret: ab ea quoque, non negabat Paulus, quin & ipſe abhorreret. Verum Ratio, & deſiderium migrandi ad Chriſtum, ejuſque Gloria fruendi, pergratam illi diſſolutionem ipſam faciebat. Pergit Burnetus inquiens, dixiſſe Paulum: *Mors mihi lucrum*. Tum enumeratis tot malis & periculis ab ipſo in vita toleratis, ait, mirandum eſſe, cur *tantillum* dicat; & certe *mortem in hac vita optabiliorem ei fuiſſe*. Primo ſomnium Burneti eſt illud *tantillum*; neque ejus erat, tanta confidentia definire, quantum *lucri* Apoſtolo obventurum erat in morte, quando is diſerte infra inquit, *diſſolvi*, & *eſſe cum Chriſto*, reputari a ſe *multo magis melius*: quibus verbis, uti Eraſmus monuit, *duplicat comparativum ad vehementiam, ut plurimum exceſſum ſignificet, idque juxta idioma ſermonis Hebraici*. Accedit, quod Apoſtolus nunquam ſibi vitae hujus exitum optavit, ut tribulationibus, quas pro Chriſto ejuſque famulis perferebat, ſeſe eximeret. Immo placebat ſibi *in contumeliis, in anguſtiis pro Chriſto*, ut ipſe teſtatur Secunda ad Corinth. XII. 10. Quamobrem forti hilarique animo inter aerumnas

ſibi

ſibi vires addebat, certus, quo plura in terris pro Chriſti gloria atque utilitate Fidelium patereturſ, eo majus ſibi Gloriae pondus expectandum in Caelis. Atque heic praeſertim prodit, ſe cupere *diſſolvi*, non ut finem faciat laboribus & periculis, ſed ut ſit *cum Chriſto*, & coram Chriſto ſiſtatur, cujus Gloriae participem ſe confeſtim futurum novit. Chryſoſtomum, ut alios omittam, audi, tutiorem certe Pauli Interpretem, quam Burnetus, Homil. III. in Epiſtol. ad Philippenſ. Cap. 1. *Diſſolvi multo magis melius, & quid eligam, ignoro. Quid ais? Quum hinc abiens AD CAELUM SIS MIGRATURUS, & CUM CHRISTO FUTURUS, ignoras, quid eligas? Ecquis pugil, quum coronam poſſit induere, malit rurſus in certamen deſcendere? Ecquis Dux, qui a bello cum gloria & trophaeis liberari queat, & cum Rege in Regia quietus degere, ſeque oblectare, adhuc & ſudare praeoptet, & in aciem prodire?* Ita ille, ita & nos ſentiamus oportet.

## CAPUT TERTIUM.

*Aliis Scripturae locis confirmata Catholicae Eccleſiae ſententia. Non poſtremum tantummodo* Judicium *agnoſcendum, ſed & alia occulta. Alioſque Chriſti* Adventus *admittere neceſſe eſt, tum in ſingulorum Fidelium morte, tum ad Hieroſolymae excidium. Reſurrectionis Dogma nihil pugnat contra inchoatam Animarum Beatitatem in Regno Caelorum.*

USQUE ad Reſurrectionem Burnetus vectes ferreos injecit caeleſti Hieruſalem, ejuſque oſtia omnibus, praeterquam Chriſto, clauſit. Quam bene, hactenus vidimus. Adducatur nunc in examen alter Scripturarum locus Luc. XXIII. 41. ubi poenitens Latro dicebat ad Jeſum: *Domine, memento mei, quum veneris in Regnum tuum. Et dixit illi Jeſus: Amen dico tibi; Hodie mecum eris in Paradiſo.* Conſueverunt hoc uti, qui cenſent, ſtatim a morte caeleſte Regnum a Juſtis iniri. Et profecto quum Latro petat a Redemtore locum in ejus *Regno*, Chriſtus vero ei *Paradiſum* illo ipſo die polliceatur, omnino videtur idem locus ſub diverſis nominibus nobis exhibitus. Verum, ne quid diſſimulem, *Paradiſi* appellatio apud Patres non tam liquida eſt, ut cer-

certam & inconcuſſam ejus ſignificationem ad praeſentis controverſiae deciſionem trahere liceat. Incongruum quippe nonnullis viſum eſt, in caeleſtem Regiam fortunatum hunc Latronem invehere ante Chriſtum ipſum, qui quadraginta tantum diebus poſt Reſurrectionem ſuam illuc aſcendit. Praeterea quum triduo Anima Chriſti a Corpore ſejuncta in infernis piorum ſedibus verſata fuerit: quei tempore illo Latronis Anima facta eſt caeleſtis Regni compos? Haec tamen alios, eoſque longe plures, minime abſterruerunt, quin ſub *Paradiſi* vocabulo ſignificante deliciis refertam manſionem, *Paradiſum Caeleſtem*, ſive ſupremum Beatitatis locum deſignatum cenſuerint. Chriſtus enim inquit: *Mecum eris hodie*. Non illudit, ſed confirmat Latroni ſpem Regni, & quidem accipiendi non ſero, ſed poſtquam beata Anima ſua Corpore ſoluta fuerit. Neque opus fuit, Animam Latronis in Caelum invehere ſtatim. Etiam ad inferos deſcendens Chriſtus, Limbum Patrum convertit in locum inaeſtimabilis felicitatis. Et ubi Caelum recogites, certe ibi divinitate Chriſtus praeſens erat, atque inde, qua Deus, nunquam receſſit. Ad iſta accedat Apoſtoli verbum, magni in hac quaeſtione faciendum. Nimirum Secunda ad Corinth. XII. 2. teſtatur, ſe *raptum uſque ad tertium Caelum*, atque inſuper ſe *raptum in Paradiſum*, ubi audivit *arcana verba*, *quae non licet homini loqui*. Quicunque ſcopum Pauli attente conſiderat, ejuſque ſermonem recte perpendit, nunquam ſibi perſuadeat, raptum fuiſſe Apoſtolum in Paradiſum terreſtrem Adami, ſed quidem in ſummum Caelum, atque in Beatitudinis ſedem; ibique ineffabilia ſibi a Deo revelata: ita ut, ſi quis forte veterum minus honorifice de *Paradiſo* ſcripſerit, in Limbum Patrum, atque in inferioris terrae partes illum conjiciens, ab eo abſcedere cogamur. Certe plerique Interpretum a primis Eccleſiae Saeculis ad noſtra uſque tempora, inter quos & Hammondus Britannus, *Paradiſi* vocabulo indicatum cenſuerunt Caelum ipſum, ubi in deliciis aeternis Beatorum animae Deum intuentur, atque ejus Gloria fruuntur. At de hoc uberius infra.

Ancipitis quoque ſignificationis nomen eſt *Sinus Abrahae*. De hoc etiam infra agetur. Interea de Lazaro paupere legimus Luc. XVI. 22. *Factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in Sinum Abrahae. Mortuus eſt autem dives, & ſepultus in Inferno. Elevans autem oculos ſuos, quum eſſet in tormentis, vidit Abraham de longe, & Lazarum in ſinu ejus*. Quae eo in loco Dominus tradit, aperte produnt, Divitem in tormentorum loco fuiſſe, Lazarum vero in alicujus Felicitatis regione, in quam Angelorum

miniſterio fuerat deportatus. Praeterea ſunt, qui arbitrantur, *Sinum Abrahae* ſignificare non quenpiam locum, ſed honorificam ſedem in regione illa, ubi cum Juſtis ſervabatur Abraham, pater *omnium credentium*. Nempe ei proximus ſedebat Lazarus, apud illum ſupra complures alios honoratus. Et laudanda ſane, immo ceteris praeferenda interpretatio. Nam & Joann. I. 18. dicitur *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris:* & XIII. 23. *Erat ergo recumbens unus ex Diſcipulis ejus in ſinu Jeſu, quem diligebat Jeſus*. Quae in eum finem commemoro, ut ſi quem ex antiquis offendimus, qui poſt Domini Aſcenſionem in Caelum ſcribant, Juſtorum Animas *in Sinum Abrahae* deferri, nil mireris. Per ea verba Caeleſtis quoque Beatitudo delineatur, in quam translatus eſt Abraham a victore mortis Chriſto. Ideo Matth. VIII. 11. dicitur: *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Iſaac & Jacob in Regno Caelorum:* ideſt, uti Grotius interpretatur, gaudia poſt hanc vitam, more tunc recepto, ſub *Convivii* ſpecie deſcribens. Proinde Chryſoſtomus Homil. XXVII. in Matthaeum, haec de Domino noſtro habet: *Caeleſte Regnum non ſuo nomine, ſed Sinum Abrahae appellavit*. Sunt & alia in hanc rem veterum loca, quae infra commemorabo.

Nunc nobis animadvertendum, Divitem *in tormentis* fuiſſe, atque *in Inferno* concluſum: nam verba iſta in antiquis Codicibus conjunguntur cum *elevans oculos*. Quae forent ejuſmodi tormenta, ille ipſe prodit inquiens: *quia crucior in hac flamma*. Neque Corpus, ſed Animam duntaxat ibi excruciatam fuiſſe, certo agnoſcimus, quum Diviti *quinque fratres* eſſent, adhuc in terra viventes; is autem optabat, ne & *ipſi venirent in hunc locum tormentorum*. Ergo nondum facta Reſurrectio Corporum. Porro tria hinc hauriuntur, eaque maximi momenti ad controverſiam noſtram. Primum eſt, negari amplius non poſſe, quin Improborum Animae ſtatim a morte in Inferorum tormenta conjiciantur, ibique excrucientur ante Corporum Reſurrectionem. En Divitis Animam ad ea ſupplicia deductam, dum adhuc vivi ejus fratres verſarentur in Mundo. Jugulant haec prorſus Burneti ſententiam, qui & Injuſtis poenam differt uſque ad poſtremum orbis univerſi Judicium, eumque Haereticum produnt. Simul etiam oſtendunt, quam temere & inepte is tradat, Animas ſine Corpore ſumma Beatitudine frui, aut excruciari non poſſe. Secundo, ſi Animae peccatorum pondere preſſae, atque a corporeis vinculis expeditae, in tormentorum locum detruduntur, neque expectanda eis eſt Archangeli tuba & conſummatio Saeculi; par militat ratio, quare

neque

neque Juſtorum Animabus in Chriſto morientibus Felicitatis aeternae praemium differendum ſit in finem uſque Mundi. Nam cur par non ſit utrobique divinae Juſtitiae menſura? Tertio, duplex Judicium a Deo faciendum Catholicorum Theologi ſtatuunt: alterum privatum & occultum, videlicet mox ut unuſquiſque hominum e vivis decedit. Tunc enim quilibet aeterno Judici operum ſuorum rationem reddit, ejuſque ſententiam ſubire cogitur, ad praemium aut ad poenam tranſeunte Anima illius. Ad hujus dogmatis veritatem ſtabiliendam adferri conſuevit Apoſtoli locus Hebraeor. IX. 27. *Statutum eſt hominibus ſemel mori. Poſt hoc autem Judicium.* Neque injuria hiſce verbis utimur, quum nulla ibi inter mortem hominis, & occultum Judicis Dei tribunal mora interponatur. Et quamvis nonnulli arbitrentur, ibi Apoſtolum loqui non de ſingulari, ſed de univerſali Judicio Dei in fine Mundi; doctrina tamen de privato Dei Judicio ſtatim a morte hominum ex iiſdem verbis multo rectius ac veriſimilius reſultat, utpote quae etiam ex aliis Sacrarum Literarum & Patrum documentis deprehenditur firmiſſima, immo ſine temeritate ac laeſione Chriſtianae Fidei negari non poteſt. Hujuſmodi Judicium agnoſcit & confirmat Sanctus Thomas non uno in loco: ſed praeſertim in ſumma Tom. III. Quaeſt. 59. Artic. V. Praeterea Sanctus Auguſtinus Lib. XX. Cap. 1. de Civitate Dei, praeter *noviſſimum Judicium* alia agnoſcit *media Dei Judicia*, quum Deus judicet *etiam de ſingulorum hominum operibus propriis; & homines plerumque aperte, ſemper occulte, luunt pro ſuis factis divinitus poenas, ſive in hac Vita, ſive Poſt Mortem.* Alios Patres hujus doctrinae teſtes infra adducam. Reliquit autem divinus Magiſter ineluctabile hujuſmodi veritatis exemplum in Divitis Anima, nondum reſumto Corpore, apud Inferos excruciata. Quamobrem etiamſi aperta Scripturae verba deeſſent, facta non deſunt, quibus ipſum dogma perſuadeatur. Nimirum nullum habemus intervallum inter Divitis mortem & ſupplicium. Iſtius damnationem, iſtius poenam Judicis ſententia praeceſſerit oportet. Rurſus Auguſtinum audi Lib. II. Cap. 4. de Anima & ejus origine. *Rectiſſime & valde ſalubriter credit, judicari Animas, quum de Corporibus exierint, antequam veniant ad illud Judicium, quo eas oporteat jam redditis Corporibus judicari, atque in ipſa, in qua haec vixerunt, Carne torqueri, ſive gloriari. Hoc ita-ne tandem neſciebas?* Hujus quoque doctrinae fundamenta inter cetera indicat, addens: *Quis adverſus Evangelium tanta obſtinatione mentis obſurduit, ut in illo Paupere, qui poſt mortem ablatus eſt in Sinum Abrahae, & in*

*illo Divite, cujus in Inferno cruciatus exponitur, ista non audiat, aut audita non credat?* Haec Novatorem Burnetum feriunt, & doctrinae Catholicae vetustatem produnt. Quare prorsus corruere videas Burneti ejusdem argumentum, dum scribit: *Nec sacris Literis, nec Rationi naturali consentaneum esse videtur, summas poenas exigere, aut summa praemia erogare, antequam res in Judicium deducta fuerit, & de cujusque causa constiterit. Judicium autem nullum memorat Scriptura sacra ante finem Mundi.* At nos jam manu tenemus, ante extremum Mundi Judicium inflictas Diviti mortuo poenas: ergo non unum tantummodo universale Judicium, sed Judicia quoque peculiaria in hominum morte a Deo habenda credamus. Infra quoque vide Caput XXVIII.

Lucis incrementum majus accipit sententia nostra ex Joann. XIV. 1. ubi Christus ad mortem profecturus, Apostolos suos hisce verbis solatur: *Non turbetur cor vestrum. In domo Patris mei mansiones multae sunt, si quo minus, dixissem vobis: Quia vado parare vobis locum. Et si abiero, & praeparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis.* Neminem futurum puto, qui non agnoscat, *mansiones* Apostolis parandas fuisse in Caelo, atque in sede omnium felicitatum, quum illas diserte Salvator statuat *in domo Patris mei.* At ecquando in eas *Mansiones* Apostolis futurus est locus? Si Burnetus auscultandus, neque post annos Mille & Septingentos paratus eis fuit locus, neque illum quisquam obtinuit; & inde erunt exclusi Justi omnes fortassis adhuc per aliquot alia annorum Millia, scilicet donec Mundo finis adveniat. Nonne hac ratione ridendae incredulis exhibentur divinae Scripturae? Quippe aut impotentiam in parando, aut promissi oblivionem, aut illudendi voluntatem Christo Domino incaute tribuit Burnetus. Verba Salvatoris, eorumque contextus hunc unum sensum praebent cuicunque videre volenti: *Verum quidem est, me discessurum a vobis: quod permolestum vobis agnosco. Verum in Caelo non mihi tantum, sed & vobis excipiendis est locus. Id non semel dixi vobis. Bene ergo vobis erit, si abiero, ac praecessero tanquam praecursor, hospitium vobis in eadem beata domo paraturus. Nam hoc facto, quum ex Mundo eritis & vos abituri, rursus ad vos veniam, & vos mecum accipiam, in Regnum Patris mei vos introducturus, ut semper ubi sum ego, & vos sitis, coheredes & participes meae felicitatis. Quare non moerori, sed gaudio discessus meus futurus est vobis.* Animadverte illud *Venio* pro *Veniam*, quod celeritatem reditus sonat.

Secun-

Secundum Burneti ſomnia dicturus fuiſſet Jeſus: *Vado parare vobis locum extra domum Patris mei, ubi per aliquot annorum millia dormietis, ſive requieſcetis.* Sed ab hujuſmodi imaginatione manifeſte abſunt Salvatoris verba: *In domo Patris mei*, ait, in Regno Caeleſti, ubi ero & ego, *vado parare vobis locum.* In praecedenti quoque Cap. XIII. 36. interroganti Petro: *Domine, quo vadis? Reſpondit Jeſus: Quo ego vado, non potes me Modo ſequi. Sequeris autem Poſtea.* Propterea Chryſoſtomus Homil. XI. in Cap. VI. ad Hebraeos: *Praecurſor*, ait, *pro nobis introivit Chriſtus. Praecurſor autem eſt aliquorum Praecurſor, ſicut Joannes Chriſti. Et non dixit ſolum introiit, ſed ubi Praecurſor pro nobis introiit, utpote quod nos quoque debeamus eo pervenire. Non eſt enim multum interſtitium inter Praecurſorem, & eos, qui ſequuntur; nam alioqui non eſſet Praecurſor.* Neque, ut rurſus repetam, excogitandum eſt, quoties in ſacris Literis Chriſtus *venire*, & Chriſti *adventus* auditur; ſingula ea loca unum ſignificare noviſſimum diem, quo Deus *judicaturus eſt Orbem in aequitate.* Praeter magnificum, omnibuſque viſibilem illius *Adventum* in fine Mundi, jam didicimus eſſe alios Salvatoris Adventus, ſed occultos & peculiares. Unus inter alios ſtatuendus, quum Juſti ex Mundo abituri ſunt, ut eos Chriſtus ſuſcipiat, atque in Regnum claritatis ſuae introducat. Miror, ſi ſit, qui haec in dubium vertat, quando ſatis aperte de aliis Adventibus Chriſtus ipſe nos monuit. Utique ait Joann. XIV. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit: & Pater meus diliget eum; & ad eum Veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Ad haec Jeſus ipſe ad ſuſcipiendum Stephani morientis ſpiritum, ſe viſibilem praebuit. Tum Lucae XII. 36. inquit: *Vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando revertatur a nuptiis, ut quum venerit & pulſaverit, confeſtim aperiant ei.* Idem inculcat ſubdendo: *Beati ſervi illi, quos, quum venerit dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod praecinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Et vos eſtote parati, quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Convivii hujus deſcriptio Caeleſtem ſine dubitatione Felicitatem deſignat, hoc eſt ineffabile illud praemium, quo ipſe Juſtos donaturus eſt, quos paratos, ſive virtutibus ac bonis operibus ornatos, atque a vitiis & peccatis alienos, in morte inveniet. Neque enim haec de ſupremo Judicii univerſalis die intelligenda ſunt. Ad Apoſtolos loquitur divinus Praeceptor, eoſque vigilare jubet. Certe illi vitam producturi non erant uſque ad finem Mundi. Tum ad *omnes* Parabolam & monitum

tum extendit, ne quenquam imparatum mors offendat, atque ut quo tempore Chriſtus ipſe adveniet, occultum Judicium de morientium operibus facturus, quilibet Fidelium vigilans deprehendatur. Hoc etiam clarius expreſſum videas apud Marcum XIII. 33. ubi Dominus ait: *Vigilate ergo, ne quum homo venerit, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.* Sententiam vero praemium ſtatim ſubſequetur.

Innuitur hoc in praelaudatis verbis, dum Apoſtolos alloquitur, eiſque *manſiones in domo Patris*, hoc eſt in aeterna Beatitudine, pollicetur. *Si abiero*, inquit, *& praeparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipſum*, quum nempe e corporeo carcere Anima veſtra evolabit, *ut ubi ſum ego, & vos ſitis.* Non ait *Sero*, eoque minus poſt duo, aut tria, aut plura Annorum Millia Veniam ad vos; ſed *Brevi*, quum ſcilicet e Mundo & vos abieritis, ut in domo Patris mei mecum ſemper ſitis. Reminiſcere, haec dici a Chriſto ſolandi cauſſa Diſcipulos, quorum cor turbatum agnoverat, quod eis dixiſſet: *Filioli, adhuc modicum vobiſcum ſum.* Non aliud ergo ſolatium adhibitum ad removendum ex eorum cordibus moerorem ac turbationem, excogitare poſſumus, niſi celerem Redemtoris ipſius Reditum, qui illorum Animas exciperet hinc abeuntes, atque in aeterna gaudia inveheret, illic, ubi Chriſtus foret, futuras & ipſas in perpetuum. Propterea infra addit: *Non turbetur cor veſtrum, neque formidet.* Cur, quaeſo, timorem & angorem depoſituri ſunt? *Quia*, repetit, *Vado, & Venio ad vos.* Chryſoſtomo quoque teſte Homil. 72. in Joann. quum Jeſus dixiſſet: *Non poteſtis me Modo ſequi; ne arbitraventur diuturniorem moram futuram*, ſive ne putarent, *uſque ad finem Mundi* (εἰς τέλος) eum eſſe moraturum, addidit: *Ut ubi ſum ego, & vos ſitis.* Et nunquid amantiſſimus Pater Deus morem nondum geſſit unigenito Filio ſuo, hiſce verbis tunc ipſum alloquenti? *Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ſum ego, & illi ſint MECUM, ut videant Claritatem meam, quam dediſti mihi*, Joann. XVII. 24. Impie aut Chriſtum Dominum, aut Evangeliſtam mendacii inſimulet, quicunque nondum completam voluntatem & promiſſionem Chriſti affirmare non erubeſcat. Diſertis verbis Dominus fidem heic ſuam obligavit: liberare procul dubio potuit. Quis contra hiſcat, aut factum non credat? Et quum dicit, *ut ſint Mecum, & videant Claritatem meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem Mundi*, ſupremam Chriſti Claritatem, hoc eſt *Gloriam* in Caelis prodit, de qua antea ipſe Dei Filius dixerat: *Et*

*nunc*

*nunc clarifica me, Pater, Apud Temetipſum* (videlicet in Regia Beatitudinis tuae) *Claritate, quam habui, priuſquam Mundus eſſet, Apud Te.* En quare Juſti cum Apoſtolo cupiant *Diſſolvi, & eſſe cum Chriſto;* quare *peregrinari a Corpore, & praeſentes eſſe ad Dominum;* quare *ambulare* non *per fidem*, quod ſolum poſſunt, dum in Corpore ſunt, ſed *per ſpeciem*, quod Corpore ſolutis continget. Chriſoſtomus quoque Homil. 66. in Cap. XII. Joann. Domini verba interpretans: *Ubi ſum ego, illic & miniſter meus*, haec habet: *Ubi Chriſtus? in Caelis. Ergo ante Reſurrectionem Illuc Anima & Spiritu transferemur.* Hujuſmodi autem *Praemio* donari ait, qui Crucem ferunt, & ſequuntur Jeſum.

Atque haec evidenter produnt, quantum a veritate abſit Burneti opinio, & ſimul quam firma ſit ſententia Catholicae Eccleſiae. Neque ſolum ad mortem Fidelium ſe adventurum divinus Redemtor praedixit, ſed & alterum ſuum denunciavit *Adventum*, occultum & ipſum, quo tempore Regnum Judaeorum excidit, capta & proſtrata illorum Urbe a Romanis Anno vulgaris Epochae LXX. & annis poſt Aſcenſionem Domini fere ſex & triginta. Tunc ad peculiare Judicium ingratae gentis Judaicae acceſſurus erat Chriſtus. Immo Judicium illud typus fuit univerſalis alterius, ad quod omnes reſurgentes in fine Mundi adſtabimus. Vide Matth. XXIV. 2. ubi deſolationem Templi praedicit, ſeque ea occaſione adventurum: quae etſi de univerſali Judicio recte interpretari conſuevimus, attamen reſpicere videntur ſingulare illud Judicium, quum ſubdat: *Amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant.* Cum his conjunge, quae idem Dominus habet Matth. X. 19. *Quum autem perſequentur vos in Civitate iſta, fugite in aliam. Amen dico vobis: non conſummabitis Civitates Iſrael, donec Veniat Filius hominis.* Confer etiam alterum locum Matth. XVI. 27. *Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis. Et tunc reddet unicuique ſecundum opera ſua. Amen dico vobis, ſunt quidam de hoc ſtantibus qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis Venientem in Regno ſuo.* Novi, referri & iſta ad glorioſum Chriſti adventum in fine Saeculorum, atque ad Transfigurationem proxime ſequutam: quae ſane interpretatio laudanda eſt, & mihi probatur. Nihilo tamen ſecius quum Adventus ille Chriſti futurus dicatur, vivente adhuc non uno ex Apoſtolis & Diſcipulis ſuis: perpendendum eſt, num ſpectare potius poſſit ad Judaici Regni excidium, in quo aeternus Judex poenas jamdiu praedictas repetiit a Populo illo, ſuo, ſuorumque Fidelium

lium perſequutore indefeſſo. Horrendo Hieroſolymae excidio notum eſt, ſaltem Sanctum Joannem fuiſſe ſuperſtitem. Ad ea quoque tempora referenda ſunt, quae habet Sanctus Lucas in Evangel. Cap. XVII. 30. *Secundum haec erit, qua die Filius hominis revelabitur;* ſubdit enim: *In illa hora qui fuerit in tecto, & vaſa ejus in domo, non deſcendat tollere illa.* Vide etiam Luc. XVIII. 7. & XIX. 39. & XXI. 6. 20. Inquit quoque Apoſtolus ad Philippenſ. IV. 5. *Dominus prope eſt:* quod de Chriſto Judice explicandum eſt, venturo vel ad mortem non longe futuram illorum, ad quos ſcribit, vel ad liberandos Fideles ſuos a Judaeorum impotentia: quod paucis inde annis contigit in populi illius terribili calamitate atque ruina. Idem vero Apoſtolus Hebraeos ad fidem Chriſti converſos, & a fratribus in ſua incredulitate obduratis vexatos, ſperare jubet pacem Hebr. X. 25. *conſolantes, & tanto magis quanto videritis appropinquantem diem. Terribilis autem quaedam exſpectatio Judicii, & ignis aemulatio, quae conſumtura eſt adverſarios.* Tum ad patientiam eos hortatur verſiculo 37. haec ſubdens: *Adhuc enim Modicum aliquantulum, qui Venturus eſt, Veniet, & non tardabit.* Ita & Jacobus in Epiſt. ſua, V. 7. *Patientes igitur eſtote, fratres, uſque ad Adventum Domini.* Et infra: *Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra, quoniam Adventus Domini appropinquavit. Ecce Judex ante januam adſiſtit.* Conjungenda quoque cum hiſce locis, ſunt, quae concordi doctrina Joannes Apoſtolus tradidit in Epiſtola Prima, Cap. II. 18. ſcribens: *Filioli, noviſſima hora eſt; & ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt* (de Gnoſticis Haereticis, qui Eccleſiam Dei tunc infeſtabant, loquitur): *unde ſcimus, quia noviſſima hora eſt.* Infra addit: *Filioli, manete in eo, ut quum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in Adventu ejus.* Haec & alia ſimilia referre ad univerſale Judicium magno cum incommodo coneris; & deceptos imaginari Apoſtolos Chriſti, blaſphemiam ſaperet. Ergo praeter ſolemnem & glorioſum Chriſti Adventum, quem in fine Mundi Chriſtiani quique exſpectamus, alios illius Adventus in Scripturis ſacris indicatos videmus; hoc eſt, aut ad mortem ſingulorum Fidelium, ad quos Apoſtoli ſcribebant, aut ad Templi & Reipublicae Judaicae poſtrema fata, paucos poſt annos ſubſequuta: quod & Sanctus Auguſtinus agnovit Lib. XX. Cap. V. de Civitate Dei. Quos autem tunc viventes hortatur Joannes, ut *quum Chriſtus apparuerit, habeant fiduciam* (apparituram vero brevi ſatis prodit) hos Cap. ſubſequenti verſ. 2. aliis hiſce verbis

ſola-

ſolatur: *Cariſſimi, nunc filii Dei ſumus; & nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam quum apparuerit, ſimiles ei erimus; quoniam videbimus eum, ſicuti eſt.* Si haec, uti videtur, cum praecedentibus cohaerent, jam habes, non exſpectaſſe Juſtos Reſurrectionem Corporum in poſtremo Judicio, ut ad ſummam Beatitudinem, & *Viſionem Dei* admitterentur. Hoc ipſum vero edocuit Apoſtolus idem a Chriſto dilectus, Apocalypſ. II. 25. *Tamen id, quod habetis, tenete, donec veniam.* Et infra Cap. III. 3. *Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & neſcies, qua hora veniam ad te.* Et rurſus eodem Cap. III. 11. *Quoniam ſervaſti verbum patientiae meae, & ego ſervabo te ab hora tentationis, quae ventura eſt in orbem univerſum tentare habitantes in terra. Ecce Venio cito. Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Et infra verſ. 20. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & coenabo cum illo, & ipſe mecum. Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo.* Luculentius eadem inculcat Sanctus Apoſtolus in fine Apocalypſeos ipſius Cap. XXII. 7. *Et ecce,* inquit, *venio velociter.* Et verſ. 12. *Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundum opera ejus.* Et verſ. 20. *Dicit, qui teſtimonium perhibet iſtorum. Etiam Venio cito. Amen. Veni, Domine Jeſu.*

Accedat nunc Burnetus, nobiſque depraedicet unum Chriſti Adventum, unum illius Judicium in fine Saeculorum, atque in tempus adeo enorme differat proborum praemia, & poenas improborum. Exigat ille a nobis, ut ſacrarum Literarum loca proferamus, quibus ante magnum illum diem alius oſtendatur Domini Adventus, & expedita operum retributio. En loca, en lucem, a qua ipſe oculos avertit, ad gloriam e novitate dogmatis captandam unice intentus. Non nobis, inquam, ille ingeminet, *Adventum Domini* de ſolemni tantum illius apparitione in fine Mundi eſſe intelligendum. Quantum is fallatur, jam perſpeximus. *Dies* quoque *Domini* non ſemper ſupremum Judicium indicat, quum Apoſtolus ad Philippenſ. I. 6. ſcripſerit: *Qui coepit in vobis opus bonum, perficiet uſque in Diem Chriſti Jeſu:* hoc eſt, uſque ad obitum veſtrum, perſeverantiae gratiam vobis impertiendo. Atque huc facere, ſimulque hinc accipere poſſe interpretationem videtur locus Joannis Apoſtoli XXI. 22. ubi Dominus de ipſo dixit ad Petrum: *Sic eum volo manere, donec Veniam; quid ad te? Exiit ergo ſermo ille inter fratres, quia Diſcipulus ille non moritur. Et non dixit Jeſus, non moritur; ſed: Sic eum volo*

*manere, donec Veniam: quid ad te?* Joannes profecto Hierosolymorum excidio superstes fuit, ad quod Dominus se Venturum praedixit. Tunc ergo habes completum Christi vaticinium. At Apostoli, quod Domini Adventum ad poenas de Judaeis sumendas tunc minime excogitarent, arbitrati fuere, ad postremum Orbis Judicium differendam fore Joannis mortem. Ejusdem vero Sancti Joannis verba nuper accepimus, hortantis tunc viventes, *ut quum Christus apparuerit, habeant fiduciam*, quem brevi Venturum prodit. At inquit Burnetus pag. 59. *Judicium nullum memorat Scriptura sacra ante finem Mundi.* Tum loca adtexit, quibus Scriptura supremum illud Judicium nobis annunciat. Matt. XXV. 31. *Quum venerit Filius hominis in majestate sua &c.* & *statuet oves quidem a dextris suis &c.* & Prima ad Corinth. III. 13. *uniuscujusque opus manifestum erit. Dies enim declarabit &c.* & Secunda ad Corinth. V. 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum &c.* Subdit Burnetus: *In his, quae pendent a voluntate Dei & a revelatione divina, non licet ad arbitrium fingere novam rerum oeconomiam, ut hypothesi serviamus.* Verum hujusmodi oeconomiam veluti novam ille sibi fingit, postquam nulla alia divinarum Literarum loca animadvertere voluit, quibus evincitur, alia quoque Judicia ante novissimum a Christo institui, & statim a morte Animas hominum aut castigari, aut mercede donari. In eo ipso Cap. V. Epistol. II. ad Corinth., uti supra vidimus, praemiserat Apostolus, nos cupere *peregrinari a corpore, & praesentes esse ad Dominum:* quae verba idem important, atque *dissolvi, & esse cum Christo.* At instat Burnetus: quid igitur ultra praestabit universale Judicium, si peculiare praecessit? Et quomodo *unusquisque* tunc *referet propria corporis*, si ante Resurrectionem, ut nuper ajebat Sanctus Joannes, redditum fuit *unicuique secundum opera ejus?* Uti ostendimus, ad singulorum hominum mortem de illorum bonis malisve operibus Deus Judicia instituit, & Evangelicum Divitem vidimus detrusum confestim fuisse in *tormenta*, atque in *flammis cruciatum*. Licet autem nobis, de ipsis privatis Christi Judiciis accipere verba Apostoli monentis: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria Corporis.* Quod si ea referre contendas ad universale Judicium, animadverte, Apostolum tantummodo *de Corpore* loqui. *Propria Corporis* inquit. Tunc autem in sententia nostra unum Corpus referet praemium aut poenam; antea quippe Anima retulit. Sanctus quoque

Ire-

Irenaeus, quanquam Millenariorum ſententiae addictus, & a Burneto pro ſua ſententia laudatus, dum tamen Lib. II. Cap. 34. Divitis & Lazari *relationem* commemorat, ſatis innuere videtur ejuſmodi Judiciorum minime procraſtinatam ſententiam, ſcribens: *Per haec enim manifeſte declaratum eſt, & perſeverare Animas, & non de corpore in corpus tranſire &c. & Propheticum quoque adeſſe Abrahae, & Dignam Habitationem unamquamque Gentem percipere, etiam ANTE JUDICIUM.* Mirum vero eſt, cur Sanctus ille Epiſcopus, poſtquam agnovit, Animam Divitis ſtatim a morte migraſſe *in illum locum poenae*, hoc eſt, *tormentorum*, & *flammarum*, ſimul etiam non agnoverit, ex Juſtitiae menſura, Animas Juſtorum ante univerſale Judicium transferri in Caeleſte Regnum, *dignam* videlicet *habitationem* morientium in Domino, uti Tormentorum locus *digna* eſt *habitatio* Improborum. Atqui ſingularia iſta Judicia Dei occulta ſunt, & fere ſemper nobis ignota; & quid de iis, qui praeceſſerunt, judicaverit Deus, nihil reſcire licet, & nihil in poſterum licebit. Porro Dies aderit, dies irae, quo tum bona, tum mala opera hominum manifeſta in conſpectu omnium volet Altiſſimus; quae nunc latent, tunc aperientur: & fiet *Revelatio juſti Judicii Dei*, ut ait Apoſtolus ad Roman. II. 5. Neque fruſtra dictum putemus, ut nuper vidimus, *uniuſcujuſque opus manifeſtum erit, & nos manifeſtari oportet.* Scilicet, uti monuit Sapientia III. 2. *Juſti viſi ſunt oculis inſipientium mori, & aeſtimata eſt afflictio exitus illorum, & quod a nobis eſt iter, exterminium: illi autem ſunt in pace; & caſta generatio in perpetuum coronata triumphat.* Verum ſupremo adveniente Judicio, *ſtabunt Juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt.* Contra Impii *videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatae ſalutis, dicentes intra ſe: Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum. Nos inſenſati vitam illorum aeſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei &c.* Quare nihil privata Dei Judicia obſtant, quominus ſolemne totius generis humani Judicium a Deo inſtituatur, tum ad Juſtorum gloriam, tum ad Iniquorum confuſionem, atque ut eluceat aeterni atque incorrupti Judicis Juſtitia, prodentis in unoquoque, & confirmantis in omnium oculis mercedem antea in occulto redditam.

Supra objiciebat nobis Burnetus Sancti Auguſtini verba Lib. XII. Cap. 35. de Geneſ. ad Literam, videlicet: *Quid opus eſt Spiritibus Corpora ſua in Reſurrectione recipere, ſi poſtea iis etiam ſine*

*Corporibus ſumma illa Beatitudo praeberi?* Peto & ego, quid Auguſtinus reſponderit. At Burnetus ſuum non cenſuit reliqua referre. Ergo ubi bona hominis fides? Non veritatem inquirere, ſed ſententiam ſuam perſuadere incautis, unus illi erat ſcopus. Adferam ego, quod ille omittendum cenſuit. Effrene ingenium Tertulliani in Apologiae Cap. 48. & de Animae teſtimonio Cap. 4. neceſſariam Carnis Reſurrectionem cenſuit, *quia neque pati quicquam poteſt Anima ſola ſine materia ſtabili, ideſt Carne; & quod omnino de judicio Dei pati debent Animae, non ſine Carne meruerunt, intra quam omnia egerunt.* Non uno in loco Sanctus Auguſtinus primam ex hiſce rationibus confutavit. Et quod mirere, Tertullianus a ſe ipſo diſcors in Lib. de Reſurrection. inanem illam opinionem confeſſus fuit, quum ſcripſit: *Nam & nunc Animas torqueri, foverique penes Inferos, licet nudas, licet adhuc exſules Carnis, probavit Lazari exemplum.* Vide etiam infra Cap. IX. ejuſmodi opinionem ab ipſo Tertulliano ejuratam. Porro alteram rationem adeo exaggeravit Athenagoras, ut e juſtis limitibus exceſſerit, contendens, laeſum iri Juſtitiam, ſi Animam diſſociatam Corpore praemio & poenae obnoxiam ſtatuamus, quum ad rectum Dei judicium ſpectet, Carni quoque ſuam conferre mercedem, quae particeps laborum cum in Virtutibus, tum in Vitiis fuit; *& qui ſingula in vita egit, de quibus judicandum eſt, Homo fuit, non Anima ſola.* Urgent & alii Sancti Patres, ſed moderatius, rationem iſtam, aequum arbitrati, ſuum quoque praemium aut poenam Corporibus, quum reſurgent, in altero Saeculo non denegari; ac propterea conſtitutam a Deo fuiſſe Reſurrectionem Carnis. Id & nos probamus: ſed nullam agnoſcimus rationem, cur Deus nequeat, ſive nolit retributionem nunc dare Animabus, daturus poſtea Corporibus quoque, quum Reſurrectionem omnibus imperabit. Auguſtinus autem ad propoſitam ſibi quaeſtionem ea reſpondet, quae nunc etiam in Catholicorum ſchola a non paucis traduntur; ſcilicet, *Animam* ſolutam Corpore *non ſic videre poſſe incommutabilem ſubſtantiam, ut ſancti Angeli vident; ſive alia latentiore cauſſa, ſive ideo quia ineſt ei naturalis quidam appetitus Corpus adminiſtrandi; quo appetitu retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud ſummum Caelum, quamdiu non ſubeſt Corpus, cujus adminiſtratione appetitus ille conquieſcat.* Origenes quoque contra Celſum Lib. VIII. in Chriſtianis morientibus deſiderium Corporis a calumniis Celſi vindicat, inquiens: *Atque hac ratione Reſurrectionem quoque Juſtorum deſideramus ſperamuſque.* Addit Auguſtinus, Apoſtolo abrepto in tertium Caelum &

Para-

Paradiſum, hoc defuiſſe *ad plenam perfectamque cognitionem rerum, quae Angelis ineſt. Hoc utique non deerit, quum receptis Corporibus in Reſurrectionem Mortuorum, corruptibile hoc induetur incorruptione.* Itaque in Reſurrectione Carnis augebitur tum Juſtorum Beatitudo, tum Improborum miſeria: & Corpus, quo nunc Anima gravatur, ineffabilibus dotibus tunc ornatum, ei ad majorem gloriam ſociabitur. Habemus ergo, dummodo juſtitiam heic amemus, & opere compleamus, unde ſpes noſtra & gaudium augeatur, ubi beatam illam immutationem contemplemur, quae non minus Animam perfecta felicitate, quam Corpus feliciſſima immortalitate donabit.

Porro Burnetus contra *Theologiam Pontificiam* bellum continuat, inquiens, *enervari*, immo *inutilem reddi Reſurrectionem*, ſi beatitatem Animae in Regno Caeleſti anticipemus. *Quantillum eſt*, inquit pag. 62. *quod nobis accedit a Reſurrectione, ſecundum hos Theologos? Quam male convenit illis cum Sancto Paulo! Hinc ſuum praemium unice repetit: hinc ſuam coronam Apoſtolus. Hinc aliis contra vim mortis, aut malorum quorumcunque, conſolationem maxime arceſſit. Poſtremo, quod Paulus noſter Secunda Corinth. IV. 17. aeternum pondus gloriae appellat, id illi levis ſuperpondii loco habent.* Ita ille: cui reſponſum velim, indulgere nimis genio ſuo, quicunque adeo fidenter ſtatuit varia Scripturarum loca reſpicere ad unum tempus Reſurrectionis, in fine tantum Mundi faciendae. Jam animadvertimus, aliter ſenſiſſe divinum Magiſtrum, aliter ejus Apoſtolos. Locus ipſe Pauli nuper laudatus, videlicet: *Id enim, quod in praeſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtrae, ſupra modum in ſublimitate aeternum Gloriae pondus operatur in nobis*, ſententiae noſtrae conſentaneum eſt. Neque enim Apoſtolus ejuſmodi Gloriam differt uſque ad excidium Mundi, ut ſibi Burnetus perſuadet, ſed ſtatim poſt exceſſum e vivis Juſto homini tribuendam tradit, quum Cap. V. ſequenti ſubdat, melius nobis eſſe *peregrinari a Corpore, & praeſentes eſſe ad Dominum:* uti ſupra vidimus. Quod tamen in quaeſtione hujuſmodi praeſertim conſiderandum venit, duplicem ob cauſſam ſummi momenti eſt in Chriſtiana Religione dogma, & ſpes Reſurrectionis. Nam ad Corpus quod attinet, ejus reſtitutionem ad vitam pauci aut nihili facere videtur Burnetus; & contra pro ingenti dono Juſtis conferendo Scriptura ſacra, & veteres quivis illam habuerunt; quod nempe corruptibile hoc induturum ſit incorruptionem, & per ejus ſocietatem multiplicabitur in Saeculorum fine Animabus juſtis laetitia. *Seminatur in corruptione*, inquit Paulus Prima ad Corinth. XV. 42. *ſur-*

42. *surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria &c.* Altera causſa eſt, *Reſurrectionis* quidem nomen reſpicere ad unum Corpus, quod cecidit, ſed ſecum neceſſario involvere certitudinem Immortalitatis Animae, adhuc poſt Corporis interitum viventis, vigentis, neque dormientis, uti Burnetus arbitratur. Si Reſurrectio Mortuorum datur, ergo Anima aeternum vivit, neque cum Corpore cadit. Negabant Sadducaei, teſte ſancto Luca in Act. Apoſtolor. XXIII. 8. ſpiritales ſubſtantias praeter Deum; ſcilicet negabant *Angelos, & Spiritus*, hoc eſt *Animas hominum;* ac propterea contendebant *non eſſe Reſurrectionem.* Chriſtiani contra cum Phariſaeis ſentiebant, Angelos, & Animas hominum immortales exſiſtere: quod poſtremum, ex quo Chriſtus reſurrexit a mortuis, & mortuorum Reſurrectionem dilucide praedicavit, certiſſimum dogma evaſit apud quencunque Chriſti Fidelem. Si Chriſtus reſurrexit (is autem ſine dubitatione reſurrexit) certo nos quoque reſurgemus. Hoc identidem Apoſtolus inculcat; ac proinde e certitudine futurae Reſurrectionis pendet atque elicitur dogma de Immortalitate Animae. Haec autem ſumma Fidei noſtrae eſt, heic omnis Spes Chriſtianorum ſita. Nam ſi Anima cum Corpore perit, quis locus, quaeſo, Religioni ſupereſt? Animam non perire continuo intelligimus, quia Reſurrectio futura eſt, ejuſque veritatem confirmavit Reſurrectio Chriſti. Igitur uti Chriſtiani veteres vel inter ipſas aerumnas ac tormenta fortes atque hilares conſiſtebant, quia *ſpes illorum immortalitate plena erat*, ita & nos alit eadem ſpes, & indeficienti gaudio perfundit.

Quae nunc de certitudine Animae immortalis petenda dixi e certitudine Reſurrectionis, a divinae Scripturae verbis confirmantur. Salvator Mar. XII. 26. Judaeis dicebat: *De mortuis, quod reſurgant, non legiſtis in Libro Moyſi: Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob? Non eſt Deus mortuorum, ſed vivorum.* Nondum reſurrexerant Abraham, Iſaac, & Jacob. Chriſtus vero ita argumentatur: Nemo dicitur dominus rei, quae omnino periit, & nuſquam eſt. Atqui Deus eſt Deus (ſcilicet Dominus) Abraham, Iſaac, & Jacob, atque hi non ſunt vivi Corpore. Ergo ii vivunt quoad Animam. Atque heic habes, ex certa Reſurrectionis fide certam nobis praeſtari Animorum Immortalitatem. Rurſus Apoſtolus Prima ad Corinth. XV. 16. ajebat: *Nam ſi mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit. Quod ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt Fides noſtra. Ergo & qui dormierunt in Chriſto, perierunt: Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.*

Comme-

Commemorat & Burnetus hunc Apoſtoli locum, ut inde educat, felicitatem Juſtorum expectandam eſſe ex Reſurrectionis die. Sed alia eſt Apoſtoli mens. Animam non extingui cum Corpore, oſtendendum ille ſibi ſumit e dogmate Reſurrectionis. Nam ſi ſtat doctrina, quam depraedicamus, fore ut Mortui ſuſcitentur, inde conſequitur, etſi nunc pereat Corpus, incolumem ſupereſſe Animam, ſemperque vivere, donec ad priſtinam cum Corpore ſocietatem redeat. Si vero fallax eſt de Reſurrectione opinio, neceſſe eſt, non Corpus tantum, ſed & Anima in hominis morte perierit; ac propterea *& qui dormierunt in Chriſto, perierunt*. Nos vero Chriſti ſectatores, addit Apoſtolus, quum in praeſenti vita tot aerumnis & contumeliis propter Chriſtum, & ſpem vitae aeternae vexemur, ſi verum foret, quod nonnulli ex Ethnicis & Sadducaeis perſuadere vellent, videlicet perire Animas in morte noſtra: ceteris *hominibus miſerabiliores* dicendi eſſemus, utpote quibus neque in praeſenti, neque in futuro Saeculo ullum foret ſolatium. En cur tanti factum fuerit dogma Reſurrectionis, non ſolum, quia rurſus excitandum eſt Corpus, ſed etiam quia inde certo hauritur a Chriſti Fidelibus eximium illud Religionis principium de Immortalitate Animae. Itaque ſive mortui Corporis futuram vivificationem, ſive Animae immortalis exſiſtentiam, e Reſurrectionis doctrina manantem, conſideremus, ſemper fuit, ſemperque erit inaeſtimabilis pretii apud Chriſtianos dogma de ipſa Reſurrectione Corporis. Hanc autem & ſperare, & vehementer cupere non immerito conſueverunt Sancti Patres. Nunc tantummodo Animae Juſtorum purgatae coronantur in Caelis. Tunc homo, e Corpore & Anima conſtans, reſumta Carne, totus coronabitur. Tunc perfecta & omnibus numeris conſummata felicitas erit, *Deo pro nobis melius aliquid providente*, ut qui jam praeceſſerunt ad aeterna gaudia, *non ſine nobis conſummarentur*, Hebr. XI. 40. ideſt non ſine nobis, neque ante nos, Corpora ſua in Reſurrectione recipiant. Juſtis & nunc poſt mortem retributio datur & Beatitudo, quae Animabus congrua eſt. Poſtremo autem die in omnium Reſurrectione plena erit & completa Beatitudo, quum ſuum Corpus Anima receperit.

CA-

# CAPUT QUARTUM.

*Apocalypſeos loca quaedam non Burneti ſomniis, ſed Catholicorum ſententiae omnino faventia. Quid* Altare, *quid* Thronus Dei *ibi. Remuneratio, Sanctis a Deo promiſſa, brevi complenda.* Requies *&* Requieſcere *in ſacris Literis, & apud Patres, Felicitatem ſummam in Caelis jam conlatam Juſtis ſignificat. Non una* Reſurrectio *in divinis Libris.*

PRAETEREA inquit Burnetus pag. 43. Viſne ſcire Juſtorum ſtatum poſt mortem? audi Joannem in Apocalypſ. VI. 9. ſcribentem: *Vidi ſubtus Altare Animas interfectorum propter verbum Dei &c. Et clamabant voce magna, dicentes: Uſquequo, Domine, non vindicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant in terra?* Non in Caelo, ſed *ſub Altari*, Sanctorum Animae adhuc quieſcunt. Atqui Burnetus, uti jam monui, in ſacris Literis ea tantum expiſcatur, quae cum opinione ſua conſentire videntur; reliqua vero, quae adverſantur, lubentiſſime dimittit, ſive contemnit. Non aliter Ariani e ſacro illo fonte ea tantum depromere conſueverunt, quae Filium minorem Patre ſuſpicari faciunt, ceteris parcentes, unde ejus aequalitas manifeſte confirmatur. Sed eſt amantium veritatem, ſingula in divinis Libris ſincere rimari, diligenter expendere, & ubi pugnantia videantur, perquam ſolicito ſtudio conciliare. Mirum porro eſt, quei Burnetus pro ſua opinione locum iſtum adhibeat, quum & eo ipſo, neque injuria, utantur Catholici ad ſuam ſtabiliendam. Neque is ignorat, quot interpretationibus obnoxia heic ſint Joannis verba. Profecto ſi Burnetus heic *Altare* accipit pro materiali quopiam Altari, ſub quo concludantur omnes Animae interfectorum propter verbum Dei, riſum commoveat, utpote qui in nubibus aedificet. Itaque animadverte, viſionem iſtam factam fuiſſe Joanni in Caelo, quo nempe is raptus fuit ſpiritu. *Ecce oſtium apertum in Caelo. Aſcende huc, & oſtendam tibi, quae oportet fieri poſt haec. Et ſtatim fui in ſpiritu &c.* Apocalypſ. IV. 1. Caeleſtem ergo Regiam exhibet ad inſtar Templi, ubi myſtica candelabra & lampades, myſticum Altare & Sedes, ſive Thronus Dei Patris cum Agno ſedentis, ad quem Seniores, ideſt

Ange-

Angeli, aliique Curiae caeleſtis incolae dicebant: *Sedenti in throno, & Agno, benedictio & honor & gloria &c.* Quum ergo *ſub Altari* Joannes conſpexit Martyrum Animas, non in terreſtri quodam carcere eas vidit, uti ſomniat Burnetus, ſed quidem in Caeleſti Templo, ibique, ubi divina Patris majeſtas & gloria Agni, hoc eſt, Chriſti ad ejus dexteram ſedentis, effulgebat. Expetebant inſuper Martyres vindictam ſanguinis a ſe pro Chriſto fuſi, quibus reſponſum fuit, *ut requieſcerent adhuc tempus modicum*, hoc eſt, expectarent vindictam *poſt modicum tempus:* quod & re ipſa factum eſt in proximo Judaeorum excidio, aut in everſione Regni & Religionis Gentilium, a quibus tam enormia ſupplicia retulerant Chriſti Fideles. Atque hoc ipſum a Domino praedictum fuerat non uno in loco, ſed praeſertim Luc. XVIII. 8. *Dico vobis, quia Cito faciet vindictam illorum.* Ad haec, minime expectato tempore vindictae illius, *datae ſunt* Martyrum Animabus *ſingulae ſtolae albae.* Quid, quaeſo, *Stola* iſta ſignificat, niſi *Stolam Gloriae?* qua ornatum Dominum quoque Jeſum Chriſtum praenuntiavit Iſaias LXIII. 1. *Iſte formoſus in Stola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuae.* Ita mulieres ad ſepulcrum Domini poſt ejus Reſurrectionem convenientes, Marc. XVI. 5. *viderunt juvenem* (ideſt Angelum) *ſedentem in dextris, coopertum Stola candida.* Quae *Stola* Marco eſt, a Sancto Luca appellatur *veſtis fulgens* XXIV. 4. Matthaeus etiam XXVIII. 2. ſcribit: *Angelus Domini deſcendit de Caelo, & accedens revolvit lapidem. Erat autem aſpectus ejus, ſicut fulgur, & veſtimentum ejus, ſicut nix.* Quare nulla dubitatio futura eſt, quin *Stolae* ſymbolo deſignetur Gloria Sanctorum, & quidem in Caelo. Nam ſubdit Sanctus Joannes Cap. VIII. 1. *Factum eſt ſilentium in Caelo. Et vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei. Et alius Angelus venit, & ſtetit ante Altare, habens thuribulum aureum; & data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium, ſuper ALTARE aureum, quod eſt ANTE THRONUM DEI.* Non alibi Altare illud, niſi in Caelo, & quidem *ante Thronum Dei.* Atque hoc Caeleſte *Altare* paſſim Sancti Patres depraedicant, ita ut ſub hoc nomine aeternam Beatitudinem & Viſionem Dei, qua Juſtorum Animae fruuntur, aut ipſum Chriſtum ſignificet. Unum do Sanctum Ephraem Syrum, qui in ſuo Teſtamento ait: *Si quis fallacibus argumentis auſus fuerit ſub Altari me collocare, SUPERNUM ac CAELESTE ALTARE talis nunquam videat.* Dicuntur autem *datae ſingulae Stolae* Martyribus, quia *Animabus* tantummodo illorum datae; nam & in Reſurrectione Vi-

tae altera etiam Stola *Corpori* dabitur, quo nempe tempore totius Hominis felicitas complebitur beatitudine perfecta.

Sed quid ultra inquisitione fatigamur? Habemus Joannem ipsum dilucide nobis nunciantem, quod investigamus. Pergit ille dicere in subsequenti Cap. VII. 9. *Post haec vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus Gentibus & Tribubus & Populis* (ergo de Animabus hominum heic agitur) *STANTES ANTE THRONUM, ET IN CONSPECTU AGNI, amicti STOLIS ALBIS.* Animae erant *ante Thronum*, quo nomine sine ulla dubitatione significatur beatissima Sedes Dei Patris in Caelesti Gloria. Si erant *in conspectu Agni*, qui ad dexteram Patris sedet: manifestum est, illas tum in Caeleste Regnum fuisse invectas, tum Dei visione frui. Atque hinc simul intelligis, quid *Stola Alba* significat, videlicet *Gloriam*, qua Sancti post mortem donantur. Neque minus luculenta sunt, quae subdit infra Sanctus Apostolus, inquiens: *Hi qui amicti sunt Stolis albis, qui sunt? & unde venerunt? Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt Stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo SUNT ANTE THRONUM DEI, & serviunt ei die & nocte IN TEMPLO EJUS.* Quae nuper ajebam de Templo Caelesti, confirmata heic habemus. Porro quisquis narrationem Joannis rite perpender, illico intelligit, haec ab eo referri, non ad postremi Judicii diem, sed quidem ad tempora intermedia. Et quandoquidem haec ille vidit in Caelo, atque Animae illae stare dicuntur *ante Thronum Dei:* nonne vim facies sacris Literis, si secus intrepretari velis, quam de Caelesti Gloria, Sanctorum Animabus jam conlata, & demum in Resurrectione Corporum perficienda? Matth. V. 34. monet divinus Magister, ne juremus, *neque per Caelum, quia THRONUS DEI est.* Sunt & alia Scripturarum loca, quae dubitare nos non sinunt, quid per *Thronus Dei* significetur. Referri huc etiam possunt, quae idem Sanctus Joannes Cap. XIV. 1. Apocalyps. se vidisse ait, Agnum nempe, idest Jesum, stantem supra *Montem Sion:* quo nomine nemo, qui recte sapiat, putet designari materiale Templum, ac Montem Hierosolymitanum, sed quidem Hierusalem Caelestem. Nam *centum quadraginta quatuor millia*, qui cum eo comitabantur, *cantabant ANTE SEDEM, & ante quatuor Animalia, & Seniores.* Erant autem, uti e praecedentibus didicimus, tam Sedes, quam Animalia & Seniores *in Caelo.* De illis vero centum quadraginta quatuor millibus dicitur: *Emti sunt de Terra*, & translati ad Caelestem Sion. *Hi sequuntur Agnum, quocumque ierit.*

(Ita

(Ita & Paulus cupiebat *dissolvi*, *& esse cum Christo*. Salvator etiam ad parandas mansiones Discipulis suis abiturum se ait, *ut ubi sum ego*, *& vos sitis*.) Pergit dicere Sanctus Joannes: *Et in ore eorum non est inventum mendacium: sine macula enim SUNT ANTE THRONUM DEI*. Ergo & isti in Caelo statuendi. Ridendum vero foret, imaginari Animas in Caelesti Regia, atque *ante Thronum Dei* positas, quae Visione ipsius Dei carerent.

Denique ad istam veritatem stabiliendam non frustra adhibeas Sancti Pauli locum ad Habraeos XII. 22. Postquam ad Fideles e Judaismo dixerat: *Non enim accessistis ad tractabilem Montem*, scilicet Sinam, subdit: *Sed accessistis ad Sion Montem*, *& Civitatem Dei viventis*, *Hierusalem Caelestem*, *& multorum millium Angelorum frequentiam*, *& Ecclesiam primitivorum*, *qui conscripti sunt in Caelis*, *& Judicem omnium Deum*, *& Spiritus Justorum perfectorum*. Etsi militantem Ecclesiam heic designatam velis, negare tamen nequeas, quin & Ecclesia triumphans hisce comprehendatur: quod etiam agnoverunt Interpretes sapientiores. Nam qui in Christum credit, ejusque legem fideliter complet, communionem habet per Fidem & Caritatem cum Angelis, & filiis tum veteris, tum novi Testamenti, tam in Terra militantibus, quam in Caelo regnantibus. Qui heic dicuntur *Spiritus Justorum perfectorum*, nihil aliud sunt, nisi Animae Justorum, purgatae vel ante, vel post mortem, atque in Caelestem Patriam translatae, quae nunc ibi Beatitudine fruuntur. Teste Grotio, Hebraei quoque Scriptores passim admittunt *Spiritus*, Sanctorum videlicet vita functorum, qui ad *solium Gloriae ascendunt citius aut tardius*, *quo magis minusve purgati ex hac vita abierunt*. Mitto *Ecclesiam primitivorum*, quo nomine aut Patriarchae, aut Apostoli, primive Martyres inter Christianos jam Caelo donati, indicari creduntur. Satis quippe ad opus nostrum est mentio *Spirituum*, in *Caelesti Hierusalem* jam degentium, quorum consortium Apostolus, non post Millia multa annorum, uti Burnetus cerebro suo hariolatur, sed aut statim a morte, aut post purgationem in altera Vita, sperare Justos jubet. Quare testes habemus, contra quam Burnetus censuit, non uno in loco divinas Literas, minime a Justorum Spiritibus exspectari redivivae Carnis societatem in fine Mundi, ut ad Beatitudinem & Visionem Dei admittantur in Caelis. Alia etiam ex parte in eandem doctrinam conspirant sacrae ipsae Literae, dum ubique Justis faciunt praemii & Beatitatis spem brevi complendam, Burneto sane adversantes: qui ne hoc quidem factum post Mille & Septingentos Annos

contendit; & negat ullam Retributionem bonorum operum faciendam ante extremi Judicii diem, a quo fortaſſis abſumus per aliquot alia Annorum Millia. Non ita Chriſtus Dominus, non ita ejus Apoſtoli ab ipſo edocti nos edocuerunt; ſed illi ingentes ubique animos fecere Fidelibus pro Chriſto mortem oppetentibus, aut in Chriſto morientibus, ſpe mercedis ac retributionis propediem ſubſequuturae: Impius foret, qui aut illos deceptos, aut deceptores ſuſpicaretur. Jamque nonnulla innui loca, unde ſpes Coronae non diu differendae Juſtis ingeritur. Pauca nunc alia accipe.

Sanctus Joannes in fine Apocalypſeos XXII. 12. Dominum haec loquentem audivit: *Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundum opera ſua.* Duo pollicetur Dominus. Primum eſt ſe *Cito* venturum. Ergo non poſt aliquot Annorum myriades: quod Burnetus perſuadere nobis vellet, unum tantummodo Adventum Domini agnoſcens in fine Saeculorum. Chriſtus autem non ſolum *Cito* adveniet, ſed etiam ſecum adferet *mercedem* operum. Et ne de vocis iſtius ſignificatione dubitatio ſuboriatur, addit *Reddere unicuique ſecundum opera ſua.* Si & *Dominus*, & *Merces* uno tempore venient, & *Cito* utriuſque erit adventus: neceſſe eſt agnoſcamus, ante Mundi excidium, quod nondum poſt tot Saeculorum curſum vidimus, Juſtorum & Injuſtorum Animabus reddi, & jamdiu redditam fuiſſe Retributionem operum, manifeſtandam poſtea univerſo Orbi in glorioſa Revelatione Domini noſtri Jeſu Chriſti. Quum vero ſubdat Dominus eodem in loco verſ. 14. *Beati, qui lavant Stolas ſuas in ſanguine Agni, ut ſit poteſtas eorum in ligno vitae, & per portas intrent in Civitatem:* quali praemio donandi ſint, & quidem *Cito*, Martyres, aut etiam quicunque Deo fideliter ſervientes in oſculo Domini decedunt, non difficile intelligimus. *Lignum Vitae*, Caelorum Beatitudo eſt. Quod ſi dubites, animadverte, promitti Juſtis ingreſſum *in Civitatem*. Quae eſt iſta Civitas? Utique Caeleſtis Hieruſalem, Eccleſia Triumphans in Caelis, quam praecedentes colores ſatis delineant. Neque alia eſſe heic poteſt: nam *qui lavant Stolas ſuas in ſanguine Agni*, procul dubio in Militante Eccleſia ſunt. Ergo ſi intraturi dicuntur, ex quo Stolas ſuas laverunt, *in Civitatem*, ingrediantur oportet in Civitatem Caeleſtem, ubi Viſio beatifica Dei intrantes manet. Accedat nunc, qui illud *Cito*, alioſque Chriſti *adventus* non multo poſt promiſſos, de uno poſtremo Judicio interpretetur: quaſi tempus inter diem, quo Dominus reſurrexit e mortuis (jam abiere Mille & Septingenti Anni) & ſupremum diem

Mun-

Mundi, quo universum quoque humanum genus resurget, tantillum sit, ut breve, ac *prope* & *cito* transiturum appellari potuerit. Nae is duriora nobis propinabit, quam concoquere nos possimus, & ferre velint incredulí.

Profert etiam Sanctus Joannes in eadem Apocalypsi XIV. 13. sententiam, quam Burnetus pag. 42. praeoccupavit, veluti suae opinioni faventem. *Beati*, inquit Joannes, *Mortui, qui in Domino moriuntur*. Subdit Burnetus: *Quare vero beati? Quoniam visione Dei beatifica statim fruuntur? Hoc non occurrit apud Prophetam. Quid tum demum?* Post quae adtexit reliqua Joannis verba, quae ille ita Latine reddit: *Ut requiescant a laboribus, inquit Spiritus, & opera eorum eos subsequantur*. Haec autem opera Burnetus ait, *suum praemium tandem habitura sunt*, hoc est, ut ille sibi fingit, quum rerum humanarum finis, fortassis adhuc remotissimus, adveniet. Verum quisquis non praeoccupato animo Joannis verba perpendet, nullo negotio inveniet, quod Burnetus quaerere, aut invenire noluit. Non dicit Spiritus, *ut requiescant a laboribus, & opera eorum eos subsequantur*; sed quidem: *Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis. Opera enim illorum sequuntur illos. Beati* sunt, *Requiescunt*, quia Opera illorum sequuntur illos. Sed quare *sequi* dicuntur *Opera*, quae jam facta fuerunt, neque amplius exsistunt? Quia morientes in Domino secum ferunt bonorum Operum merita, atque illorum praemium a Deo consequuntur. Si merces piis a Deo promissa, in Saecula plura differtur; nonne intelligis, prorsus enervari promissionem Dei? Spes etiam nostra langueat oportet, & frustra *Beati* appellantur in pace & caritate Christi decedentes, qui fructum bonorum operum se sequentium ne post mortem quidem percipiunt. At, inquit Burnetus, fructum percipiunt, quia *requiescunt*. Scilicet, ut is pag. 83. diserte scripsit, *Animae* e Corpore evolantes transeunt *in statum quietis, silentii, & ἀεργασίας, nempe quoad Mundum externum; ut nihil habeamus commercii cum Mundo externo in statu mortis, non magis quam in statu Somni*: a quo Somno tum solum excitabimur, quum tuba Archangeli insonabit, ut ille somniat. En quo tandem abiit *Beatitudo* morientibus in Domino promissa, & praemium Operum, quae pios vel post mortem sequuntur. Sed quanto aequius nos Justorum morientium mercedem minime procrastinatam sentimus, quum non diu procrastinandam toties divinae Literae nos certos effecerint? Nuper vidimus in Apocalypsi: *Ecce Venio Cito, & Merces Mea Mecum est*. Paria quoque habet Apostolus ad

Hebr.

Hebr. X. 34. ubi Fideles Judaeos ad patientiam hortatur, eiſque ſpem ingerit praemii, in Caelis brevi complendam. *Rapinam*, inquit, *bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes, vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam*. En bona Opera in Terris, & praemia in Caelis nunquam interitura. Pergit Apoſtolus: *Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quae magnam habet remunerationem*: hoc eſt, inculcat magnitudinem praemii. *Patientia enim vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem*. Sed quandonam, beate Apoſtole, *promiſſionem* reportabimus? ecquando ad *magnam* illam *Remunerationem* perveniemus? Burnetus Britannus perſuadere nobis vellet, promiſſa Dei ne poſt Saecula quidem Septem & Decem completa fuiſſe Fidelibus, quos tu erudiebas, atque ad patientiam laborum & confidentiam animabas: immo is ad diuturniora etiam tempora illorum complementum protrahit. Verum Apoſtolus interrogationem noſtram minime expectavit, & Judaeis tunc in Chriſtum credentibus, patientiam brevi coronandam pollicitus eſt, continuato ſermone inquiens: *Adhuc enim modicum aliquantulum, qui Venturus eſt, Veniet, & non tardabit*.

Quid igitur aliud intelligamus in Sancti Joannis verbis, niſi *Morientes in Chriſto*, & ſociatos operibus ſuis ad alteram vitam abeuntes, aut ſtatim, aut non diu poſt, praemio donari bonorum Operum? Quod ſi forte vox *Requieſcant a laboribus ſuis*, id unum ſonare Burneto videatur, ut piorum *Animae* ad *Quietem* & *Requiem* ſomno ſimilem ferantur, quam teneant uſque ad ſupremi Judicii diem: norit Lector minus peritus, hac ipſa phraſi reapſe deſignari beatam Vitam in Caelo Juſtis promiſſam, quum nempe requieſcunt, atque aeternum requieſcent, ac delectabuntur in contemplatione Dei glorificantis. Atque haec eſt illa *Requies*, quam Sanctus Paulus ad Hebraeos IV. non ſemel commemorat, inter alia ſcribens verſic. 10. *Qui enim ingreſſus eſt in REQUIEM EJUS, etiam ipſe requievit ab operibus ſuis, ſicut a ſuis Deus*. Quae quidem verba indicant jam exſtitiſſe, qui in beatiſſimam illam *Requiem* fuerant translati. Quod luculentius idem Apoſtolus ſignificat, dum addit: *Feſtinemus ergo ingredi in illam Requiem*. Certe non in Eccleſiam, ſive in Fidem depraedicatam a Chriſto ingreſſuri erant (jam enim hanc amplexi fuerant Hebraei, ad quos Paulus ſcribit) ſed quidem per bona Opera & per patientiam, in *Requiem illam* Caeleſtem, ad quam Legis opera non deducebant, ſed Evangelii opera deducunt per Sanguinem & Merita Jeſu Salvatoris noſtri. Audi Chryſoſtomum in

hunc

hunc locum, Homil. VI. in Epiſtol. ad Hebr. Τίς ὖν ἐστιν ἄλλη ΚΑΤΑΠΑΥΣΙΣ, ἀλλ' ἢ ἡ ΒΑΣΙΛΕΙΑ ΤΩΝ ΟΥΡΑΝΩΝ, ἧς εἰκὼν καὶ τύπος ἐστὶ τὸ Σάββατον; *Quaenam eſt ergo* alia *REQUIES*, *quam REGNUM CAELORUM*, *cujus imago & typus eſt Sabbatum?* Quod ſi teſtem cupis ab ipſis Apoſtolicis temporibus, accipe Sanctum Clementem I. Romanum Pontificem, ac Petri Apoſtoli diſcipulum & ſucceſſorem, cui a multis tribuitur Epiſtola Secunda ad Corinthios, monumentum certe e primitiva Eccleſia ad nos uſque productum. Ibi §. V. haec habet; *Et ſcitote, fratres, quod peregrinatio carnis hujus in hoc Mundo, brevis eſt, ac parvi temporis. Promiſſio autem Chriſti magna & admirabilis eſt, atque* (ΑΝΑΠΑΥΣΙΣ τῆς ΜΕΛΛΟΥΣΗΣ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ, καὶ ΖΩΗΣ ΑΙΩΝΙΟΥ) *REQUIES FUTURI REGNI, & VITAE AETERNAE.* Ita in Actis Martyrii Sanctae Theclae (quae Joannes Erneſtus Grabe Britannus Tom. I. Spicilegii Patrum edidit, opinatus, ea ad primitivae Eccleſiae tempora ſpectare) legimus, dixiſſe Paulum Apoſtolum: *Beata Corpora & Spiritus Virginum, quia verbum Patris operabitur eis ſalutem in die Filii ejus* (ἀνάπαυσιν ἕξουσιν εἰς ἀιῶνα ἀιῶνος) *Requiem habebunt in Saeculum ſaeculi.* Paria habet Sanctus Juſtinus in Dialogo cum Tryphone pag. 350. Edition. Colonienſ. ubi de glorioſo Chriſti adventu in fine Mundi agens, exſcindendos ab eo iniquos ait, τὰς δὲ ἰδίας ἀναπαύσεις, *Suos autem in Requie collocabit, omnia illis reddens, quae exſpectaverant.* Sed & Sanctus Irenaeus Lib. V. Cap. 31. ait: *Adducens Juſtis Regni tempora, hoc eſt, Requietionem.* Clementem quoque Alexandrinum audi, qui Lib. V. Stromat. ex Platone agens de *fine vitae optimae*, inquit: *Non ceſſabit, qui quaerit, donec invenerit. Quum autem invenerit, admirabitur. Admirans autem regnabit: Regnans vero Requieſcet.* Aliis quoque in locis Chryſoſtomus *Requiem* non ſemel pro Beatorum vita in Caelis uſurpat, ut alios praeteream. Nimirum ex Epiſtola ad Hebraeos, atque ex aliis ſacrarum Literarum locis deduxere Patres ſignificationem vocis *Requies* in hoc ſenſu: quod & ſexcentis aliis teſtibus oſtendere mihi in promtu foret. Ac propterea acceptam a primis Saeculis phraſim hanc retinet Eccleſia Catholica, quum Juſtis vita functis a Deo precatur *Requiem aeternam*, *Requiem ſempiternam*, ut caeleſtis Patriae delicias deſignet. Quei ergo in mentem Burneto venit, *Requiem* in divino Libro Animabus Juſtorum a Corpore ſegregatis promiſſam, nihil aliud eſſe, niſi ignobilem Quietem & Somnum, donec poſt quamplurima Saecula ad Regnum & ad Vitam aeternam in fine Mundi advocentur?

Ecce

Ecce Apoſtolos & veteres Patres, qui nullam aliam agnoſcunt *Requiem*, niſi *Regnum Caelorum*, & *Vitam aeternam*. Quare quum in Apocalypſi appellentur *Beati*, *qui in Domino moriuntur*, & polliceatur Deus, eos *amodo*, ideſt a tempore mortis, futuros in beatiſſima illa *Quiete:* quid aliud reſtat, niſi ut eo quoque ex loco deducamus Juſtorum Beatitudinem eximiam vel ante poſtremum Judicium; quae tandem non primum ineunda, ſed tantummodo augenda & complenda erit, quum Caro etiam ab Animabus reſumta, in conſpectum Dei & ipſa conſcendet? Quum vero Paulus nuper Hebraeis Fidelibus, & nobis quoque dixerit: *Feſtinemus ergo ingredi in illam Requiem*, mirum eſt, quei Burnetus non perſpexerit, ſe incaute adverſari, ne dicam irridere Apoſtolo, dum contendit, ipſum, ejuſque diſcipulos, *feſtinaſſe* quidem, ut ingrederentur in *Requiem illam* Caeleſtem, ſed ne poſt Annos ſane Mille & Septingentos id illis contigiſſe, atque expectanda eis adhuc eſſe complura Saecula, ut illuc tandem ingrediantur. Quis haec ferat?

Alia certe erat Paulo fiducia, alia ſpes, immo fides. Atque id ipſum erui poſſe mihi videtur ex ejus verbis ad Epheſios II. 5. ubi ait: *Et quum eſſemus mortui peccatis, convivificavit in Chriſto* (*cujus gratia eſtis ſalvati.*) *Et conreſuſcitavit, & conſedere fecit in caeleſtibus in Chriſto Jeſu*. Quin Praeteritum heic pro Futuro adhibitum recte cenſeatur, non abnuo. Quod ſpe nunc tenemus, re quoque ſuo tempore conſequemur. Nihil tamen obſtat, quo minus & Praeteritum, & Futurum Sanctus Apoſtolus conjunxiſſe potuerit. Praeceſſerant enim Stephanus, aliique Juſti inter Chriſtianos, quos Deus *conſedere* fecerat *in caeleſtibus*. Se quoque, & Epheſios, ad quos ſcribit, & ceteros in poſterum Juſtos, ſtatim a morte conſeſſuros *in caeleſtibus* tanta fiducia credit, ut ſibi videatur quodammodo factum, quod faciendum erat. Cur haec interpretatio non toleranda ſolum, ſed etiam ſine haeſitatione excipienda ſit, quae ſequuntur Apoſtoli verba, ſubindicant. Quippe ſubdit: *Ut oſtenderet in Saeculis ſuperventientibus abundantes divitias gratiae ſuae in bonitate ſuper nos in Chriſto Jeſu*. Hiſce verbis Saecula Chriſtianae Eccleſiae, ad finem uſque Mundi decurrentia, Paulus ſignificat. Si nemini (quod Burnetus opinatur) conſedere licuit, aut licebit *in Caeleſtibus*, niſi in Reſurrectione omnium: quei, quaeſo, *abundantes divitias gratiae Dei* Apoſtolus adeo extollit ſupra tempora antecedentia Chriſtum? Non defuere in Judaica Lege Sancti homines. At ubi ſtatuamus, Chriſti Fidelium juſtorum Animas, non ſecus atque Animae Abraham, Iſaac,

ſaac, & Jacob, ac reliquorum Patrum, a Caeleſti Regno adhuc excluſas, & ad illud fruſtra aſpirantes, niſi quum tuba noviſſima inſonabit: ubi ſunt, inquiet Judaeus, *abundantiae illae divinae gratiae*, quas Apoſtolus in novo Foedere tantopere depraedicat? Nihil hactenus plus contigit Chriſtianis Juſtis, quam Juſtis Judaeis. Verum quum tanta Apoſtolo cura ſit efferendi copiam & magnificentiam bonorum, quae per Chriſtum nobis obveniunt, & praecipue is animadvertat, nos *convivificatos* in Chriſto fuiſſe, nos *conreſuſcitatos*, immo & ad beatam ſedem *in Caeleſtibus* una cum eo translatos (quod donum finis eſt omnium deſideriorum, ac Religionis ipſius complementum) rite hinc argumentari poſſumus, aliam, quam putet Burnetus, eſſe oeconomiam Dei miſericordis & Remuneratoris, neque immenſas moras ejus beneficentiae eſſe injiciendas in remunerandis ſervis & amicis ſuis: quod & ex aliis Scripturarum locis elucere jam vidimus.

Attamen quum verbum *conreſuſcitavit* obſtare huic interpretationi videatur; neque enim *Reſurrectio* intelligi conſuevit, niſi de Corpore excitato aut excitando e mortuis: quod divinae potentiae opus non in *ſupervenientibus Saeculis*, ſed quidem in extremo Judicii die ſpectandum eſt; ac propterea aequius ſit, haec interpretari de Reſurrectione & Converſatione ſpirituali ſeu myſtica; accuratius inveſtigemus oportet, quae ſit vis vocis iſtius. Nulla dubitatio eſt, quin *Reſurrectio mortuorum*, & *Reſurgere a mortuis* fere ſemper in Scripturis ſignificet Corporis antea mortui reditum per virtutem divinam ad priſtinam ſocietatem & foedus cum Anima. Et quandoquidem univerſum hominum genus in fine Mundi excitandum e tumulis eſt, ut ſolemne Judicium Dei ſubeat: propterea paſſim in ſacris Libris *Mortuorum Reſurrectio* terribilem illum diem deſignat. Haec prima & communior ſignificatio. Succedit & altera; nempe *Reſurrectio Animae* duntaxat, quum ipſa e peccatis reſurgit Deo. Nuper dicebat Apoſtolus nos, *quum eſſemus mortui peccatis*, *convivificatos* fuiſſe in Chriſto. Quae heic appellatur *Vivificatio*, alibi dicitur *Reſurrectio*. Ad Coloſſenſ. II. 12. *Conſepulti ei in Baptiſmo*, *in quo & Reſurrexiſtis per fidem*. Et ibidem III. 1. *Si Conſurrexiſtis cum Chriſto*, *quae ſurſum ſunt*, *ſapite*. Tertio per *Reſurrectionis* vocabulum ſignificatur conſequutio Regni caeleſtis, ſeu aeternae Beatitudinis in Caelo, Luc. II. 34. haec de Domino noſtro Jeſu Chriſto Simeon praedixit: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam*, *& Reſurrectionem multorum in Iſrael*. Scilicet multi, quod in eum non crediderint, damnabuntur: multi vero, quia crediderint, ſalutem conſequentur aeternam: Habemus

etiam Joann. V. 29. *Et procedent, qui bona fecerunt, in Resurrectionem Vitae: qui vero mala egerunt, in Resurrectionem Judicii.* Ubi vides, *Resurrectionem vitae* significare Regnum caeleſte atque aeternam Beatitudinem; & diverſam hanc eſſe a *Resurrectione Mortuorum*, quum nempe tam probi, quam improbi ſuſcitabuntur. Quare quum apud Lucam XIV. 14. dicitur: *Retribuetur enim tibi in Resurrectione Juſtorum*, ne puta cum Burneto, inde erui, tum ſolum a Deo retribuendum fore Juſtis, quum veniet Filius hominis ad judicandum genus humanum. Nam uti Grotius etiam animadvertit, *Resurrectio Juſtorum* idem eſt ac *Resurrectio vitae*, nempe quum Juſtus ad vitam immortalem & beatam transfertur in Caelum: quod ante Judicium ſupremum Animabus Juſtorum, heic, aut poſt mortem purgatis, contingent; integro autem homini, hoc eſt & Animae, & Corpori, concedetur in extremo illo univerſali Judicio. Quamobrem ubi Apoſtolus nos *conreſuſcitatos* cum Chriſto ait, neceſſe nihil eſt in iis verbis imaginari Reſurrectionem Corporum, quanquam & multi Sancti Patres in Chriſti Reſurrectione reſurrexerint & ipſi in carne, & una cum eo Caelum petiiſſe non immerito a multis credantur: ſed interpretari licet aut de Reſurrectione ſpiritali, aut de Reſurrectione Animarum tantummodo ad Gloriam caeleſtem. Denique manifeſtum eſt ex Apocalypſeos Cap. XX. 4. non unam Juſtis eſſe Reſurrectionem. Quippe ibi de iis dicitur: *Vixerunt, & regnaverunt cum Chriſto mille annis. Haec eſt Reſurrectio prima. Beatus & ſanctus, qui habet partem in Reſurrectione prima. In his ſecunda mors non habet poteſtatem.* Ergo duplex *Reſurrectio* futura. Ex Catholicorum ſententia, quam & complures e Proteſtantibus ampleſtuntur, recte ſequitur, ſpectare *Reſurrectionem primam* ad Animas Juſtorum Corpore ſolutas, atque ad viſionem Dei translatas; alteram vero in fine Mundi complendam, quum nempe & illorum Corpora reſurgent. Burnetus Novator exploſam jamdiu opinionem Millenariorum reſuſcitans, primam Reſurrectionem interpretatur de Reſurrectione Carnis, quam poſt annos mille ſubſequetur Reſurrectio ad perennem Beatitudinem in Caelis. De hoc infra agemus. Nunc ſatis nobis ſit animadvertere, ne illum quidem inficiari poſſe, quin *Reſurrectionis* nomen uſurpatum fuerit ad deſignandum ingreſſum Juſtorum in poſſeſſionem feliciſſimi Regni caeleſtis. Id ille ſibi fingit eventurum duntaxat mille annos poſt univerſale Judicium. Nos hactenus oſtendimus, Retributionem aut ſtatim a morte, aut poſt purgationem Juſtis negandam non eſſe, atque in hoc dogma conſpirare ſacras ipſas Literas, quarum verba perpendimus.

# CAPUT QUINTUM.

*Millenariorum error a quibus prodierit, quosve sectatores habuerit. A Sanctis Patribus confutatus, & jamdiu explosus. Adversus illum perspicua Apocalypseos loca.*

LIBRIS Hagiographis nos deinde Burnetus pag. 50. appellat ad veteres Patres, hoc est ad Traditionem, contendendo, tribus primis Ecclesiae Saeculis, *nullum reperiri Graecum aut Latinum, praeter Haereticos, aut unum forsan Cyprianum, qui defunctorum Animas statim a morte ad visionem Dei, & caelestis Gloriae possessionem transtulerit.* Itaque pro sua opinione laudat *Justinum Martyrem, Irenaeum, Tertullianum, Origenem, Victorinum, Lactantium*, & alios, quos Cap. I. commemoravi. Non multo studio opus fuit Burneto, ut hosce Auctores pro sua opinione congereret. Eosdem quoque Anno Christi MCCCXXXIII. laudaverat Joannes XXII. Romanus Pontifex, ut ex Historia novimus, quum in eandem opinionem & ipse inclinaret, reclamantibus tamen Galliarum Theologis. De ipsis quoque Patribus mentionem habes apud Genebrardum & Stapletonum, atque in Comment. Kortholti ad Justinum Martyrem. Singulorum etiam verba protulit Sixtus Senensis Lib. VI. Annotat. 345. Bibliothecae Sacrae; neque ea dissimulavit Cardinalis Bellarminus Lib. I. Cap. I. de Sanctor. Beatit. Itaque non nova adfert Burnetus, sed jam protrita argumenta: quae tamen nihil obstitere, quominus Ecclesia quaestionem, cui liber cursus per complura Saecula fuerat, postremo tandem decreto dirimeret, atque ita dirimendam justo judicio censuerit. Gravi interim culpa aut malignitatis, aut ignorantiae Burnetus laborat, quum tribus primis Ecclesiae Saeculis nullum ex Patribus opinioni suae adversantem venditat. Ego, quanta potero brevitate, duo ostendam. Alterum est, vel ipsos Patres, quos veluti commilitones suos Burnetus in aciem educit, aut magnificentius sensisse, quam ipse, de statu Animarum post mortem, aut aperte etiam adhaesisse Catholicorum sententiae. Alterum est, contra Catholicorum dogma Traditionem germanam neutiquam proferri posse. Quippe legitima illa Traditio appellatur, ut inquit Vincentius Lirinensis in Commo-

nitorio, *quod Semper*, *quod Ubique*, *quod ad Omnibus traditum eſt*. Atqui opinio de dilata uſque ad excidium Mundi Beatitudine neque ſemper, neque ubique, neque ab omnibus tradita fuit; immo communior vel ipſis iis Saeculis, quae pro ſe laudat Burnetus, ſemper habita eſt Catholicorum ſententia. Ergo fruſtra heic a Burneto exeruntur veteres, ſuae opinioni faventes: & potiſſimum quod non pauci ex iis, ſive a ſe ipſis diſcordes, ſive quod firmiorem demum arbitrati fuerint ſententiam, quae in Catholica Eccleſia ſtabilita deinde fuit, in eam conceſſere, & adhuc militant nobis.

Quod antequam aggredior, praemittendum eſt, Millenarios Scriptores opinatos fuiſſe poſt Reſurrectionem Carnis in poſtremo Judicio Sanctos cum Chriſto regnaturos in terra hac renovata Mille Annos; & deliciis operam daturos: quo annorum ſpatio tranſacto in Caelum denique, & ad viſionem beatificam Dei conſcenſuri erunt. Ex opinione ejuſmodi conſequebatur, Sanctorum Animas e Corpore abeuntes Caeleſti gloria minime donatas, neque donandas, niſi peracto univerſali Judicio, immo annis etiam Mille poſt ipſum Judicium in terra tranſactis. Primus commenti hujus auctor fuit *Cerinthus Haereſiarcha*, qui, vivente adhuc Sancto Joanne Apoſtolo, virulenta ſua dogmata diſſeminavit. Acceſſerunt deinde Marcioniſtae, Montaniſtae, Meletiani, aliique Haeretici. Ad eam opinionem Catholicis quoque viris perſuadendam, vel ipſis temporibus adhibitus fuit, perperam intellectus, Apocalypſeos locus Cap. XX. 4. quem nuper innuebam: *Et regnaverunt cum Chriſto Mille Annis. Haec eſt reſurrectio prima*. Quod certum eſt, inter primos *Papias Hieropolitanus Epiſcopus*, cui aut cum Joanne Apoſtolo, aut cum Diſcipulis Apoſtolorum multa fuerat familiaritas, Millenarium illud Regnum probavit, ſectatus *Traditiones* ſive fabulas Judaeorum, ea, quae de Regno Meſſiae in ſacris Libris traduntur, carneis tantum oculis metientium. E Cerinthi tamen Regno commenticio Papias reſecuiſſe creditur corporeas delicias, ſpiritales duntaxat ibi excogitans: quod tamen ego affirmare non auſim. Sanctum Hieronymum teſtem habeo de Vir. Illuſtrib. Cap. XVIII. cujus verba ſunt: *Hic*, ſcilicet Papias, *dicitur Mille Annorum Judaicam edidiſſe δευτέρωσιν: quem ſequuti ſunt Irenaeus, & Apollinarius, & ceteri, qui poſt Reſurrectionem ajunt in carne cum Sanctis Dominum regnaturum. Tertullianus quoque in Libro de Spe Fidelium, & Victorinus Petabionenſis, & Lactantius hac opinione ducuntur*. En ergo unde emerſerit hujuſmodi opinio, ex cujus reſtauratione gloriam ſibi nuper emendicavit Burnetus

tus. *Judaica* nimirum *Traditio*, ſive Thalmudica (hoc enim ſignificat Δευτέρωσις, ut nos docuit Sanctus Epiphanius Haereſi 33.) originem dedit Chiliaſtarum opinioni. Grotius quoque animadvertit, agi *de duabus Reſurrectionibus*, *de Mille Annis felicibus*, *de Bello Gogi & Magogi*, *in Targum Megilla*, apud *Aben Eſdram*, *Saadiam*, *alioſque Rabbinos*. Quare vides, e quam lutulento fonte haec hauſerit *Papias*. Porro quis & quantus vir ille fuerit, juvat etiam diſcere ab Euſebio Caeſarienſi, qui Lib. III. Cap. ultim. Hiſtor. de ipſo in haec verba loquitur: *Nuda vocis Traditione ad ſe perveniſſe plura teſtatur, novas quaſdam ſcilicet Salvatoris Parabolas ac Praedicationes, aliaque Fabulis propria. Inter quae & Mille Annorum ſpatium poſt Corporum Reſurrectionem fore dicit, quo Regnum Chriſti corporaliter ſtet in orbe terrarum. Quae quidem ita opinatus eſſe videtur Papias ex male intellectis Apoſtolorum narrationibus, quum ea, quae arcano quodam ſenſu, & exempli cauſſa ab illis dicebantur, non ſatis pervidiſſet. Fuit enim Mediocri admodum Ingenio praeditus, ut ex ſcriptis illius conjicere licet. Pleriſque tamen poſt ipſum Eccleſiaſticis Scriptoribus ejuſdem Erroris occaſionem praebuit, hominis vetuſtate ſententiam ſuam tuentibus: puta Irenaeo, & ſi quis alius ejuſdem Opinionis fautor exſtitit.* En qualem ducem ſequuti ſunt Irenaeus, Juſtinus, Tertullianus, ceterique Chiliaſtae: qui quando in ejuſmodi opinionem conceſſerant, nil mirum, ſi coacti ſunt negare Sanctorum Animabus Beatitudinem in caeleſti Regia ante poſtremum Chriſti Domini Adventum; ridiculum quippe fuiſſet eas a tanto gaudio exturbare, ut Mille Annis poſt Reſurrectionem Corporum in Regno terreno verſarentur. Verum etſi quatuor primis Eccleſiae Saeculis licuit huic opinioni adhaerere, illuſtreſque viri eam adoptaſſe & tradidiſſe reperiantur: nihilo tamen ſecius doctiſſimi inter Patres ab ea ſemper abhorruerunt.

Quid *Euſebius* ſenſerit de illa, jam accepimus. Pari conſtantia non uno in loco Sanctus *Hieronymus Judaicum Dogma* ipſam appellat, & in Proemio ad Lib. XVIII. in Iſaiam Prophetam auctor eſt, *Sanctum Dionyſium* Epiſcopum Alexandrinum in Libris contra Nepotem Epiſcopum, Millenarii Regni fabulam infectatum fuiſſe. Hieronymi haec ſunt verba: *Irenaei tantum Lugdunenſis Epiſcopi faciam mentionem; adverſum quem eloquentiſſimus Dionyſius Alexandrinae Eccleſiae Pontifex elegantem ſcribit Librum, irridens Mille Annorum Fabulam, & auream atque gemmatam in terris Hieruſalem &c.* Floruit Sanctus Dionyſius, Origenis Diſcipulus, Saeculo Chriſti Tertio, atque

ab

ab Anno CCXLVII. uſque ad CCLXIV. aut CCLXV. Cathedram illam tenuit, vir ſacra eruditione & eloquentia ſupra ceteros ſui temporis clariſſimus. Hic autem tanta vi rationum in Millenarios pugnavit, qui in ſua Dioeceſi ſuccreſcebant, ut omnes ab iſta opinione abduxerit, & ſchiſma eam ob cauſſam natum, Euſebio teſte, ſuſtulerit. Niſi nobis tempus edax invidiſſet Libros *Caii Presbyteri Romani*, qui Sancto Dionyſio longe antiquior fuit, fortaſſis & ab illo Millenarium Regnum impugnatum videremus. Is certe, Euſebio teſte Lib. III. Cap. 28. Hiſtor. Cerinthum carpit, quod ab illo primum venditata fuerit ejuſmodi illuſio. Quum tamen liberum adhuc cuicunque foret Millenarium hoc ſomnium amplecti, non defuere Saeculo Chriſti Quarto, qui ſuum illi ſuffragium addidere. Prae ceteris Apollinarius junior, innumerabilium voluminum Scriptor, ſed & non unius haeretici dogmatis diſſeminator, circiter Annum CCCLXX. eandem recoxit crambem, Libris editis adverſus Dionyſium Alexandrinum. At in Apollinarium hac de cauſſa Sanctus *Epiphanius* Haereſ. LXXVII. §. 26. & Sanctus *Baſilius* in Epiſtol. LXXIV. inſurrexerunt. *Didymus* quoque Alexandrinus Enarrat. in Epiſtol. I. Petri, Sanctus *Ephraem* in Opuſc. CXI. *Nazianzenus* quoque, & *Dionyſius*, ut vulgo dicitur, Areopagita in Lib. de Eccleſiaſt. Hierarch. Chiliaſtarum ſomnia improbarunt. Anathemate inſuper perculſus fuit ob varios de Chriſto errores idem Apollinarius a Damaſo Papa in Romana Synodo, uti memoriae prodidit Sozomenus, Anno CCCLXXIII. ut nonnulli putant, ſive CCCLXXVI. aut CCCLXXVII. ut alii arbitrantur. Porro ſacrorum Annalium parens Baronius ſcribit, in eo ipſo Concilio damnatum fuiſſe Chiliaſtarum errorem, qui propterea deinde evanuit. Et profecto nulla dubitatio eſt, quin impia Apollinarii dogmata de Trinitate & Chriſto proſcripta tunc fuerint. Verum ad Millenarii Regni opinionem quod attinet, eadem ſententia illam profligatam fuiſſe, conjectura quidem doctiſſimus Cardinalis cenſuit, ſed nulla certa monumenta evincunt. Immo illam intactam adhuc abiiſſe, ſunt quae mihi perſuadent. Nam praelaudatus Hieronymus in eodem Proemio Lib. XVIII. in Iſaiam, ubi tradidit Judaicum Millenarii Regni commentum disjectum fuiſſe a Dionyſio Alexandrino, haec addit: *Cui duobus Voluminibus reſpondit Apollinarius, quem non ſolum ſuae ſectae homines, ſed & noſtrorum, in hac parte dumtaxat, plurima ſequitur multitudo, ut praeſaga mente jam cernam, quantorum in me rabies concitanda ſit.* Haec literis conſignabat Hieronymus poſt Annum Chriſti CCCCIX. Neque enim prius

Com-

Commentarios in Iſaiam elucubraſſe potuit, uti Martianaeus oſtendit. Si Romae in ſolemni Concilio Millenarius error nigro obelo confixus fuiſſet, veri minime videtur ſimile, tot e Catholicis, quum haec ſcribebat Hieronymus, ab ipſo fovendo nondum fuiſſe deterritos. In aliis quoque Libris poſt Sancti Damaſi mortem ſcriptis is minime audet Haereticam appellare hujuſmodi opinionem. Ad haec Sanctus Auguſtinus Lib. XX. Cap. 7. de Civitat. Dei, hoc eſt in Opere, quod ipſe ad umbilicum perduxit circiter Annum Chriſti CCCCXXVI. opinionem hanc neque prorſus extinctam, neque omnino exſecrandam prodit, immo ſe olim in eam conceſſiſſe teſtatur. *Quae opinio*, inquit, *eſſet utcumque tolerabilis, ſi aliquae deliciae ſpirituales in illo Sabbato adfuturae Sanctis per Domini praeſentiam crederentur. Nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando.* Denique pro eadem opinione circiter Annum Chriſti CCCCXV. ſtetit Severus Sulpicius. Nam, uti Sanctus Hieronymus Lib. XI. Cap. 36. in Ezechiel. ſcribit, Millenarium Regnum pollicitus nobis fuit *nuper Severus noſter in Dialogo, cui Gallo nomen impoſuit.* Itaque Millenarii erroris funus tutius differatur in Saeculum Chriſti Quinctum, quo revera leves in auras abiit. Sunt qui ſcribant, illius cauſſa a Gelaſio ſummo Pontifice Anno CCCCXCIV. Severi Sulpicii Dialogum in Concilio Romano improbatum fuiſſe. Ego rem in medio relinquo. Certe Gennadius in Opuſculo de Eccleſiaſtic. Dogmat. ejuſmodi Opinionem, uti ſacris Literis adverſantem, improbat.

Ceterum in confutanda Millenariorum Fabula tempus ego non teram. Laterem lavant, & caecutire volunt in meridie, qui temporibus noſtris, ut aliquid novi adferant, a doctioribus & ſapientioribus hac in re diſſentire non erubeſcunt. Hoc unum dicam, videlicet, Sanctum Joannem in Apocalypſ. XX. 4. dum ait: *Et vixerunt: & regnaverunt cum Chriſto Mille Annis*, perſpicue haec ſcripſiſſe de Martyrum *Animabus* a Corpore ſeparatis; vidit enim *Animas decollatorum propter teſtimonium Jeſu;* atque adeo illarum Regnum ſtatuitur, antequam cum rediviva Carne contubernium recipiant. Dicit, inquam, *Animas:* quo nomine, quum de vita functis agitur, mortalium tantummodo Spiritus deſignantur. Quid ergo Millenarius Burnetus ſtudet, ut incautis obtrudat, non Anima tantum, ſed & Corpore e mortuis ſuſcitato, regnaturos Sanctos cum Chriſto in ſomniato ſuo Regno? Deinde quid eſt, quod poſt Mille Annos *ſolvetur Satanas, & ſeducet Gentes, quae ſunt ſuper quatuor angulos terrae, Gog & Magog?* Si Burneto fides, praecedet totius generis humani Reſurre-

ſtio

ctio in Carne, ac ſupremum Chriſti Judicium: deinde ſuccedet terrenum Chriſti Regnum cum Sanctis, Mille duraturum annos. Et nihilominus vides, etiam durante Regno Chriſti, innumerabiles Gentes a Deo averſas, teſtante Sancto Joanne, ſuperfuturas eſſe in terra. Prorſus haec abhorrent a deſcriptione extremi Judicii, quam Sanctus Matthaeus nobis propoſuit. Sed perſequi non juvat multiplicia Burneti ſomnia, qui hiſce, & aliis, dum vixit, inanibus phantaſmatibus oblectatus eſt, ſuaeque Genti aut mirandi, aut ridendi non ſemel occaſionem praebuit. Quicunque ſapit, facile intelliget, Joannis prophetiam, alioqui perobſcuram, de Regno Chriſti mille Annos duraturo, ut ſibi divinae Literae conſtent, immo ut ſecum ſit concors idem Sanctus Apoſtolus, non aliam admittere interpretationem, quam quae a Sancto Auguſtino, praelaudato Lib. XX. Cap. 7. de Civit. Dei, aut a Sancto Thoma Aquinate, aliiſve praecipue Catholicis adfertur. Nempe Regnum Chriſti, aut Eccleſiam Dei ſignificat, quam conſtituunt tam viventes, quam mortui in Chriſto; aut quod aliis veri videtur ſimilius, Eccleſiam duntaxat triumphantem in Caelis, quam Juſti poſt Chriſti mortem ac aſcenſionem implere coeperunt, & augebunt, uſquequo humanis rebus finem imponat glorioſus Chriſti judicaturi Adventus: Neque enim aliud *Mille* annorum numerus ſignificat, ut Sancti Patres docuerunt, niſi tempus ab initio Eccleſiae futurum uſque ad finem Mundi. Dum fluit hoc tempus, *Animae decollatorum propter teſtimonium Jeſu* regnant & regnabunt *cum Chriſto*. Niſi vim facere velis verbis Apoſtoli, negare nequeas, quin ille nobis exhibeat Sanctos regnantes, non viventes in terris, ſed jam morte praereptos; & quum *Animas* ait, ſatis indicat, ſe de iis agere, qui nondum per Reſurrectionem in fine Mundi eventuram, Corpora reſumſerint. Atqui ejuſmodi Sanctorum Animae *regnaturae* dicuntur *cum Chriſto*, ideſt futurae tanquam Reges, donec ſupremi Judicii dies adveniat: quid aliud, quaeſo, rite interpretari poſſis, niſi magnificam eorum Gloriam in Caelis, exemplo a terrenis Regibus deducto, qui ſupra ceteros mortalium ſplendere, feliceſque eſſe putantur? Quod praeſertim de Sanctis verum ſit neceſſe eſt, quando *regnare* dicuntur *cum Chriſto*, quem certo novimus eſſe *in Gloria Dei Patris*. Addit Sanctus Joannes: *Beatus & Sanctus, qui habet partem in Reſurrectione prima: in his ſecunda mors non habet poteſtatem*. Ergo duplicem Reſurrectionem Joannes nobis exhibet, Prima Juſtos morientes tantummodo reſpicit, quorum Animae e mortali ac terrena habitatione hac emigrantes, ad immortalem & beatiſſimam

in

in Caelis vitam reſurgunt. Altera deinde Reſurrectio erit Juſtis, quum in excidio Mundi Corpus reſumentes, illud quoque ad immortalitatem ac Beatitudinem, judicante & jubente Chriſto, perducent. Duplicem ſimiliter *mortem* Apoſtolus ſtatuit. Prima mors tam Juſtis, quam Improbis continget, quum nempe Anima ſeparatur a Corpore. Mors altera, quum Impiorum Animae una cum Corpore in aeterna ſupplicia trudentur: quae *Mors ſecunda poteſtatem non habet* in eos, quibus *Reſurrectio prima* donata eſt. Dilucide vero innuit Sanctus Joannes, quid futurum ſit poſt *Mille annos*, dum ſubdit: *Et quum conſummati fuerint Mille Anni, ſolvetur Satanas de carcere ſuo, & exibit, & ſeducet gentes.* Habes heic dies Antichriſti. *Et vidi mortuos magnos & puſillos, ſtantes in conſpectu Throni. Et libri aperti ſunt. Et judicati ſunt mortui ex his, quae ſcripta erant in libris, ſecundum opera ipſorum.* En poſtremum ac ſolemne Chriſti Judicium in fine Mundi, toties in divinis Voluminibus depraedicatum. Atque illud, non ante Mille Annos, ut Millenarii ſomniarunt, ſed poſt. *Et Infernus & Mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Haec eſt mors ſecunda.* Ecce Chriſti Judicis ſententiam: *Ite in ignem aeternum*, quae in Peccatoribus completur. *Et vidi Caelum novum &c.* Heic Caeleſtis Patria, plenaque & perfecta Beatitudo Juſtis conferenda in Caelis deſcribitur, ad quam Juſtorum Animae cum Corporibus conjunctae advolabunt, uti Sanctus Auguſtinus tradit. Satis nobis futurum eſt, cum Cerinthi deliramentis, ineptiiſve Papiae, ſive cum omnium Chiliaſtarum figmentis componi non poſſe hunc Apocalypſeos locum; immo inde validius confirmari Catholicae Eccleſiae ſententiam de conlata & conferenda Juſtis caeleſti Beatitate, minime exſpectato poſtremo divini Judicis Adventu.

## CAPUT SEXTUM.

*Improbi ſtatim poſt mortem in Inferorum poenas conjecti. Martyrum Animae Corpore ſolutae, communi Eccleſiae calculo, confeſtim Beatitudine Caeleſti donatae. Non unus* Dies Domini; *non unus* Adventus. *Neque tantum Martyres, ſed & ceteri Juſti, non exſpectato Corpore, Caelorum Regnum ingreſſi.*

VETERUM Traditionem pro Opinione ſua laudat, nobiſque objicit Burnetus; merito-ne, ad inquirendum nunc progrediamur. Ego tria oſtendenda mihi ſumo, quae veluti Theoremata tria prae oculis futura ſemper nobis ſunt in quaeſtione, quam prae manibus habemus. Primum eſt, communem ab exordio Eccleſiae ſententiam fuiſſe, Improbos, atque in peccatis ereptos vitae, illico in aeterna Supplicia fuiſſe deturbatos. Secundo, communiter quoque creditum, Martyrum in primis Animas poſt tormenta ac mortem in beatiſſima Caeli tabernacula ſine mora fuiſſe translatas. Tertio, etſi non defuerint, qui ad univerſalis uſque Reſurrectionis tempus differendam cenſuere caeleſtis Beatitatis poſſeſſionem: contrariam tamen doctrinam, quae in Eccleſia Catholica viget, praevaluiſſe ſemper; neque illam novam, ſed ab ipſis Apoſtolorum temporibus acceptam, dignam tandem fuiſſe viſam, quae poſt ſerium examen ſtabili decreto firmaretur. Si tria haec oſtendero, nullus dubito, quin aequus rerum judex continuo intelligat, vel eos ipſos, qui tandiu diſtulere aeternam felicitatem Juſtorum, non amplius eſſe audiendos.

### *Theorema Primum.*

NAm primo ubi firmum ſtet, a primis Eccleſiae Saeculis perſuaſum fuiſſe Chriſtianis, Injuſtos poſt mortem in Inferorum tormenta continuo abripi, ruant etiam oportet fundamenta quaevis, quibus nititur Burneti fabrica, & ſuffragium ex aliquot veterum Patrum auctoritate petitum. Contendit ille, in uno univerſali Judicio totius humani generis opera eſſe examinanda, & tunc ſolum decernendum Bonis praemium, Malis ſupplicium, Animabus defunctorum interea dor-

dormientibus, & poſtremi illius diei ſortem aut fauſtam, aut miſeram exſpectantibus. Contra, ſi conſtet, Impiorum & Iniquorum Animas, vix e Corpore ſolutas, in Tartareas poenas detrudi: jam manu tenes, praeceſſiſſe privatum & occultum operum examen, Deique Judicium, & reorum poenam: quae cuncta manifeſtanda demum erunt in generali publicoque Chriſti Judicio. Atqui ita ſe rem habere, neque id negari poſſe ſine blaſphemia, vidimus exemplo Divitis Evangelici, ad *flammas & tormenta damnati;* & quidem ante ſupremum Judicium, quia vivere adhuc ſuper terra pergebant illius fratres. Neque ſecus ſenſere antiqui Patres. Praeterea ſi Improbos ſine mora plectit debitis poenis divina Juſtitia: quicunque rite ratiocinari novit, neceſſe eſt, ſimul agnoſcat, Probos quoque ſine mora praemio & gloria donandos a Deo. Menſura haec, & non alia, infinitam illius Bonitatem decet; & praecipue *quia miſericors Deus paratior eſt ad Remunerandum Bonos, quam ad Puniendum Indignos*, uti ſcribit Auctor Operis Imperfecti in Matth. Homil. XXV. Deus quippe *dives eſt in miſericordia*, Epheſ. II. 4. atque is ad nos venit, *ut oſtenderet divitias gloriae ſuae in vaſa miſericordiae, quae praeparavit in gloriam*, Roman. IX. 23. Itaque injuriam incaute Deo inrogat, qui illum ſibi fingit ad poenas omnium atrociſſimas a Malis exigendas velocem; ad praemia vero, toties ſervis fidelibus promiſſa, tardum & reluctantem, ut jam Mille & Septingenti fluxerint Anni abſque praemio, immo in plura adhuc Saecula Retributio procraſtinetur.

## *Theorema Secundum.*

AD ſecundum quod attinet, ubi conſtet teſtimonio veterum, ferri ſine cunctatione ad caeleſtia gaudia Animas Martyrum: fateri cogimur, evaneſcere prorſus Burneti ſomnia, claudentis oſtia quaeque Caeli ferreo repagulo, & contendentis, ea duntaxat reſeranda, non in univerſali Judicio Chriſti, ſed Mille Annos poſt ipſum Judicium. Et profecto jam vidimus glorioſos illos Athletas *ante Thronum Dei, & in Conſpectu Agni amictos ſtolis albis*. Quod ſi pro Chriſti nomine mortem generoſe oppetentibus a Sancto Stephano ad noſtra uſque tempora patet Caeleſtis Aula: nulla ſupereſt cauſſa, cur non & reliquis Juſtis ad beatiſſimas ſedes illas apertus ſit aditus. Et quidni? De Martyribus ait Dominus Matth. V. 10. *Beati, qui perſequutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum Caelorum*. Matth

X. 32. *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Et Marc. VIII. 34. *Qui perdiderit animam ſuam propter me & Evangelium, ſalvam faciet eam.* At ille idem Dominus de reliquis Juſtis inquit Matth. V. 3. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Caelorum. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Et in Apocalypſeos XIV. 13. *Beati, qui in Domino moriuntur. Opera enim illorum ſequuntur illos.* Et Jacob. I. 12. *Beatus, qui ſuffert tentationem; quoniam, quum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Cedo locum aliquem ſacrarum Literarum, ubi a Martyribus diſtinguatur ſors reliquorum Juſtorum, ita ut hiſce, & non illis, Remuneratio exſpectanda ſit poſt enormes illas moras, quibus illorum ſpem irridère videtur eruditio Burneti. Nullum proferes. Reliquum ergo eſt, quando ſanguinem pro Chriſto dantes caeleſtis Regia continuo excipit, ut & pari munere donentur ceteri morientes in Domino, dum nihil expiandum habeant in altera vita. Rurſus vero hinc elucet, in Martyrum morte Judicium a Chriſto inſtitui de illorum operibus, Judicium inquam nobis occultum, & ab altero in fine Mundi palam habendo diverſum: quod ſupra innuimus, atque immerito Burnetus agnoſcere noluit. Animae profecto e Corpore abeuntes, non ſua ſponte in Caelum aſcendunt, aut in Inferorum ſupplicia deſcendunt. Ex judicio ac ſententia Judicis aeterni variae illarum ſortes pendet, & poenae vel praemia a juſto Deo decernantur oportet. Igitur ubi pateat, neque Impiis, neque Martyribus Retributionem differri poſt mortem: nonniſi temere peculiare ejuſmodi Animarum Judicium negetur. Quod ſi de Martyribus id fateare, cur & ceteris Juſtis non idem contingat? Atque huc etiam referri poſſe puto Parabolam Talentorum Matth. XXV. 14. Haec bonus Pater, qui in Caelis eſt, unicuique pro ſuo arbitrio diſtribuit, a ſingulis poſtea rationes exacturus de recto uſu & lucro percepto. Qui quinque acceperat, totidem lucratus eſt. Itaque, veniente Domino, gratiſſima illa verba audit: *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Servus autem piger atque inutilis ejicitur *in tenebras exteriores: Illic erit fletus & ſtridor dentium.* Certum eſt, heic ſummam Juſtorum omnium Beatitudinem, & viciſſim Improborum aeternas poenas deſignari. Quum ergo ſtatim a morte Martyres praemia percipiant pro bono uſu talentorum ſuorum; Improbi vero *in tenebras exteriores* projiciantur: aequum eſt arbitrari, reliquos etiam Juſtos ad eandem

advo-

advocari mercedem poſt mortem. Neque enim, repetere liceat, unus Chriſti Domini ad univerſale Judicium *Adventus* excogitandus eſt. Ad ſingulorum quoque mortem is venit, & judicat. *Vigilate ergo*, inquit ille Matth. XXIV. 42. *quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit. Beatus ille ſervus, quem, quum venerit Dominus ejus, invenerit ſic facientem. Amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.* Uti Sanctus Joannes Chryſoſtomus, aliique animadverterunt, ad cujuſcunque mortem venire heic dicitur Chriſtus. Neque ſecus patitur verborum ſenſus; ejus enim improviſus adventus deprehenſurus eſt Servum *operantem & paratum. Ideo & vos eſtote parati, quia, qua neſcitis hora, Filius hominis venturus eſt.* Praeterea non haec dicit Chriſtus ad illos duntaxat, quos viventes Archangeli tuba ad ſupremum Judicium vocabit. Nullius roboris, nullius uſus ſententia & exhortatio fuiſſet, ſi eos tantum reſpiceret, qui tunc in vivis non erant, ac ſolum poſt tot Saecula in vivis futuri eſſent. Alloquitur Dominus Apoſtolos ipſos, atque ad eos dicit *Vigilate;* alloquitur & omnes, qui in ipſum credent uſque ad finem Mundi; & *Beatos* quoslibet Servos appellat, quos quum venerit Dominus, ut e terreno domicilio educat, invenerit operibus bonis deditos, & in juſtitia ſtantes. Et quare *Beatos?* Quia cum illis ſtatim rationes inibit; atque uti Martyres, ita & illos *ſuper omnia bona ſua conſtituet*, & unicuique e veſtigio dicet: *Euge Serve bone, intra in gaudium Domini tui.* Itaque repeto, *Adventus Domini* non unus eſt, ut Burnetus ſibi perſuadet, neque unus eſt *Dies Domini*. Mortis quoque noſtrae *Dies* hoc etiam nomine ſignificatur in ſacris Literis. Locupletem habemus teſtem, Sanctum videlicet Hieronymum, cujus verba ſunt Cap. II. in Joelem: *Diem autem Domini, Diem intellige Judicii, ſive Diem Exitus uniuſcujuſque de Corpore. Quod enim in Die Judicii futurum eſt omnibus, hoc in ſingulis Die Mortis impletur.* Chryſoſtomus vero Homil. 78. in Cap. XXIV. Matthaei, & Epiſtol. VI. ad Theodorum Monachum, verba illa Domini interpretans Luc. XII. 39. *Hoc autem ſcirote, quoniam ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret &c. Et vos eſtote parati, quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet*, ait, illic agi de ſingulorum exceſſu e vita; nam & tunc venit Dominus ponere rationem cum ſervis ſuis. Jam vidimus, Regnum Caelorum, ac Viſionem Dei quibuſque Juſtis a Deo miſericorde promitti; atque ubi ſtatuamus, tantum praemium ſtatim ſubſequi certamina & mortem Martyrum: minorem fortaſſe, beatam tamen in Caelis mercedem Confeſſoribus quoque & reliquis

Juſto-

Juſtorum Animabus confeſtim, aut brevi conſerendam credere cogimur. Id autem luculentius intelliges, quoties recogitabis, apud veteres non eos tantum, qui pro Chriſti nomine aut tormenta tolerarunt, aut etiam vitam dederunt, ſed & ceteros Deo fideliter in ſanctitate & juſtitia ſervientes, *Martyrum* appellatione fuiſſe donatos. Primi quidem per antonomaſiam, & excellenti quodam, proprioque titulo, appellati *Martyres;* reliquis per analogiam par nomen tributum fuit. Antiquiſſimus Scriptor Clemens Alexandrinus Lib. IV. Stromat. *Si igitur*, inquit, *Confeſſio Dei eſt Martyrium*, ſive Teſtimonium; *quaecumque Anima ſe pure & ſincere geſſit cum agnitione Dei, & quae praeceptis paruit, Martyr eſt, & vita, & ſermone; quomodocumque liberetur a Corpore, fidem tanquam ſanguinem, per totam vitam, & etiam in exitu, profundens.* Rurſus in eodem Libro ait: *Quicumque autem Salvatoris mandata exſequuntur, in unaquaque actione ſunt Martyres*, ſive teſtes. Paria habet Chryſoſtomus Homil. XI. in Epiſtol. ad Hebraeos, & Homil. II. in Epiſt. ad Corinthios, & alibi idem tradit. Quocum video concordes Sanctum Methodium apud Epiphanium Haereſ. LXIV. Nazianzenum in Oration. VI. Ambroſium Sermon. XX. in Pſalm. 118. Auguſtinum, Gregorium Magnum, & alios. Itaque vix nihil erit, cur Juſtus, quum poſtrema vitae dies inſtabit, invideat maturae Martyrum felicitati. Ipſius nempe Spiritus ad illorum conſortium, atque ad patriam caeleſtem e veſtigio advolabit. Si Martyrium verum ita culpas & maculas Animarum eluit, ut purae ſiſtantur ante Dei ſolium: cur ceteris quibus eſt meritum aeternae Gloriae, Caelum praecludatur, Martyribus jam reſeratum, neque amplius clauſum, uti fuit ſub veteri Lege?

## *Theorema Tertium.*

QUanto autem magis in hanc ſententiam deſcendendum erit, quoties animadvertamus, ne ipſis quidem Eccleſiae primitivae temporibus unquam defuiſſe, immo ſupra ceteros abundaſſe, qui illam non ſolum tradidere, ſed & meliorem, ſacriſque Literis, & beneficiae Dei noſtri naturae ac voluntati congruentiorem cenſuerunt? Si quid diſcriminis in eorum dictis occurrit, uti videbimus, de aeternae potius Felicitatis Loco, quam de ipſa Felicitate fuit. Quare nihil eſt, quod Burnetus pro ſua opinione antiquos Patres proferat. Proferimus & nos, & quidem longe plures, atque hac in re fide & veneratione majori dignos; uſque adeo, ut is concentus deprehendatur

inter

inter ſacras Literas, quarum verba attulimus, & Patres ipſos, ut ipſi quoque Adverſarii, ſi forte opus ſit, habituri ſint, unde a Burneti Novatoris opinione longius avertantur, & in antiqua Catholicae Eccleſiae ſententia perſtandum judicent. Catholicis enim nihil heic dubitationis reſtat, ex quo Eccleſia falli neſcia ſuum interpoſuit ſolemne decretum. Age vero in veterum examen, quo nos Burnetus vocat, invadamus.

## CAPUT SEPTIMUM.

*Sancti Clemens I. Papa, Ignatius Antiochenus Epiſcopus, Polycarpus Epiſcopus Smyrnenſis, Eccleſia itidem Smyrnenſis, teſtes minime procraſtinatae Beatitudinis Sanctorum.*

ET primo pro ſe Burnetus laudat *Sancti Clementis Romani Pontificis*, qui Anno Chriſti Centeſimo coronam Martyrii aſſequutus eſt, Epiſtolam Primam ad Corinthios, ubi Cap. V. Apoſtolus Paulus *Martyrium paſſus* dicitur, *& ita e Mundo migravit* (καὶ εἰς τὸν ἅγιον τόπον ἐπορεύθη) *atque in Locum Sanctum abiit.* Et infra Cap. L. ejuſdem Epiſtolae addit: *Generationes omnes ab Adamo uſque in hodiernum diem praeterierunt. At qui per Chriſti gratiam conſummati ſunt in Caritate, habent* (χώραν εὐσεβῶν) *Locum Piorum, qui manifeſtabuntur in viſitatione Regni Chriſti.* Nullum, inquit Burnetus, heic ſummi Caeli, nullum Viſionis beatificae verbum. Dicit duntaxat *Locum Sanctum, Locum Piorum.* Utique hoc dicit, ſed ſatis adverſus Novatores dicit. Nam quid aliud eſt *Locus Sanctus*, niſi Caelum ipſum, in quo habitant & habitaturae ſunt Juſtorum Animae, quarum gloria in adventu glorioſo Chriſti Manifeſtabitur? *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in Loco Sancto ejus? innocens manibus & mundo corde &c.* inquit Pſalmiſta XXIII. 3. Ut ut haec terreſtrem Hieruſalem, ac Templum Domini ſignificare velis, ſublimiori tamen ſenſu ſignificant apud Patres *Hieruſalem Caeleſtem, quae vere Hieruſalem eſt*, ut ait Euſebius Lib. IV. Demonſtration. Evangelic. Certe aliud ſignificare non poſſunt, dum de Juſtis vita functis ſermo habetur. Horum nempe Animae *in Montem Domini* aſcendunt, ideſt in Caelum, & ſtant *in Loco Sancto ejus;* Atque illuc revera Paulus abiit,

abiit, post datam fortiter pro Christo cervicem. Et ne dubitatio hac de re superesset, mature inquit ipse divinus Magister ad Apostolos suos Joann. XIV. 2. *Vado parare vobis Locum*. Ubinam hic locus? dicat Burnetus. *In Hade* (sunt ejus verba pag. 57.) *Hades autem est regio nobis inconspicua, sive nos latens, & notitiam fugiens, quae Animas nostras hinc emigrantes excipit*. Contra Dominus dixit: *In Domo Patris mei mansiones multae sunt: & vado parare vobis Locum, ut ubi sum ego, & vos sitis*. En ut Loca Sanctorum e Mundo abeuntium sunt *in domo Patris mei*, non vero in regione, cujus situm invenire Burnetus nequivit. Atque ubi est Christus, ibi quoque futuri post mortem sunt Justi. Quod si meliori fide agere in tota ista concertatione statuisset Novator noster, perspexisset & ipse, quae mens reapse Petri Apostoli discipulo Clementi fuerit. Nimirum is in eadem Epistol. I. ad Corinth. Cap. V. de Sancto Petro ait: *Multos sustinuit labores, atque ita Martyr effectus* (εἰς τὸν ὀφειλόμενον τόπον τῆς δόξης) *ad debitum Gloriae Locum discessit*. Tum Capite sequenti de Martyribus haec scribit: *In constanti Fidei cursu pervenerunt; & corpore debiles* (γύμνας γενναῖον) *Nobile Praemium acceperunt*. Denique Cap. XLV. de Daniele, & tribus Pueris, ceterisque Justis haec habet: *Illi vero in fiducia tolerantes, Gloriae & Honoris Heredes facti sunt; Elevati sunt, & Sublimes, Beatique effecti a Deo in memoria ipsorum, in Saecula Saeculorum*. Si Justi vita defuncti jam *debitum Gloriae Locum* consequuti sunt; si jam *Nobile Praemium* accepere; si *ad Hereditatem Gloriae* pervenerunt, *Beatique* a Deo sunt effecti: quid aliud quaerimus, ut agnoscamus, non alium a Clemente Romano Sanctis deferri *Locum*, nisi in Patria Caelesti, & subleste fide egisse Burnetum, qui haec ante oculos habens dissimulavit? Sed quando se nobis obtulit Apostolicorum temporum Scriptor Sanctus Clemens, non abs re fuerit, aliqua delibare ex Constitutionum Apostolicarum Libris. Non illi quidem, quanquam ab antiquis eidem tributi, hunc habuere Auctorem. Eruditorum tamen calculo conscarcinati videntur primis Ecclesiae Saeculis, & memorantur a Sancto Athanasio, Eusebio, Epiphanio, & aliis. Ibi Lib. I. Cap. 6. haec leguntur: *Omnes Reges, qui Justi fuere, a Deo aucti sunt, & apud ipsum Deum promissio Vitae aeternae eis perduravit. Quotquot autem Reges a Deo fornicati sunt, in defectione sua, justo Dei judicio, brevi interierunt; & Vita ejus privati sunt, Sempiternum Supplicium pro Requie sortiti*. Si non satis dilucida sunt priora verba, posteriora saltem aperte produnt, Reges malos jam in aeterna Supplicia

plicia detrusos fuisse: quibus confirmatum vides Theorema Primum, de quo in praecedenti Capite egimus, ejusque consectaria. Lib. V. Cap. 8. erga Martyres honor praecipitur: *ii enim sunt & a Deo Beatitudine donati, & a Sanctis viris honore affecti, de quibus David dixit: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Praeterea Lib. 8. Cap. 41. traditur Oratio *pro fratribus, qui in Christo requieverunt*, atque inter alia haec animadvertenda videntur: *Colloca eum in sinu Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, omniumque, qui tibi a Saeculo placuerunt: ubi non est tristitia, dolor, gemitus, immo Locus piorum sedatus, & pariter quieta terra rectorum, eorumque, qui in ea vident Gloriam Christi tui.* En quid apud veteres significarit *Locus piorum* post mortem. Ibi vident Justi *Gloriam Christi*. Quid plura petis?

Nobile Martyrii certamen consummavit *Sanctus Ignatius*, celeberrimus Episcopus Antiochenus, Anno Christi CXVI. Ex ejus Epistolis duo verba excerpsit Burnetus, inquiens, ab eo appellari τόπον ἴδιον, *Locum proprium*, ad quem, vita pro Christo data, se e Mundo abiturum confidebat. Quanam ex Epistola Burnetus haec hauserit, nescio, cur minime nos monuerit. Equidem nihil tale mihi in germanis ejus Literis occurrit. Utcunque sit, nisi funes adhibeat, nil inde Burnetus exsculpet. *Proprius Locus* Animarum pro Christo Sanguinem fundentium, ut nuper vidimus, est *debitus Gloriae Locus* apud Deum. Aequius tamen ille feciſſet, si pro dubiis verbis illa excerpsiſſet, quae praesenti quaestioni lucem suppeditare paene meridianam possunt. Mecum adeat Lector glorioſi Martyris Epistolam ad Romanos, ad quos vinctus deducebatur. Ibi eos enixe rogat, ne Martyrio suo, quod prae omnibus cupit, impedimentum adferant. *Obsecro vos*, inquit, *ne intempestiva benevolentia erga me sitis. Sinite me ferarum escam fieri, per quas licet Deum Adipisci.* Perenne hoc erat invicti Martyris desiderium: certa haec illius spes. Ita & ad Magnesianos scripserat: *Memores estote mei in orationibus vestris* (ἵνα Θεοῦ ἐπιτύχω) *ut Deum Assequar.* Idem repetit scribens ad Tralianos: *Expiet vos meus Spiritus; non modo nunc* (ὅταν Θεοῦ ἐπιτύχω) *sed & ubi Deum nactus fuero.* Quid aliud est Θεοῦ ἐπιτύχω, nisi *invenire, assequi, nancisci, attingere Deum, eoque potiri?* Num per Gratiam, num per Caritatem, ac spiritalia vota? At hoc illi adhuc viventi obtigerat. Ergo Θεοῦ ἐπιτυγχάνειν, *Adipisci Deum* nihil aliud heic est, nisi re post mortem tenere, quod Sanctus vir spe tantum in Mundo tenebat, ejusque Conspectu frui, illumque Facie ad Fa-

ciem intueri. Pergit dicere generosus Martyr in eadem Epistola ad Romanos Cap. VI. *Nil me juvabunt fines Mundi, nec Regna hujus Sæculi. Melius est mihi emori propter Jesum Christum, quam imperare finibus terræ. Illum quæro, qui pro nobis mortuus est. Illum volo.* Hoc ardore loquitur, atque omnia Regna terrarum contemnit, qui Cælestе Regnum Dei, & Christi consortium se statim a morte consequuturum novit. *Sinite me*, subdit, *purum Lumen haurire: Illuc perveniens, homo ero.* In aliis textibus legitur ἄνθρωπος Θεοῦ ἔσομαι; *Homo Dei ero.* At non alibi *Lux pura* speranda, nisi in Cælesti Hierosolyma, atque in Visione Dei. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem Facie ad Faciem*, Prima ad Corinth. XIII. 12. Sed dic & tu, beatissime Martyr, ubi *puram* hanc *Lucem* speres? Utique in cospectu misericordis Dei, atque in beatissimo Regno, ubi ille in sua gloria se Justis conspiciendum præbet. En dulcissima Ignatii verba: *Meus amor crucifixus est: & non est in me ignis amans aliquam aquam; sed vivens & loquens in me, intus mihi dicit: Veni ad Patrem.* Si Piorum Animae a Corpore separatae abirent ad enormem Somnum, Locumque ignotum, quem nobis Burnetus obtrudere vellet, jam non abirent *ad Patrem;* sed illuc, ubi non magis est Pater, quam heic, ubi nunc vivimus: atque Ignatius tantundem abfuisset a Patre, quantum vivens in Mundo erat. Immo in deterius fors illius cessisset: nam præterquamquod non secus, atque erat in Mundo, remotus fuisset a beatifica præsentia Dei; ne potuisset quidem patrimonium & meritum augere bonorum operum, Deumque sibi copiosius demereri. Id in hac vita licet, post mortem non licet. Propterea Apostolus ad Philippens. I. 22. quamquam summopere excuperet *dissolvi & esse cum Christo*, eligebat tamen adhuc *vivere in carne*, ut majorem *fructum operis*, disseminando Evangelium, perciperet. Itaque velis nolis, quum Sanctum Ignatium tanto ardore Martyrii correptum vides, ac sperantem, se confestim abiturum *ad Patrem*, nil aliud excogitare potes, quam Beatitatem, hoc est præsentiam realem, ac Visionem Dei, mox ipsi conferendam in Cælis.

Habemus etiam Acta sincera & antiquissima Martyrii ipsius Sancti Ignatii, ab Usserio Archiepiscopo Armachano edita, e quibus haec eadem doctrina majorem lucem mutuari potest. Describitur illius navigatio, quum ad gloriosum certamen positus in vinculis deduceretur. Smyrnae Sanctum Polycarpum adit, eumque *deprecatur concertare ipsius proposito, ut velocius per bestias disparens Mundo factus,*

*appa-*

*apparerat Faciei Chriſti. Et hoc ſic dixit, ſic teſtificatus eſt: tamen extendens eam, quae circa Chriſtum, Caritatem, ut CAELUM quidem apprehendere per bonam confeſſionem poſſet.* En quid optabat, & quid ſe certo aſſequuturum ſperabat Sanctus Martyr. Porro addunt Actorum Scriptores, qui *horum ipſimet conſpectores* fuerant, ſe vidiſſe in viſione beatum Athletam, *quemadmodum ex labore multo venientem, & adſtantem Domino in multa confidentia, & Ineffabili Gloria.* Hinc intelligis, an primitivae Eccleſiae Chriſtiani in Burneti ſomnia conſentiant. Et quoniam Sancti Epiſcopi Smyrnenſis *Polycarpi* facta eſt mentio, qui & ipſe exemplum Sancti Ignatii aequalis ſui aemulatus, multis poſt annis celebre Martyrium valde ſenex confecit, iſtum quoque conſulamus. Burnetus ex ejus Epiſtola ad Philippenſes Cap. IX. duo tantum verba pro ſua opinione ſelegit, inquiens, Animarum ſedes poſt Corporis mortem appellari ab eo *Locum ſibi debitum.* Quid haec verba ſignificent, nuper vidimus. Attamen integrum locum proferre praeſtat, ubi de Paulo, ceteriſque Apoſtolis ſcribit. *Perſuaſi, quod hi omnes in vacuum non cucurrerunt, ſed in fide ac juſtitia; & quod in Debito Sibi Loco Sint Apud Dominum, cum quo & paſſi ſunt.* Omiſit Burnetus, quae prae reliquis amatori veritatis proferenda erant. Locum, ubi ſunt poſt mortem Animae Juſtorum, ille ignorat. Verum ubi ſit, diſerte nobis indicat Sanctus Polycarpus: nempe *Apud Dominum*, παρὰ τῷ Κυρίῳ: hoc eſt *in praeſentia, in conſpectu Domini.* Sanctus ipſe Martyr idem teſtatus eſt, Deo ante mortem benedicens, *quod me*, ajebat, *in hunc diem & ad horam hanc perducere dignatus es, ut partem caperem in conſortio Martyrum, inter quos, quaeſo, ſuſcipiar HODIE IN CONSPECTU TUO, tanquam hoſtia pinguis.* Innumera quoque ſunt exempla in ſacris Literis praepoſitionis *Apud*, ſive Παρὰ, realem praeſentiam ſignificantis. Et quum Dominus noſter Matth. VI. 1. dicat: *Alioquin mercedem non habebitis* (παρὰ τῷ Πατρὶ ὑμῶν) *apud Patrem veſtrum, qui in Caelis eſt:* mercedem hanc acceperint Sancti neceſſe eſt, quando jam eorum Locus eſt *apud Dominum.* Ita magnus ille Polycarpus, Sancti Joannis Apoſtoli diſcipulus, *totius Aſiae princeps* a Hieronymo appellatus, & de quo Sanctus Irenaeus Lib. III. Cap. 3. ait: *Hic docuit ſemper, quae ab Apoſtolis didicerat, quae & Eccleſiae tradidit, & ſola ſunt vera; & teſtimonium his perhibent, quae ſunt in Aſia, Eccleſiae omnes.*

Ad hanc veritatem propius intuendam nos etiam manu ducet celebratiſſima Epiſtola circularis Eccleſiae Smyrnenſis *de Martyrio ejuſdem*

*ſdem Sancti Polycarpi*, illis ipſis temporibus, hoc eſt circiter Annum Chriſti CLXIII. vel CLXVI. ſcripta. De Martyrum conſtantia ibi agitur Cap. 2. *Oculis cordis reſpiciebant ad ea Bona, quae tolerantibus reſervantur: quae nec Auris audivit, nec Oculus vidit, nec in cor hominis aſcenderunt; ipſis autem a Domino monſtrabantur, utpote qui non Homines amplius, ſed Angeli eſſent.* Ergo jam ſibi paratam conſpiciebant in Caelis ſummam apud Dominum Felicitatem, atque in eam ſe brevi transferendos agnoſcebant. Hac fide & ſpe armati, & jam velut *Angeli* effecti, tormenta deſpicere, mortemque laeti non ſuſtinere tantum, ſed & invitare conſueverunt. Iis ſane fidem lubentius habeant nunc Chriſti Fideles, quam Burneto alia tradenti, & pleraque diſſimulanti, quae ſuae opinioni adverſentur. Sed ut haec etiam majori in lumine collocentur, en quae dicere pergunt Smyrnenſis Eccleſiae Presbyteri Cap. XVII. poſtquam glorioſus Martyr Polycarpus inter flammas & gladios Animam in ſpecie Columbae exhalaſſet. *Sed quum aemulus ille ac invidus & malus, Juſtorumque generi adverſus, cerneret inſigne illius Martyrium, & illum Immortalitatis Corona redimitum, ac* (βραβεῖον ἀναντίῤῥητον) *Praemium minime dubium reportaſſe: operam dedit, ne Reliquiae ejus a nobis auferrentur.* Contendit Burnetus, non ante finem Mundi Juſtis *Praemia* eſſe a Deo conferenda, atque ſecum in ejuſmodi opinione concordes eſſe primitivos Chriſtianos. En ut iis pro certo perſuaſum erat, confeſtim poſt mortem *Praemium*, & *Coronam Immortalitatis* a beneficentiſſimo Deo ſuiſſe invicto Martyri illi conlata; cujus etiam Praemii nuper Sanctus Clemens certiores nos fecit. Et quid *Corona* illa, niſi quam Sanctus Jacobus in Epiſtol. Cap. I. 12. deſcripſit, inquiens: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam, quum probatus fuerit, accipiet Coronam vitae, quam repromiſit Deus diligentibus ſe?* Quid, inquam, *Corona*, niſi Beatitudo Caeleſtis, de qua ſcribit Apoſtolorum Princeps in Epiſt. I. Cap. V. 4. *Et quum apparuerit Princeps Paſtorum* (ſcilicet ad ſingulorum mortem) *percipietis immarceſcibilem Gloriae Coronam?* Denique in Smyrnenſium Epiſtola idem repetitum videas hiſce aliis verbis Cap. XIX. *Nam per tolerantiam devicto injuſto Praeſide, ſicque Immortalitatis Corona recepta, cum Apoſtolis, omnibuſque Juſtis exſultans, Deum ac Patrem glorificat, atque benedicit Dominum noſtrum.* En *Exſultatio* ipſa, ἀγαλλιώμενος: en ipſum *Glorificare Deum* coronatis Athletis tributum, quod Joanne teſte in Apocalypſ. XIX. 7. incolae Caeli uſurpant, dicentes: *Gaudeamus & Exſultemus, & demus Gloriam Domino Deo noſtro, quia venerunt nuptiae Agni.* Luculen-

culentius autem expreſſa haec deprehendas in antiquiſſima Latina Verſione ejuſdem Epiſtolae Smyrnenſium, ab Uſſerio edita, & Saeculo Chriſti Quarto, ut is opinatur, in uſum Eccleſiae Gallicanae confecta. Hanc rurſus evulgavit Ruinartus inter Acta Martyrum. Parum diſſimilem dederat & Bollandus Tomo II. Sanctor. Januarii. Ibi legitur Cap. II. *Beatae enim Paſſiones Caeleſtia volantibus Regna parturiunt: & poſt contemta haec omnia, opes, bonores, parentes, Coronae conſummatio plena Martyrium eſt.* Cur vero Martyres animo tam intrepido omnia perferrent, ratio ibi redditur: *Parabatur enim unius horae exitio Gaudium, nulla vetuſtate periturum.* Haec ibi, quum eandem Epiſtolam, variis demtis, additis, aut mutatis, Smyrnenſes ad varias Eccleſias miſerint. Sed & ex eadem Verſione Cap. VIII. haec habeto: *Tandem hora illius ac tempus advenit, qua cuſloditae acciperet Coronam Juſtitiae*, quam ſcilicet & Apoſtolus Secunda ad Timoth. IV. 8. exſpectabat *repoſitam ſibi in illa die*, non uti opinatur Burnetus, ei tradendam poſt complura, immo plurima Saecula, ſed *Reſolutionis*, ſive mortis ſuae die, quemadmodum accepit & Polycarpus, ab Apoſtolis ipſis eruditus. Propterea beatiſſimus idem Martyr in oratione ad Deum, quam in limine certaminis praemiſit, ajebat Cap. XII. *Te benedico, qui me dignum hac paſſione duxiſti, ut vercipiam partem, Coronamque Martyrii &c. ut completo Sacrificio iſtius diei, Promiſſa tuae veritatis accipiam.* Haec veterum Chriſtianorum fides, haec doctrina, quam adhuc Catholica Eccleſia a majoribus traditam conſtantiſſime ſervat. Atque ex his paucis conſtare jam poteſt, quam longe a veritate abierit, quantumque ſuis Lectoribus imponat Burnetus, dum primitivae Eccleſiae traditionem nobis adverſam, ſibi omnino faventem, apud imperitos venditarit.

CA-

## CAPUT OCTAVUM.

*Juſtinus Martyr Chiliaſtarum errori addictus, cum Burneto tamen minime concors. Quae de praeſenti controverſia ſenſerit Auctor Quaeſtionum ad Orthodoxos.*

AT ille inſtaurato certamine fortiores pugiles pro ſua ſententia educit, quorum primus Sanctus *Juſtinus Martyr*, qui vitam pro Chriſto dedit Anno Vulgaris Aerae, ut creditur, CLXV. Is enim in Dialogo cum Tryphone, pag. 223. edition. Colonienſ. in haec verba de Animabus e Corpore abeuntibus loquitur: *Piae quidem in Loco quodam meliore manent: Injuſtae vero & Pravae in deteriore, Judicii tempus exſpectantes.* Adtexit deinde Sanctum *Iraeneum*, qui ſub finem Saeculi a Chriſto nato Secundi lauream Martyrii conſequutus creditur. Etenim is Lib. V. Cap. 31. adverſus Haereſes haec ſcribit: *Manifeſtum eſt, quia & diſcipulorum ejus, propter quos & haec operatus eſt Dominus, Animae abibunt in Inviſibilem Locum, definitum eis a Deo, & ibi uſque ad Reſurrectionem commorabuntur, ſuſtinentes Reſurrectionem: poſt recipientes Corpora, & perfecte reſurgentes, hoc eſt corporaliter, quemadmodum & Dominus reſurrexit, ſic venient ad conſpectum Dei.* Conſimilia quoque profert *Tertulliani* verba, qui circiter Annum Chriſti CCXX. finem vivendi fecit. Nam in Lib. de Anima Cap. 55. exemplo Chriſti, ad Inferos poſt mortem profecti, eos ridet, *qui ſatis ſuperbe non putant, Animas Fidelium inferis dignas: ſervi ſuper Dominum, & diſcipuli ſuper Magiſtrum; aſpernati, ſi forte in Abrahae ſinu, exſpectandae Reſurrectionis ſolatium capere.* Inſuper addit in ſuo *de Paradiſo Libello*, qui jamdiu excidit, ſe *conſtituiſſe omnem Animam apud Inferos ſequeſtrari, in Diem Domini. Origenem* pariter laudat, qui Anno Chriſti CCLIV. diem ſuum obiiſſe creditur, atque in Homil. VII. in Levitic. haec ſcripſit de Sanctorum Animabus: *Nondum receperunt, laetitiam ſuam, ne Apoſtoli quidem; ſed & ipſi exſpectant, ut & ego laetitiae eorum particeps fiam.* Sub finem quoque Saeculi Tertii floruit *Victorinus* Martyr Petavionenſis, cujus verba ſunt ad illud Apocalypſ. VI. 9. *de Animabus ſub Altari: Sed quia in noviſſimo tempore Sanctorum remunera-*

*tio*

*vatio perpetua, & Impiorum ventura damnatio, dictum eſt iis, Exſpectate. Et pro corporis ſui ſolatio acceperunt Stolas albas, ideſt donum Spiritus Sancti.* Denique *Lactantii*, qui ineunte Saeculo Quarto floruit, nota verba adfert Lib. VII. Sect. 21. Divinar. Inſtitution. *Nec tamen quiſquam putet, Animas poſt mortem protinus judicari. Omnes enim in una communique cuſtodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus Judex meritorum faciat examen. Tum quorum fuerit probata juſtitia, ii praemium Immortalitatis accipient.* Obiter heic animadvertat velim Lector, quid Lactantio ſit *praemium Immortalitatis*, tantummodo poſt Judicis aeterni adventum ac ſententiam conferendum Juſtis. Nuper vidimus *Immortalitatis Corona* illos ſtatim a morte donatos, teſtimonio Smyrnenſis Eccleſiae. Parum autem laborandum Burneto fuit, ut haec veterum loca congereret. Ea quippe, immo & alia, uti nuper monui, jamdudum Sixtus Senenſis, Cardinalis Bellarminus, atque alii e noſtris produxerant. Sed quid, quaeſo, haec poſſunt contra Eccleſiae Catholicae Dogma, quando meminerimus, tum Juſtini & Tertulliani, tum reliquorum, tamdiu differentium poenas & praemia Mortuorum, opinionem ex uno falſo principio, atque ex altera futili opinione proceſſiſſe? Ita porro ſeſe res habuit. Primus Millenarii Regni ſomnium, complendum poſt univerſale Judicium, Cerinthus temporum Apoſtolicorum Haereſiarcha invexit. Plerique Catholicorum abfuerunt ab ejus opinione amplectenda: immo diu non pauci Apocalypſim Sancti Joannis tanquam divinum Librum accipere noluerunt, veriti foetum Cerinthi ipſius, quod ibi Mille Annorum Regnum commemoretur. Verum animadvertimus, Papiae Hieropolitano Epiſcopo, ſub initium Saeculi Secundi Millenarium illud Regnum placuiſſe, atque in ejus Libris habuiſſe locum; an defaecatum a corporeis voluptatibus Cerinthi, mihi non ſatis conſtat. Illud certum eſt, *ex male intellectis Apoſtolorum narrationibus*, uti Euſebius Caeſarienſis jamdiu nos monuit, Papiam *pertenuis ingenii virum* eam conflaſſe opinionem; cui, teſte Hieronymo, Spuriae quoque *Judaeorum Traditiones* occaſionem praebuere. Veri propterea ſimile eſt, Apocalypſeos locum male intellectum ei ante oculos fuiſſe. Non hominis ingenium, ſed vetuſtatem metiti aliquot ex ſubſequentibus Chriſtianae Religionis Scriptoribus, has ab eo merces ſine haeſitatione acceperunt. Diſerte Sanctus Irenaeus teſtatur Lib. V. Cap. 33. ſe in Millenarii Regni ſententia ſequutum fuiſſe *Papiam*, cujus etiam auditor & diſcipulus fuerat. Omnes autem norunt, ut id repetam, ex ejuſmodi opinione alteram effluere, videlicet

licet Juſtis caeleſtis Regni poſſeſſionem ante univerſale Judicium deferri non poſſe. Burneti verba ſunt pag. 43. *Ecquis credat, Chriſtum revulſiſſe Lazarum a Viſione beatifica, ut in hanc vitam miſeram pedem referre cogeret?* Nemo ſane. Credemus quidem, interrogationem hanc erupiſſe ex homine aut oblito ſui, aut hoſpite in Catholicorum ſcriptis. Nimirum Orthodoxorum omnium ſententia eſt, quo tempore Lazarus e mortuis ſuſcitatus fuit, hoc eſt ante Salvatoris noſtri mortem, nondum ulli hominum recluſas fuiſſe Caeleſtis Hieroſolymae portas; ita ut nihil opus Chriſto fuerit inde illius Animam evocare, ut rurſus in quatriduanum Corpus immitteretur. Contra vero quum putida fabula Millenarii Regni, quam Burnetus revocare in vitam nititur, placuerit Irenaeo, Tertulliano, Juſtino, Lactantio, & aliis; nil mirum eſt, ſi coacti fuerint Sanctorum Retributionem in Caelis differre uſque ad extremum Judicium, immo & poſt ſomniatum illud Mille Annorum Regnum, ne Sanctos e caeleſti Beatitudine in terrenam deturbarent.

Verum ubi fundamenta Millenarii Regni nutent, immo nulla ſint: ruat oportet & ſuper illud aedificata opinio de Juſtarum Animarum carcere uſque ad finem Mundi. Et profecto Regnum hoc tot rationum ariete, ipſorumque Patrum auctoritate jamdiu concuſſum fuit, ut inter Theologos Chriſtianos nullus ſit ei amplius locus; & male ſibi blandiatur, qui ſtramineis argumentis ejus ruinas reparare ſe poſſe nunc putet. Pugnat, ut dixi, cum ipſa Apocalypſi. Pugnat cum tot aliis divinae Scripturae oraculis. Et quoties Chriſti Fideles audiunt, Redemtorem in ſupremo Judicio dicentem Juſtis, Matth. XXV. 34. *Venite benedicti Patris mei: poſſidete paratum vobis Regnum a conſtitutione Mundi:* nunquid aliud deſideratur, ut intelligant, ac certo teneant, illic agi de uno *Caelorum Regno*, quod toties Deus electis ſuis pollicitus fuit, & in quo Juſti *recumbent cum Abraham & Iſaac & Jacob?* Non duo, ſed unum Regnum ſperare nos ſemper fecit miſericors Dominus; atque illud non Terrenum, ſed Caeleſte: ita ut mirari jam ſubiret, erumpere nunc homines Chriſtiani nominis, qui deſperatae cauſſae patronum ac reſtitutorem agere velint, niſi exploratum foret, pejora audere etiam poſſe, quicunque in novitate doctrinae ſpem gloriae ac nominis ſui ſtatuunt. Excuſandi ſunt veteres, quod nondum excuſſis, & ad trutinam revocatis ab Eccleſia quaeſtionibus, aliquas olim Opiniones induerint, quas deinde Eccleſia a veritate alienas deprehenderit, atque proſcripſerit. Sunt & alii complures naevi in primitivis Eccleſiae Scriptoribus, atque in iis prae-

praeſertim, queis nunc utitur, ſive abutitur Burnetus: quos excuſare, Chriſtiani hominis eſt; amplecti rurſus ac tueri, eſſe non poteſt niſi hominis temere agentis, aut Haeretici. Quamobrem uti in tot aliis doctrinae Catholicae capitibus nihil ſapiens vir moratur, ſi quid antiquis exciderit, quod cum ſanctiſſimis Eccleſiae decretis ſubſequutis minime conſonet; ita nihil commovetur, dum quoſdam reperit apud prima Eccleſiae Saecula Regni Millenarii patronos, quum ejuſmodi Regnum jam prorſus detritum ſciat, neque certe Burneto ad illud reſtaurandum ſint vires. Itidem quia ipſius fabuloſi Regni cauſſa illico agnoſcimus procraſtinatam uſque ad finem Mundi Beatitatem Sanctorum: propterea quis non intelligat, nihil heic ponderis habere poſſe paucorum auctoritatem veterum adverſus ſtabilitam ab Eccleſia hac in re doctrinam? Et praecipue poſtquam jam vidimus, vel ab ipſis temporibus Apoſtolicis noſtrum dogma emanaſſe, illudque ſemper in Eccleſia praevaluiſſe oſtenſuri mox ſimus. Apud juſtos rerum aeſtimatores, atque Hiſtoriae & oeconomiae Eccleſiaſticae peritos, ſufficere pauca haec poſſunt. Nonnulla tamen addere juvat, quae ſatius viſum fuit Burneto ſuis occultare Lectoribus. Primum eſt, non negaſſe *Juſtinum* Martyrem, quin multi e Catholicis ſuo quoque tempore Regnum Millenarium ejuſque conſectaria averſarentur. *Confeſſus ſum tibi*, inquit, *me quidem & Alios Multos eadem mecum ſentientes arbitrari id, ſicut plane ſcitis, futurum. MULTOS vero etiam, qui PURAE PIAEQUE ſunt CHRISTIANORUM SENTENTIAE, hoc NON AGNOSCERE, tibi ſignificavi.* Quare vides, ex ipſius Sancti Martyris confeſſione, quanquam is aliter ſentiret, *Multos* tamen Orthodoxorum in contraria ſententia ſtetiſſe; ac proinde jam tum viguiſſe dogma, quod uti ſuum ſemper agnovit Catholica Eccleſia. Ita is in eodem Dial. cum Tryph. pag. 265. Judaeos ad Chriſti fidem converſos, & Legalium adhuc Rituum obſervatores, minime damnat, ſimul tamen monens, ejuſmodi Judaeos ab aliis Chriſti Fidelibus nequaquam tolerari. Et heic ſuam Juſtinus praeferebat opinionem ſententiae Orthodoxorum. Surgat nunc alter Burnetus, & Judaizantes nobis commendet: quis eum non videat, auctoritate Juſtini perperam uſum? Secundo, ex eo quod idem Juſtinus in praelaudato Dialogo ſcribat, Haereticos dicere, *non eſſe Mortuorum Reſurrectionem, verum ſimul atque moriantur, Animas ipſorum recipi in Caelum*, eoſque propterea *non exiſtimandos eſſe Chriſtianos*, fruſtra Burnetus inferre vellet pag. 51. dogma Catholicum de Beatitudine Sanctorum enatum ex Haereticorum placitis. Utique

Gnoſtici, & pracecipue Valentiniani, uti Sanctus Irenaeus tradidit Lib. V. Cap. 31. ſibi finxere, *ſimul atque mortui fuerint, ſe ſupergredi Caelos, & Demiurgum, & ire ad Matrem, vel ad eum, qui ab ipſis affingitur, Patrem. Qui ergo univerſam reprobant Reſurrectionem, quid mirum, ſi nec ordinem Reſurrectionis ſciant?* Immo ibidem Irenaeus ipſe *quoſdam ex his, qui putantur Recte credidiſſe*, cenſet *ſupergredi ordinem promotionis Juſtorum, & modos meditationis ignorare, haereticos ſenſus in ſe habentes*. Verum Catholici aliam ab eo ſententiam ſectantes, uti notiſſimum eſt, a Gnoſticis prorſus diſcrepabant; quippe minime inficiabantur Reſurrectionem Corporum, immo hanc uti inconcuſſum Chriſtianae Religionis dogma tuebantur. Neque ſentiebant, ſingulorum Chriſti Fidelium Animas, mox ut hinc emigrabant, in Caelum evolare: quod non ſine gravi impudentia ſuae ſectae hominibus Gnoſtici pollicebantur: ſed Juſtis tantum, iiſque ab omni labe purgatis, vitam in Caelis aeternam concedi exiſtimabant. Quare nimio zelo Religionis, atque aeſtu in Haereticos abreptus Irenaeus, haereticum furſur ſuſpicabatur in illorum ſententia ineſſe, qui tamen, fatente ipſo, *Recte credidiſſe putabantur;* erantque, teſte Sancto Juſtino, *Purae Piacque Chriſtianorum Sententiae*. Num Catholicum dogma quodpiam ſiniſtri quicquam incurrit, aut eſt explodendum, propterea quod olim idem ſenſerint, aut nunc ſentiant Haeretici? Quam longe a Gnoſticorum erroribus abeſſet Catholicorum ſententia Juſtini & Irenaei aevo, nemo non intelligit. Potiori forſitan jure potuiſſent viciſſim Catholici, tunc a Millenario Regno averſi, eandem Sancto Irenaeo canere cantilenam, ejuſdem opinioni *haereticos ſenſus* objiciendo. Cerinthus hercle commenticii illius Regni Auctor fuerat, Judaici Sabbatiſmi fabulis nimium fidens, atque in eo corporeas delicias ſtatuerat; quas, ſi quicquam video, ne ipſe quidem Irenaeus inde voluit excluſas, quum renovatam Terram contendat, incredibili felicitate cibos hominibus & beſtiis redditurum, ex Apocryphis Libris ſomnia ſomniis aggregans.

Sed Irenaeo parumper dimiſſo, Sanctum *Juſtinum* repetamus, & quae illius ſententia reapſe fuerit de Animabus Piorum & Iniquorum a Corpore ſegregatis, iterum ſciſcitemur. Reſpondentem habeo in Apologia Prima, quae olim Secunda dicebatur, pag. 66. Edition. Colonienſ. hiſce verbis: *Quum Animas aſſerimus poſt mortem quoque ſenſu praeditas eſſe; ac Injuſtorum quidem Excruciari; Proborum vero, ſuppliciis liberas, Feliciter Agere: cum Poetis & Philoſophis eadem aſſeverare exiſtimamur*. Infra addit: *Nos autem Immortales duntaxat*

*tantat eos fieri ſcimus, qui ſancte per virtutem ad imitationem Dei vivunt. Torqueri autem (ἐν Αἰωνίῳ Πυρὶ) in Igne Aeterno, qui abſque reſpiſcentia & morum mutatione aetatem tranſigunt, credimus.* Ad haec Burnetus e Dialogo cum Tryphone, uti nuper monui, haec tantummodo Sancti Juſtini verba e pag. 223. produxit: *Piae quidem Animae in Loco quodam meliori manent; Injuſtae vero & Pravae in deteriore, Judicii tempus tandem exſpectantes.* Verum addenda ea erant, quae ſubſequuntur, videlicet: *Hoc namque modo, quae dignae ſunt, ut Coram Deo appareant, non moriuntur amplius. Illae autem Excruciantur, quoad eas & eſſe, & Excruciari vult Deus.* Quantum haec diſtent a Burneti placitis, nemo non ſentiant. Ille cum Felicitatem Proborum, tum Poenas Improborum uſque ad finem Mundi prorogat, eorumque Animas in ſpeciem quandam Somni conjicit. At illius Somnia Juſtinus ipſe jamdiu coarguit, tradens, Juſtorum ſpiritus *Feliciter degere* poſt mortem, & quidem *in Loco quodam Meliori*, quam terrena noſtra habitatio: Iniquorum vero *Excruciari*, & quidem manere in *Loco Deteriore*, atque *in Igne Aeterno*. Quei ergo teſtem pro ſe Juſtinum Martyrem advocare Burnetus audeat? Agnoſcit ille, Nunc impiorum & iniquorum Animas *excruciari*, minime exſpectato fine Mundi. Ergo ex Theoremate primo conſequitur, Animas quoque Juſtorum deferri ad Beatorum Gloriam, atque ut illae Poenam, ita & iſtas Praemium reportare ſuarum Virtutum. Immo ea ſunt Juſtini verba, ut ſine vi ad Catholicum dogma pro Juſtis quoque accommodari poſſe videantur. Quum enim ait *in Meliori Loco* verſari, & *Immortalitate* donari Animas hinc abeuntes, *quae* (ἄξιαι τῷ Θεῷ Φανεῖσαι) *dignae ſunt*, ut *coram Deo appareant*, interpretari ſane quiſquam poſſit, hanc apparitionem *Coram Deo* futuram poſt univerſale Judicium: ſed rectius licebit nobis aliter arbitrari, hoc eſt, ut ex vi contextus verborum deducitur, contingere ſtatim a morte iſtam apparitionem *ad conſpectum Dei*. Supra vidimus *Coronam Immortalitatis*, & *Praemium* apud Deum conferri Juſtis, mox ut e vita emigrant. Idem heic innuitur; immo hujuſmodi interpretationem ab ipſo Sancto Martyre Juſtino confirmatam accipe. Narrat ille in Apologia Secunda (quae olim Prima credebatur) pag. 43. accuſatum fuiſſe apud Urbicium Praefectum Urbis Ptolemaeum quendam, quod Chriſtianae profeſſionis eſſet, & in generoſe confitentem Chriſtum, mortis ſententiam fuiſſe promulgatam. Adſtabat Lucius quidam & ipſe Chriſtianus, qui libera voce iniquum Urbicii judicium eſt exſecratus. *Tu-ne ergo quoque*, inquit Urbicius,

*eandem, quam ille, ſectam tenes?* Fortiter aſſeveravit ille; & par propterea in illum poena ab impio Judice decreta fuit. *Cui quidem*, inquit Sanctus Juſtinus, *ſe gratiam ille debere profeſſus eſt: a malis quippe dominis ſe liberari, & ad Deum Patrem & Regem optimum tranſire.* Tum ſubdit Juſtinus, Senatum Romanum alloquens: *Ne vero quiſpiam dicat: Omnes vos igitur vobis ipſis adferte manus, atque ad Deum jam Nunc Ite, neque negotium nobis faceſſite: cauſſam, cur hoc non faciamus, exponam &c.* En ergo ſtatim a morte *ad Deum Patrem & Regem*, hoc eſt ad conſpectum Dei transferri Animas, *quae dignae ſunt, ut Coram Deo Appareant;* atque adeo a Catholicorum ſententia minime abfuiſſe Martyrem Juſtinum, eumque propterea non uno titulo adverſari Novatoris Burneti placitis. Tribuuntur etiam Sancto Juſtino *Quaeſtiones & Reſponſiones ad Orthodoxos*, inter ejus Opera evulgatae. Sed foetum illum ad Auctorem ſpectare, qui Saeculo Chriſti Quincto floruerit, emunctioris naris Eruditi nunc cenſent. Attamen, quia & illius ſuffragio utitur Burnetus pag. 64. heic ei ſit locus. Igitur inquit ille Quaeſtion. LX. *Nemini ante Reſurrectionem, verum in vita tranſactarum Retributio redditur.* Tum Quaeſtion. LXXVI. *Utilitas Latroni, quod Paradiſum ſit ingreſſus, haec fuit: quod fidei commodum re ipſa percepit, per quam dignus reputatus eſt, qui Sanctorum coetui adjungeretur: in quo uſque ad diem Reſurrectionis & Remunerationis reſervatur.* Fallitur tamen hic Auctor, dum in ipſa Quaeſt. LX. contra mentem Patrum, immo & ipſius Evangelii, cenſet, narrationem de Lazaro ac Divite reſpicere tempora futura poſt Reſurrectionem & Judicium extremum. Ut quid enim *fratres ejus* dicuntur adhuc vivere ſuper terram? Ergo inde ſaltem conſtat, *Retributionem* Improborum fieri ante Reſurrectionem. Nam *ἀνταπόδοσιν* ibi *Retributionem*, non vero, ut vertit Burnetus, *Remunerationem* ſignificat, & non minus ad Juſtos, quam ad Injuſtos refertur. Deinde quum Scriptor ille Millenarii erroris ſectatorem ſe prodat Quaeſt. XCV. & Quaeſt. CXII. quid noſtra refert, ut ſupra animadvertimus, ſi e principio, quod falſum eſſe patet, ille intulit, Retributionem differendam eſſe uſque ad Carnis Reſurrectionem? Quanquam & illius verba mitius interpretari nefas nequaquam eſſet, ita ut loqui cenſeatur de perfecta tantummodo & completa illa *Retributione*, quae Animas omnium manet in ſupremo Judicio, & quam Catholici quoque agnoſcunt. Is profecto in eadem Quaeſt. LXXV. haec habet, ſtudioſe a Burneto diſſimulata: *Poſt exitum vero animarum e Corpore, illico Juſti ab Injuſtis ſegregantur* (en

pecu-

peculiare & occultum Judicium Animarum.) *Abducuntur enim ab Angelis ad condigna Loca. Ac Juſtorum quidem Animae in Paradiſum, ubi conſuetudine & aſpectu fruuntur Angelorum & Archangelorum; per Viſionem autem, & ipſius Servatoris Chriſti, pro eo atque dictum eſt: Peregre abſumus a Corpore, & praeſentes adſumus apud Dominum.* Inveniat heic, ſi potis eſt, Burnetus ſententiam ſuam; & praecipue quod is Animam e Corpore ſolutam pag. 85. ſpoliet *ſenſu & perceptione Mundi externi*, immo & *voluptate, & dolore:* quae temere effuſa dogmata earundem Quaeſtionum Auctor infra impugnat ac rejicit.

## CAPUT NONUM.

*Sanctus Irenaeus Martyr & Epiſcopus Millenarii ſomnii patronus. Eodem errore infectus Tertullianus. Uterque tamen Catholicae ſententiae ſuam vim ineſſe fatetur. Quae Origenis, Victorini Martyris, & Lactantii Firmiani hac de re opinio fuerit.*

AD Sanctum *Irenaeum* regredior, quem fruſtra Cardinalis Bellarminus a Chiliaſtarum errore purgandum ſperavit. Citius Aethiopem dealbes. Immo, ſi ei credimus Lib. V. Cap. 31. *Animae abibunt in inviſibilem Locum, definitum eis a Deo, & ibi uſque ad Reſurrectionem commorabuntur, ſuſtinentes Reſurrectionem: poſt, recipientes Corpora, & perfecte reſurgentes, hoc eſt corporaliter, quemadmodum & Dominus reſurrexit, ſic venient in conſpectum Dei.* Sed quam pauci facienda ſit illius hac de re opinio, nil luculentius oſtendet, quam ratio ab eo adhibita, ut hoc aliis perſuaderet. *Si haec*, ait, *ita eſſent, quemadmodum dicunt* (ideſt alii Catholici ejuſdem temporis, qui *putabantur recte credidiſſe*, ſentientes, Animas Juſtorum in Caelum ſine mora, aut ſine grandi mora ferri) *ipſe utique Dominus, in quem ſe dicunt credere, non in tertia die feciſſet Reſurrectionem, ſed ſuper Crucem exſpirans, confeſtim utique abiiſſet ſurſum, relinquens Corpus terrae. Si ergo Dominus legem Mortuorum ſervavit, ut fieret primogenitus a mortuis, & commoratus uſque in tertiam diem in inferioribus terrae, poſt deinde ſurgens in Carne, ſic aſcendit ad Patrem: quomodo non confundantur, qui dicunt, interiorem hominem ipſorum derelin-*

*linquentem heic Corpus, in ſuper caeleſtem aſcendere locum?* Parcat Sanctus Epiſcopus: ſuae imaginationi nimis heic ipſe indulſit, quae legem & menſuram praeſcribere voluit non ſolum actibus Chriſti Domini, ſed & divinae Beneficentiae erga ſervos ſuos, limiteſque ponere *ſupereminenti ſcientiae Caritatis Dei, qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quam petimus aut intelligimus ſecundum virtutem, quae operatur in nobis*, uti ſcribit Apoſtolus ad Epheſ. III. 19. Reſurrexit Redemtor noſter, quando voluit. Is enim de ſe ipſo ait Joann. X. 17. *Ego pono animam meam, & iterum ſumam eam. Nemo tollit eam a me: ſed ego pono eam a me ipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam; & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Quoties etiam voluit, potuit & poteſt in Caelum a ſe apertum animas electorum ſuorum recipere. Neque hilum haec inter ſe cohaerent: Chriſtus tertia die reſurrexit, & poſt quadraginta dies in Caelum aſcendit: ergo abſque Corpore Animae omnium Fidelium in Caeleſtem Patriam ab ipſo revocari nequeunt; aut certe nequeunt, niſi poſt tres dies, aut poſt dies quadraginta. Quod ſi a Chriſti Reſurrectione & Aſcenſione petendus eſſet *ordo promotionis Juſtorum*, ut Irenaeus contendit, Juſti quoque excitandi forent a mortuis tertia die, & poſt quadraginta transferendi & ipſi eſſent in Caelum. Quum autem ille ait: *Et nos ſuſtinere debemus definitum a Deo Reſurrectionis noſtrae tempus, praenuntiatum a Prophetis, & ſic reſurgentes aſſumi, quotquot Dominus ad hoc dignos habuerit:* nemo non videt, hiſce nequaquam tangi Catholicos, qui Reſurrectionem & ipſi expectant in fine Mundi, neque jam factam credunt, uti Gnoſtici dictitabant. Ceterum vix deſines mirari, dum conſideres, qualem *ordinem promotionis Juſtorum* ſanctus vir ipſe tradiderit, non divinis Literis inhaerens, ſed ſpuriis Papiae, aliorumque levis ingenii virorum traditionibus nimium credulus. Nimirum poſt univerſale Judicium cenſet futurum *Caelum novum & Terram novam*, hoc eſt Terram ipſam, quam inhabitamus, *in quibus novus perſeverabit homo, Semper nova confabulans Deo. Et quoniam haec Semper perſeverabunt Sine Fine, quemadmodum Presbyteri dicunt, tunc qui digni fuerint Caelorum converſatione, illuc tranſibunt, ideſt in Caelos: alii tute Paradiſi deliciis utentur: alii autem ſpecioſitatem Civitatis* (hoc eſt terrenae Hieruſalem) *poſſidebunt. Ubique autem Deus videbitur, & quemadmodum digni erunt videntes eum.* Reliquas illius imaginationes omitto. Quiſnam vero ſacrarum Literarum & Theologiae gnarus, haec perpendens, confeſtim non fateatur, incaſſum objici Catholicorum dogmati, de quo agimus, auctori-

ctoritatem Irenaei, utique ſumme venerandi viri, ſed *in ordine promotionis Juſtorum*, ut evidentiſſime patet, inania & incredibilia ſolum proferentis? Quod ſatis interim futurum eſt nobis, ne ille quidem negat, quin ſuo tempore aliter alii ſentirent, & *putarentur recte credidiſſe*, hoc eſt alii Catholici, qui Papiae phantaſmatis rejectis Animarum Juſtarum Beatitudinem in Caelis anticipandam credebant. Immo Sanctus Epiſcopus alibi agnoſcere videtur, Animas Martyrum, quos veros Chriſti teſtes Eccleſia tantum Catholica oſtendere poteſt, poſt mortem in Caeleſtia Regna recta ferri. Scribit enim Lib. IV. Cap. 64. ſive Cap. 33. §. 9. in Edition. Cl. P. Maſſuet: *Quapropter Eccleſia omni in loco ob eam, quam habet erga Deum dilectionem, multitudinem Martyrum in omni tempore Praemittit ad Patrem.* Similia protulit Lib. III. Cap. XVI. olim XVII. de Innocentibus pro Chriſto occiſis, inquiens: *Propter hoc & Pueros eripiebat, qui erant in domo David, bene ſortiti illo tempore naſci, ut eos* PRAEMITTERET *in ſuum* REGNUM; *ipſe Infans quum eſſet, Infantes hominum Martyres parans.* Si vel ſolas Martyrum Animas in Caelum mature profectas habemus (quae plane tunc erat communis Eccleſiae ſententia, ipſiuſque Irenaei mens fuiſſe videtur) nihil aliud opus eſt, ut totum ipſius Sancti viri, ſimulque Burneti aedificium per ſe ſolvi ac ruere intelligamus, ut ſupra oſtendi Cap. VI. Theoremate Secundo. Sed quam melius egiſſet Burnetus, ſi Irenaeum potius conſuluiſſet Lib. V. Cap. 20. ubi haec ejus verba? *Eccleſiae quidem praedicatio vera & firma, apud quam una & eadem ſalutis via in univerſo Mundo oſtenditur. Huic enim creditum eſt lumen Dei, & propter hoc ſapientia Dei. Ubique enim Eccleſia praedicat Veritatem. Qui ergo relinquunt praeconium Eccleſiae, imperitiam Sanctorum Presbyterorum arguunt, non contemplantes, quanto pluris ſit idiota religioſus a blaſphemo & impudente Sophiſta. Tales ſunt autem omnes Haeretici, & qui ſe plus aliquid praeter Veritatem invenire putant.* Opinionem de Millenario Regno, ac retardata Sanctorum Beatitate, fatetur idem Sanctus vir, ab aliis ſui aevi Catholicis improbatam fuiſſe. At quod eſt ad dogma *Infallibilitatis* Eccleſiae, impoſitumque Fidelibus de ea audienda, ejuſque decretis amplectendis praeceptum: id veluti ratum, omniumque Catholicorum conſenſu probatum Chriſtianae Religionis principium Sanctus Irenaeus compluribus aliis in locis confirmat atque inculcat; ita ut ſi is temporibus noſtris vixiſſet, primus Millenario errore depoſito, in ſententiam Eccleſiae Catholicae conceſſurus fuiſſet. Interim ex ipſius ſancti Praeſulis diſerto ſuffragio habemus

Bur-

Burnetum Haereticorum albo inſcriptum, ipſumque Irenaeum in hac ipſa quaeſtione alio ſaltem ex latere nobis militantem.

Ad *Tertullianum* quod attinet, exploratum eſt, pro Millenaria fabula & ipſum ſtetiſſe; ac mirandum proinde non eſſe, ſi ad Judicium extremum, immo & poſt ſomniatum illud Mille Annorum Regnum, plenam & abſolutam Sanctorum Beatitudinem diſtulit. Plenam, inquam: neque enim ille inficias it, quin ſtatim a morte Juſtorum & Injuſtorum occultum & peculiare Judicium Animarum fiat, complendum poſtea & manifeſtandum in poſtremo, quum omnium Corpora reſurgent. Immo non diffitetur, illis Felicitatem, & iſtis Supplicia gravia poſt mortem contingere. In Lib. de Anima Cap. 58. ita is Burnetum noſtrum, ut puto, alloquitur: *Velis, ac nolis*, & *Supplicia jam illic*, *& Refrigeria*. *Habes Pauperem & Divitem;* ideſt Evangelicum Lazarum, de quo etiam dixit in Lib. de Jejuniis Cap. 16. *Sed nec apud Inferos admonitio ceſſavit*, *ubi in Divite quidem convivia Cruciantur* (*ſcilicet in flamma* ac *tormentis*) *in Paupere vero Jejunia recreantur*. Paria habet in Lib. de Reſurrectione Carnis Cap. 17. Pergit quoque in praelaudato Lib. de Anima: *Cur enim non putes* (Burnete) *Animam & Puniri*, *& Foveri Interim*, *ſub exſpectatione utriuſque Judicii? Quia ſalvum debet eſſe*, *inquis*, *in Judicio divino negotium ſuum*, *ſine ulla praelibatione ſententiae; tum quia & Carnis opperienda eſt reſtitutio*, *ut conſortis operarum atque mercedum*. *Quid ergo fiet in tempore iſto? Dormiemus?* Ita ſane reſpondet Burnetus. Cui Tertullianus: *At enim Animae nec in vivenibus dormiunt; Corporum enim Somnus*, *quorum & ipſa mors*. *Aut nihil vis agi illic?* Ne longius ſermo elabatur, ſingula referens, ſatis erunt haec pauca. Poſtquam dixit, Animam & in carne, ſi velit, dolere; ſi velit, gaudere; ſubdit: *Hoc ſi ex arbitrio ſuo in vita*, *quanto magis ex Judicio Dei poſt Mortem?* &c. *Ergo propter hoc congruentiſſimum eſt*, *Animam*, *licet non expectata Carne*, *Puniri*. *Si ob cogitatus pios & benevolos*, *ſine Carne recreabitur* &c. *ſalva Reſurrectionis plenitudine*, *per Carnem quoque*. Perſpicis igitur, quantum hac ex parte Burneti ſomniis adverſetur ejus commilito Tertullianus. Qui & Cap. 17. de Reſurrect. Carnis, iterum contendit, *Animas* (quas errore non levi *Corporales* profitetur) *Torqueri*, *Foverique apud Inferos*, *licet nudas*, *licet adhuc exules carnis: quod probavit Lazari exemplum*. Proinde addit, Animam ſine Carne & felicitatis, & ſupplicii capacem eſſe. *Idcirco & Patitur apud Inferos*, *prior deguſtans Judicium*, *exſpectans tamen & Carnem*, *ut per illam etiam facta com-*

*pen-*

*penſet, cui cogitata mandavit.* His poſitis, jam ſequitur ex praemiſſo Theoremate Primo, immerito non ſecus a Tertulliano, atque a Burneto Animabus Juſtorum negari Beatitatem in Caelis ante univerſorum Judicium, quando & ſine Carne jam Improborum Animae torquentur & excruciantur in Inferis.

Deinde ex Burneti opinione impugnata ſeſe convertit effrene Tertulliani ingenium ad oppugnandam illorum quoque Catholicorum ſententiam, qui, uti non ſemel vidimus, jam tum arbitrabantur, nihil obſtare Juſtorum Animabus purgatis, quo minus in Caelum ferantur. Igitur inquit eodem in Libro de Anima Cap. LV. *Habes & illos cubito pellere* (ideſt irridere) *qui ſatis ſuperbe, non putant Animas Fidelium Inferis dignas, ſervi ſuper Dominum, & diſcipuli ſuper Magiſtrum, aſpernati, ſi forte in Abrahae ſinu, exſpectandae Reſurrectionis ſolatium capere. Sed in hoc, inquiunt, Criſtus Inferos adiit, ne nos adiremus; ceterum, quod diſcrimen Ethnicorum & Chriſtianorum, ſi carcer mortuis idem?* Tum Tertullianus mordicus tuetur, *nulli patere Caelum, & duntaxat cum tranſactione Mundi reſeratum iri Regna Caelorum.* Haec ille a Montano acceperat, jam in ejus Haereſin delapſus. Catholicos deinde rurſus objicientes inducit. *Immo, inquis, dormitio noſtra in Paradiſo, quo jam tunc Patriarchae & Prophetae, appendices Dominicae Reſurrectionis, ab Inferis migraverint.* Animadverte heic, quanta vetuſtate nitatur ſententia putantium, Patriarchas & Prophetas, quorum Corpora in Reſurrectione Domini & ipſa ſurrexere, ut ſcribit Sanctus Matthaeus XXVII. 52. una cum ipſo Domino in Caelum conſcendiſſe. Inani argumento utitur Tertullianus jam Montaniſta ad ejuſmodi opinionem evertendam, inquiens: *Et quomodo Joanni in ſpiritu Paradiſi regio revelata, quae ſubjicitur Altari, nullas alias Animas apud ſe, praeter Martyrum, oſtendit? Quomodo Perpetua, fortiſſima Martyr, ſub die Paſſionis, in revelatione Paradiſi ſolos illic Commartyres ſuos vidit; niſi quia nullis romphaea* (ideſt gladius verſatilis, quo in caeleſtem Paradiſum aditus vetatur, ad inſtar terreſtris) *Paradiſi janitrix cedit, niſi qui in Chriſto deceſſerint, non in Adam?* An animas tantummodo Martyrum in Caelorum Curia aſpexerit Sanctus Joannes, jam perpendimus Cap. IV. Ariolatur heic Tertullianus, & ſuo ſolum fretus cerebro inſuper negat Patriarcharum Animabus ingreſſum in Caelum, quod deceſſerint in Adam, & non in Chriſto: nam & illas Chriſti meritis, ipſo Chriſto aſcendente in Caelum, jam in Vitam aeternam translatas, Orthodoxorum ſententia eſt. Subdit poſtea: *Agnoſce ita-*

*que differentiam Ethnici & Fidelis in morte. Si pro Deo occumbas, rota Paradiſi clavis tuus ſanguis eſt.* Ad haec in Lib. de Reſurrect. Cap. 43. *Nemo*, ait, *peregrinatus a Corpore, Statim immoratur penes Dominum, niſi ex Martyrii praerogativa, Paradiſo ſcilicet, non Inferis, deverſurus.* Quid *Paradiſi* nomine deſignet heic Tertullianus, nequaquam ego decernam. *Paradiſum* ille in Apologet. Cap. XLVII. appellat *Locum Divinae Amoenitatis, recipiendis Sanctorum Spiritibus deſtinatum, maceria quadam igneae illius zonae a notitia orbis communis ſegregatum.* Satis in praeſentia ſit, evidenter agnoſci, ejus *Paradiſum* ab *Inferis* excluſum fuiſſe, atque illuc *ſtatim* emigrare Martyrum Animas; immo ibi eas eſſe *penes Dominum*. His poſitis peto, quei Burnetus (poſt amandatas omnes & Juſtorum, & Injuſtorum Animas in ignotum ſibi locum, ubi recluſas dormire illas cogit, longe a Deo, in exſpectatione ſupremi Judicii) nunc audeat teſtem pro ſe adhibere Tertullianum, qui Improborum Animas illico in Inferorum tormenta conjicit, & ſaltem Martyrum in *Paradiſum*, atque in conſpectum & viſionem Domini perducit? Praeterea animadverteris, ab acutiſſimo Afro tanquam rem certam arripi, quod & nos ſupra oſtendimus, ſcilicet melius eſſe *peregrinari a Corpore, & praeſentes eſſe ad Dominum*, nihil aliud ſignificaſſe, niſi optandam eſſe Juſtis diſſolutionem Animae a Corpore; quippe ſtatim ad Dominum evolant, & *penes Dominum* ſunt, hoc eſt praeſentia illius, utique beatifica, frui incipiunt. Incaſſum poſtea Tertullianus unis Martyrum Animabus ejuſmodi Felicitatis praerogativam pollicetur. Nulla juſta ratio occurrit, cur ceteris Proborum Spiritibus neges, quod illis concedis. Oſtium jam recluſum eſt. Vicerunt & iſti Mundum; eoſque, ut Clemens Alexandrinus, aliique Patres ajunt, non dedecet nobilis *Martyrum* appellatio, atque adeo & Praemium. Cur non opera iſtorum ſequantur & iſtos? Neque Apoſtolus cupiens *diſſolvi*, ſive *peregrinari a Corpore*, ut *preſens eſſet ad Dominum*, ſperabat id ſe confeſtim a morte aſſequuturum, quod caput daturus foret pro Chriſto; ſed quod jam conſummaſſet curſum, & fidem ſervaſſet. Fruſtra quoque ſuffragium ex Apocalypſi Tertullianus petit, quaſi mortuorum Fidelium Animae *ſub Altari* poſitae Deum non intueantur, neque ejus conſpectu fruantur. Aditum dubitationi praecludit Sanctus Joannes, dum Apocalypſ. VII. 9. ſe vidiſſe teſtatur *Turbam Magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus Gentibus, & Populis, & Linguis* (ergo non de Angelis, ſed de humanis Spiritibus) *ſtantes Ante Thronum, & in Conſpectu Agni.* Pete, quis, & ubi hic Thronus?

nus? Reſpondet Apoſtolus in ſubſequenti verſ. undecimo: *Et omnes Angeli ſtabant in circuitu Throni, & Seniorum, & quatuor Animalium. Et ceciderunt in Conſpectu Throni in facies ſuas, & adoraverunt Deum.* Haec interpretatione non egent. Caecus ſit, qui haec non videat. Atque haec pauca de Tertulliano, Millenarii phantaſmatis alioqui patrono. Quod ſi & ille diſerte fatetur, ſuis temporibus abundaſſe Catholicos, qui Juſtorum Beatitatem minime differendam cenſebant: cur nos Tertulliani ingenio, in tot aliis a veritate Catholicae doctrinae devio, quam illis, fidem in controverſia iſta adhibeamus? Eoque minus ab illo nobis timendum; nam & ipſe tandem in Catholicorum ſententiam hac in parte deſcendiſſe, & quod nos agnoſcimus, agnoviſſe videtur. Accipe *Scorpiacum* illius, Opuſculum videlicet, poſtremis ſuae vitae annis, uti eruditi cenſent, ab eo compoſitum. Is ibi pugnat contra Gnoſticos & Valentinianos, quorum ſententia erat, Chriſti Fidelium Animas Corpore ſolutas, in Caelum quidem ferri, ſed per varias Caelorum ſedes diſtineri, donec Confeſſionem nominis Chriſti coram Poteſtatibus & Spiritibus ibi degentibus faciant; neque enim Haeretici illi neceſſariam arbitrabantur ejuſmodi Confeſſionem in Terris, Martyrio ſeſe ſub obtentu hujuſce opinionis ſubducentes. *Nimirum*, ajebant, *quum Animae de Corporibus exceſſerint, & per ſingula tabulata Caelorum, de recepto diſpici coeperint &c.* Contra inſtabat Tertullianus, Confeſſionem nominis Chriſti faciendam *Coram hominibus* in Terra, quoties occaſio poſcit; Animas vero Chriſtianorum, dum ſolutae ſint peccatis, *Sine mora* in Caelum deferri, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei Patris. *Scito*, inquit ille Cap. X. *& Aſcenſum illum exinde complanatum veſtigiis Domini; nec ULLAM MORAM, aut Quaeſtionem in limine Chriſtianis occurſuram &c. Nam ſi adhuc clauſum putas Caelum, memento Claves ejus heic Dominum Petro, & per eum Eccleſiae tradidiſſe.* Ergo tandem Tertullianus contra Burnetum inſurgens, intellexit, & faſſus eſt, Caelum poſt Aſcenſionem Domini non amplius clauſum, ſed reſeratum eſſe; atque illuc Proborum Animabus ingreſſum *Sine Mora* patere; neque exſpectandum eis eſſe finem Saeculorum, ut ad Dominum cum Patre ſedentem perveniant; idque non ſolum Martyribus, ſed *Chriſtiano* cuicumque licere, dum ſordes peccatorum eluerit.

Nihil porro eſſet, cur de *Origene*, cujus etiam clypeo ſuam ſententiam Burnetus tuetur, curam heic haberemus; quando ejus Libri tot erroribus, tot imaginationibus ſcatent, ut nihili faciendum ſit,

quidquid ille, ne ſibi quidem ſaepe conſtans, excogitavit, quoties a Catholicae Eccleſiae dogmatis alienum deprehenditur. Ridet illum vel ipſe Burnetus Cap. Quincto, quod tribuat aereum Corpus Animabus poſt diſſolutionem terreſtris ſui Corporis. Millenarii praeterea Regni commentum ab Origene adoptatum novimus: quid ergo mirandum, ſi & illius conſectaria pariter nutantia idem ipſe adoptarit? Attamen addam, ſiquidem Burnetus integram Origenis narrationem ex Homilia VII. in Leviticum nobis exhibuiſſet, jam patuiſſet, aut nimis abſurda eſſe illius ſenſa, aut conciliari, componique non aegre ea poſſe cum Catholicorum ſententia. Contendit ibi fervida ſua imaginatione abreptus Origenes, nondum res creatas ad ſummam perfectionem fuiſſe adductas; ideoque Beatos ipſos nondum plenam recepiſſe laetitiam, & ne ipſos quidem Prophetas vel Apoſtolos: immo (quod ſtupeas, atque exſecreris) ne ipſum quidem gloriae Regem Chriſtum. En ejus verba: *Nondum enim receperunt laetitiam ſuam, ne Apoſtoli quidem; ſed & ipſi exſpectant, ut & ego laetitiae eorum particeps fiam.* Et quaenam eſt ejuſmodi laetitia? Animadverte, quae ſequuntur: *Neque enim*, ait, *decedentes hinc Sancti continuo Integra Meritorum ſuorum Praemia conſequuntur: ſed exſpectant etiam nos, licet morantes, licet deſides. Non enim eſt illis Perfecta Laetitia, donec pro erroribus noſtris dolent, & lugent noſtra peccata.* Addit deinde, Sanctos Perfectam nobiſcum in die Judicii Beatitudinem capturos, propterea quod totum ſimul Corpus ſuſcitandum ſit, homines nimirum univerſi. Nam Corpus iſtud, ſive Univerſitas, e ſingulis hominibus conſtans, ſi qua ſui parte careat, adhuc mancum eſt, ac proinde tunc ſolum, quum omnes reſurgent, integritatem recipiet, plenaque & completa fruetur Laetitia. *Vides igitur*, ſubdit, *quia exſpectat adhuc Abraham, ut, quae Perfecta ſunt, conſequatur. Exſpectat & Iſaac & Jacob, & omnes Prophetae exſpectant nos, ut nobiſcum Perfectam Beatitudinem capiant.* Immo haec addit: *Quod ſi tibi, qui membrum es, non videtur eſſe Perfecta Laetitia, ſi deſit aliud Membrum: quanto magis Dominus & Salvator noſter, qui Caput & auctor eſt totius Corporis, non ſibi Perfectam dicit eſſe Laetitiam, donec aliquid ex Membris deeſſe Corpori ſuo videt?* Pudeat Burnetum, teſte uti, qui deliramentis hiſce, ſi haec rigide accipiamus, vel ipſi Chriſto detrahit, ſedenti a dextris in gloria Dei Patris. Ad nos quod attinet, tenemus jam, Origenem ſatis aperte fateri, Sanctos e praeſenti vita ſublatos, *nondum Integra Meritorum ſuorum Praemia* fuiſſe conſequutos. Ergo jam *Praemium* retulere, quanquam non integrum.

tegrum. *Laetitia* quoque eſt illis, ſed nondum *Perfecta*. Adveniente Chriſto in fine Mundi, tunc eis erit Praemium completum, perfecta Laetitia. Ergo & Origenes Beatitudinem Sanctorum poſt eorum exceſſum e terris non negat. Perfectam & Plenam tantummodo negat: quod ne nos quidem diffitemur. Neque obſtat, quominus ingentem credamus illorum Beatitudinem, quamvis nondum Perfecta ſit, quando Origenes, vel ipſum Chriſtum, certe beatiſſimum, Perfecta nondum Laetitia frui, ſibi fingit; quod adhuc ſua membra, hoc eſt Fideles reliquos, exſpectet ſecum in Gloria conjungendos. Idem quoque innuere videtur Origenes Comment. in Matth. XIII. 36. ubi non ſine aliquo errore ait: *Exiſtimo ego, in ipſo ſtatim Beatitudinis initio, qua fruuntur ii, qui ſalvi fiunt, quoniam nondum purgati ſunt, qui tales non ſunt, inde oriri illam luminis Beatorum differentiam. Sed poſtquam a toto Chriſti Regno omnia collecta fuerint ſcandala, tunc futurum eſt, ut in Patris ſui Regno fulgeant Juſti, unum ſolare lumen facti.* Agnoſcit etiam in Lib. VIII. contra Celſum *Angelos*, *Animas*, & *Spiritus* precantes pro nobis: in Caelis profecto, & non in Terra. Agnoſcit demum Lib. II. Cap. ultim. Peri Archon, Sanctorum Animas e Corpore decedentes ad loca aerea duci, ubi ſublimiora diſcunt; ac tandem ſupra Caelos ad Chriſtum perduci, ubi omnia in Deo vident. En ejus verba: *Puto, Sanctos quoſque diſcedentes de hac vita, permanere in loco aliquo in terra poſito; quem Paradiſum dicit Scriptura divina, velut in quodam eruditionis loco, &, ut ita dixerim, in Schola vel auditorio Animarum, in quo de omnibus his, quae in terra viderint, doceantur &c. Si quis mundus corde, & purior mente, & exercitatior ſenſu fuerit, velocius perficiens, ad aeris locum aſcendet, & ad Caelorum Regna pervenier.* Quamobrem videat Burnetus, an congrue ſomnia ſua Origenis calculo confirmanda ſibi propoſuerit.

*Victorinum* Martyrem, cujus verba e Commentario in Apocalypſin aut interpolato, aut dubii Auctoris, laudat Burnetus, nihil moror; uti neque *Lactantium Firmianum*. Addicti iidem quoque Syſtemati aurei Millenarii Regni, Animas Juſtorum a Caelo arcere, ut toties dixi, cogebantur. Verum ejuſmodi Syſtema, inane prorſus, quis, quaeſo, niſi cum Burneto deſipere amet, concoquere nunc in tanta luce eruditionis velit ac poſſit? De *Lactantio* autem, egregio Philoſopho, infirmo Teologo, jamdiu Sanctus Hieronymus in Epiſtola 49. alias 13. ad Paulinum pronuntiavit: *Utinam tam noſtra affirmare potuiſſet, quam facile aliena deſtruxit.* Alios quoque praeter iſtum

iſtum errores in ipſius Libris deprehendimus, quos ob materiem nondum ab Eccleſia tunc ventilatam condonare quidem volumus, amplecti nequimus. Inter alia quis unquam plaudat homini, in unam *Cuſtodiam* ſive Carcerem conjicienti tam Juſtorum, quam Injuſtorum Animas poſt mortem? Sacrae Literae, ac veterum Traditio id prorſus improbant. Animus etiam refugit id credere. Atque hactenus cenſum Scriptorum, a Burneto in ſuae opinionis ſuffragium e tribus primis Eccleſiae Saeculis accitorum. Quam parum vero movere nos poſſit aut debeat illorum auctoritas, nullis ſacrarum Literarum certis documentis nixa, immo ſuper Regni Millenarii male confutam fabulam unice fundata, jam ſatis me oſtendiſſe confido. Non ſemel autem dixi (neque id negarunt, ut vidimus, Juſtinus, Irenaeus, ac Tertullianus) viguiſſe tunc etiam in Catholica Eccleſia ſententiam, a terreno illo Regno poſt ſupremum vivorum & mortuorum Judicium inchoando alienam; & pleroſque detuliſſe Animabus Juſtorum ex hac vita decedentium ſedem in Caelis, non vero in Carcere illo ſive Cuſtodia, quam poſt Lactantium Philoſophum, & Vigilantium haereticum hominem, nobis obtrudere Burnetus percuperet. Sed nunc eadem veritas in majori eſt mihi luce collocanda. Ad quod potiſſimum praeſto nobis eſſe poſſunt Acta Sanctorum ſinceriora & vetuſtiora, quae in inſigni ſua Collectione protulerunt hucuſque Joannes Bollandus, ejuſque ſucceſſores e Societate Jeſu, & Ruinartus in Libro edito contra Dodwellum. Et eorum quidem, quibus uſurus ſum, antiquitatem jamdiu docti Viri vindicarunt, ita ut idem oſtendere ſupervacaneum ſit, & me hoc onere ab iis levatum ſentiam. Praeſertim vero *Martyrum* Animas, e Corpore prodeuntes, in Caeleſtem Patriam confeſtim rapi, concordes ſenſere veteres: quod unum ubi perſuaſum habeamus, non eſt, cur ceteris Juſtis Caelum negemus, totaque Burneti moles dehiſcat oportet.

CA-

## CAPUT DECIMUM.

*Acta veterum ſincera Animas Martyrum confeſtim ad Caelorum Regnum ferri teſtantur. Clemens Alexandrinus, Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus, & Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus, non ſolum Martyribus, ſed & ceteris Sanctis patere Caelum poſt mortem teſtantur. Pro Martyribus Euchariſtica, non Propitiatoria commemoratio in ſacris. Alia Martyrum Acta eidem veritati ſuffragium praebent.*



ICEAT mihi primo loco memorare Acta Sanctae Symphoroſae, quae circiter Annum Vulgarem CXXV. in Chriſti confeſſione fortiſſime vitam dedit. De Martyribus ajebat illa: *Elegerunt magis decollari, quam vinci; paſſi mortem, quae pro nomine Chriſti ſuſcepta, inter homines quidem ignominiam eis peperit temporalem, inter Angelos vero decus & gloriam ſempiternam; inter quos nunc gradientes, & tropaea paſſionum ſuarum laudantes, CUM AETERNO REGE Vita Aeterna fruuntur IN CAELIS.* Acta vetuſtiſſima Paſſionis Sanctae Felicitatis, ejuſque filiorum, qui circiter Annum vulgaris Aerae CL. pro Chriſto decertarunt, deinde nobis ſeſe offerunt. Ibi animos natis ſuis addebat generoſa mater, inquiens: *Videte, filii, Caelum, & ſurſum adſpicite. Ibi vos exſpectat Chriſtus cum Sanctis ſuis. Pugnate pro animabus veſtris, & fideles vos in amore Chriſti exhibete.* Pugnarunt illi, *& diverſis ſuppliciis interemti, omnes effecti ſunt victores & Martyres Chriſti: & cum Matre triumphantes, ad Praemia in Caelis percipienda convolarunt. Qui pro Dei amore minas hominum, poenas, & verbera contemnentes, Chriſti amici facti ſunt in Regno Caelorum.* Quibus verbis exprimeretur merces, qua ſuos Athletas ſtatim Chriſtus donabat, jam diſcis. Aliis alii verbis idem ineffabile Praemium deſignarunt. De Sancto *Juſtino Martyre* ſupra fuit nobis ſermo. Acta judicialia glorioſi illius Martyris, circiter Annum Chriſti CLXVII. conſummati, habes edita a Ruinarto Latine, Graece quoque a Papebrochio ad diem primam Junii. Ibi Ruſticus Praefectus ſanctum virum interrogat: *Si a capite per totum corpus flagellis caeſus fueris, perſuaſum-ne habes, fore ut IN CAELUM ASCENDAS? Cui Juſtinus:*

*nus: ſpero, inquit, me habiturum, quod habent, qui Chriſti dogmata ſervaverint, ſi haec ipſa, quae dicis, perpeſſus fuero. Scio enim, omnibus, qui ſic vixerint, divinam gratiam conſervari, quoad totus Mundus conſummetur. Ad haec Praefectus Ruſticus: ergo futurum opinaris, ut IN CAELOS ASCENDAS, mercedem aliquam recepturus? Non opinor, inquit Juſtinus: Sed ſcio, & hoc tam certum habeo, ut nihil dubitem.* Cum hiſce confer nunc, quae ſupra ex ipſius Sancti Juſtini Libris attulimus, ac potiſſimum quae, ut idemmet teſtatur, Lucius quidam ad Martyrium raptus dicebat: videlicet, ſe gratiam habere Judici, vitam ſibi eripienti; *a malis quippe dominis ſe liberari, & AD DEUM PATREM & REGEM OPTIMUM TRANSIRE.* Contigit etiam circiter Annum Chriſti CLXVIII. Martyrium Sanctorum Epipodii & Alexandri; quorum Acta proſtant apud Surium, atque in Aprili Bollàndiano. Ibi Epipodius ante Praeſidem Ethnicum confitetur Jeſum Chriſtum, *qui ineffabili myſterio Homo pariter & Deus, famulis ſuis tramitem Immortalitatis inſtituit, & ad Caeleſtia Regna perducit.* Infra addit: *Mihi vita non tollitur, ſed mutatur in melius. Nec intereſt infirmitas corporea quo fine ſolvatur: dummodo ANIMA CAELIS INVECTA AD SUUM REVERTATUR AUCTOREM.* Denique, ut ibi legitur, *conſummatio accelerata eſt Martyrii, ut puerum ſuum de paſſione ac perſequutoribus triumphantem, VELOCIUS CHRISTUS REMUNERATOR RECIPERET.* Exſiſtit etiam in Romae Subterraneae Lib. III. Cap. 22. Inſcriptio, in Coemeterio Calliſti reperta, quam & Mabillonius in Itin. Ital. pag. 138. *indubitatae antiquitatis* monumentum appellat. Haec ſunt illius verba.

✠

*Alexander mortuus non eſt, ſed vivit*
*SUPER ASTRA, & Corpus in hoc tumulo*
*Quieſcit. Vitam explevit cum Antonino*
*Imp. qui ubi multum beneficii antevenire praevideret, pro gratia odium reddit.*
*Genua enim flectens vero Deo ſacrificaturus, ad ſupplicia ducitur. O tempora infauſta! quibus inter ſacra & vota ne in*
*cavernis quidem ſalvari poſſimus. Quid*
*miſerius vita? ſed quid miſerius morte?*
*cum ab amicis & parentibus ſepeliri nequeant.*
*Tandem IN CAELO CORUSCAT. Parum vixit, qui*
*Vixit.*

Saeculo Ch. ſecundo, quo imperarunt Antoninus Pius, & M. Aurelius Antoninus, & Sanctus Juſtinus geminas Chriſtianorum Apologias ſcripſit, par eſt credere, poſitum fuiſſe hunc titulum. Sed ſi ad tertium quoque Saeculum, quo ſpurii Antonini regnarunt, referre vis, nihil intereſt. Certo inde hauris, Martyrem hunc creditum fuiſſe translatum *ſuper Aſtra*, & *coruſcare in Caelo:* quibus verbis quid aliud ſignificatur, niſi ſumma Sanctorum Beatitas in Caelo?

Floruit etiam ſub finem Saeculi a Chriſto nato Secundi Clemens Alexandrinus, quem neſcio, cur in ſcenam cum reliquis non produxerit Burnetus, ut ſuorum pugilum agmen augeret. Is certe Lib. IV. Stromat. locum e Clementis Romani Epiſtola Prima ad Corinthios adfert, ſupra a nobis ad ſtateram revocatum, ubi ſcilicet Juſti morientes migrare dicuntur in Χῶραν Εὐσεβῶν *Locum Piorum*. Periculum faciam ego, an exſculpi ab Alexandrino poſſit, quid revera vocabulo hocce olim ſignificaretur. Sunt ejus verba Lib. VI. eorundem Stromat. pag. 638. Editionis Colonienſis: *Jam vero dicit Evangelium, multa, quae dormierant, ſurrexiſſe Corpora; ut quae videlicet translata eſſent* (εἰς ἀμείνω τάξιν) *ad Meliorem Locum*, ſive *Statum*. De Sanctis, qui in Chriſti Reſurrectione ſuſcitati fuerunt e mortuis, & in Caelum una cum ipſo aſcendiſſe creduntur, agit ibi Alexandrinus Philoſophus, eamque in rem adfert Hermae Verba e Lib. III. Cap. 16. Paſtoris. Si ex Abrahae Sinu in *Meliorem Locum* antiqui Patriarchae & Prophetae translati fuere: ergo non alio quam in Caeleſtem Patriam migraſſe credendi ſunt. Id quod ſatis indicare videtur Clemens idem Lib. VII. Stromat. pag. 736. ubi haec ſcribit, laudata deinde ab Euſebio Caeſarienſi Lib. III. Cap. 30. Hiſtor. Eccleſiaſticae. *Ajunt, Beatum Petrum, quum Uxorem ſuam duci ad ſupplicium videret, gaudio exſultaſſe, quod a Deo vocata, ac mox IN PATRIAM REDITURA* eſſet (εἰς οἶκον ἀνακομιδῆς) *eamque proprio nomine compellantem, hortatorio & conſolatorio vocis ſono inclamaſſe: Mulier, memento Domini*. En quo per Martyrium ſancta illa femina abitura erat, *In Patriam:* quo nomine negare nemo audeat, quin, uti nos nunc, ita & veteres Caelum & Vitam Aeternam apud Deum ſignificarint. Habemus ergo, quid *Locus Piorum*, quid *Locus* ſive *Status Melior* in Chriſtianorum veterum vocabulario ſonet. Atque in hunc Locum ſe confeſtim poſt mortem adducendos praecipue Martyres exploratum habebant. Propterea ſubdit idem Clemens: *An non ergo eſt eis manifeſta fides Spei Poſt Mortem, qui etiam ipſo tempore tormentorum Deo agunt gratias?* Sed & antea in eodem Lib.

VII. pag. 732. Edition. Colonienſ. conſtituerat Clemens *Purgationem* Animarum, poſtquam e Corpore abſceſſerunt, qua peracta quid ſubſequatur, hiſce verbis nos docet: *Poſt quam redemtionem Praemium & Honores dantur Conſummatis* (hoc eſt *Spiritibus Juſtorum Perfectis, ſive Conſummatis*, de quibus loquitur Apoſtolus ad Hebr. XII. 23.) *quum ceſſaverint quidem a Purgatione. Ceſſaverint autem etiam ab alio quocumque miniſterio, etſi ſit ſanctum, & inter Sanctos. Deinde eos, qui fuerint Mundi Corde, quod quam proxime Domino adhaeſerint, manet perpetuae contemplationis reſtitutio, & Deorum appellantur nomine, qui in eiſdem Sedibus ſunt Collocati, in quibus alii Dii, qui ſunt primi a Servatore conſtituti.* Audiſtin, *Praemia & Honores* dari *Conſummatis Spiritibus?* Accipe etiam, quid Scriptor idem habeat Lib. IV. Stromat. pag. 492. ubi Ethnicos redarguit, quia *nec Honores Poſt Mortem eorum, qui ſancte vixerunt, nec Supplicia eorum, qui injuſte & libidinoſe ſe geſſerunt, volunt intelligere: non ex noſtris ſolum, dico, Scripturis, ſed nec ſuorum ſcriptis volunt aures praebere.* Tum productis Platonis, aliorumque Philoſophorum ſententiis oſtendit, eſſe poſt mortem Praemia & Poenas Animarum: illa vero Probis ſperanda eſſe, non poſt aliquot Annorum Millia, uti Burnetus perſuadere popello fruſtra aggreſſus eſt. Nam, ut ipſe Clemens Lib. V. pag. 546. ait: *Bona autem ſpes eſt fore, ut, Poſtquam exceſſero, omnia Conſequar. Eadem ſibi volunt, quae dicuntur apud Moſem: Nemo videbit faciem meam, & vivet. Clarum eſt enim, neminem unquam vitae ſuae tempore poſſe Deum evidenter comprehendere. Qui ſunt autem Mundi Corde, Deum videbunt, poſtquam ad extremam pervenerint perfectionem.* Haec Clemens, a quo ſi hauriri & firmari ſententiam Catholicae Eccleſiae de Beatitate Sanctorum dixero, conſentientes mecum, ut ſpero, quoſque veritatis amatores habebo.

Ad Acta veterum Martyrum regrediamur. Ex ſinceris Sancti Symphoriani Martyris, qui circiter Annum Chriſti CLXXX. vitam pro Chriſto dediſſe traditur, eadem doctrina deducitur. Illum quippe euntem ad patibulum mater hiſce verbis confortabat: *Nate, nate Symphoriane, in mente habe Deum vivum. Reſume conſtantiam, fili. Timere non poſſumus mortem, quae ſine dubio perducit ad Vitam. Surſum cor ſuſpende, fili. Aſpice illum, qui regnat in Caelis. Hodie tibi vita non tollitur, ſed mutatur in melius. Hodie, nate, AD SUPERNAM VITAM felici commutatione migrabis.* Hiſce adde Acta Proconſularia Martyrum Scillitanorum, ad Annum Chriſti CCII. a

Car-


image
not
available

Dominum, atque in Caelos migrare, ubi Beatitate ac Viſione Dei fruerentur. Hujuſce doctrinae certos nos facit magnum Eccleſiae lumen Saeculo Chriſtianae Aerae Tertio praelaudatus *Dionyſius Alexandrinus*. Atque hinc etiam haurimus, non aliter Eccleſiam, quam nos ſupra, fuiſſe interpretatam Apoſtoli verba, cupientis *diſſolvi & eſſe cum Chriſto*, ſive *peregrinari a Corpore, & praeſentes eſſe ad Dominum;* uti & alia Apocalypſeos, & Evangeliſtarum atque Apoſtolorum verba, quae ſupra delibavimus; non vero uti Millenariorum coetus, Burneto carus, arbitrabatur. Et ne quis in ſuſpicionem adducatur, tanti Praemii praerogativam in ſolis tunc proprie appellatis Martyribus conſtrictam fuiſſe, ſibi in mentem revocet, quod jam monui, per analogiam quandam in cenſum *Martyrum* eos olim quoque veniſſe, qui propter alias Virtutes, & praeſertim ob Caritatis opera, in Domino morerentur. Alteram ejuſdem Sancti Dionyſii Epiſtolam Euſebius idem Lib. VII. Cap. 22. Hiſtor. Eccleſiaſtic. ad poſteros tranſmiſit. Ibi beatiſſimus ille Epiſcopus peſtilentiam deſcribit, qua laboravit Alexandrina ſua Civitas. Tyrannorum perſequutionem primo commemorat, ob quam *omnium laetiſſimam feſtivitatem egerunt conſummati Martyres, QUI IN CAELO EPULATI SUNT*. Deinde Chriſtianorum Caritatem extollit in ferenda ope fratribus ſuis lue peſtilenti infectis, in quo munere multi ex iis deceſſere, *adeo ut GENUS HOC MORTIS ob Pietatem, Fideique conſtantiam, NEQUAQUAM INFERIUS MARTYRIO cenſeatur*.

Saeculo eodem Tertio, eiſdem immo diebus, quibus Sanctus Dionyſius, floruit alterum Catholicae Eccleſiae clariſſimum lumen, *Sanctus Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus*, qui Anno Chriſti CCLVIII. glorioſiſſimo Martyrio curſum ſuum complevit. Quae tunc foret Catholicorum doctrina de Juſtorum Animabus praeſenti Saeculo ereptis, ab ipſo ſciſcitemur. Tam crebra, tam lucida ſunt eloquentiſſimi viri hanc in rem teſtimonia, ut non eruditioni, ſed oneri futurum foret, ſingula referre. Is profecto paſſim *Coronam* pugnantibus pro Chriſto pollicetur. Et qualem, quaeſo? *In Caelis*, atque *apud Dominum accipiendam*. Et quando? Non, uti Burnetus ſibi fingit, poſt complures Annorum myriades, ſed ſine mora poſt datam in agone vitam. In Epiſtola ad Sergium, Rogatianum, alioſque Confeſſores, eos hortatur, *ut in confeſſione Caeleſtis gloriae fortes & ſtabiles perſeverent, & ingreſſi viam Dominicae dignationis, ad accipiendam Coronam ſpiritali virtute* pergant. *O beatum carcerem, qui homines Dei mittit ad CAELUM! Nemo Mortem cogitet, ſed Immortalitatem:*

*tatem: nec temporariam poenam, ſed Gloriam Sempiternam, quum ſcriptum ſit: Pretioſa eſt in conſpectu Domini mors juſtorum ejus. Quando ergo Judicaturos vos, & REGNATUROS CUM CHRISTO DOMINO cogitatis* (quod & nuper vidimus a Dionyſio Alexandrino commemoratum) *exſultetis neceſſe eſt, & futurorum gaudio praeſentia ſupplicia calcetis. Beatae enim feminae, quae vobiſcum ſunt in eadem confeſſionis gloria conſtitutae, non ſolum ipſae AD CORONAM PROXIMAE ſunt, ſed & ceteris quoque feminis exemplum de ſua conſtantia praebuerunt.* Denique Dominum deprecatur, *ut initiis ad ſumma pergentibus, quos confiteri fecit, faciat & CORONARI. Opto vos, fratres cariſſimi, bene valere,* & ad *CORONAM CAELESTIS GLORIAE pervenire.* Quid ſit *Corona* Martyribus a Deo conlata, ac toties in veterum Actis repetita, hinc diſcimus, ac nos nunquam obliviſci juvabit. Tum in Epiſtol. ad Martyres & Confeſſores: *Quoſdam*, inquit, *jam comperi Coronatos, quoſdam vero ad Coronam victoriae Proximos. Laniena gravior ad hoc diu perſeveravit, non ut ſtantem fidem dejiceret, ſed ut homines Dei ad Dominum Velocius mitteret. Hic eſt agon, quem nobis oſtendit beatus Apoſtolus Paulus, in quo oportet nos currere, & ad Coronam Gloriae pervenire. Hunc igitur agonem Mappalicus ſuo, & collegarum ſuorum nomine Proconſuli repromiſit. Nec fefellit in promiſſo ſuo, & Palmam, quam meruit, accepit. Opto pariter, & exhortor, ut quos vinculum confeſſionis & hoſpitium carceris ſimul junxit, jungat etiam conſummatio virtutis, & Corona Caeleſtis.* Neque ſecus in Epiſtol. ad Moyſen, Maximum, & ceteros Confeſſores, eos laudat, qui *jam de Saeculo receſſerunt, confectoque itinere virtutis ac fidei, ad COMPLEXUM & OSCULUM DOMINI, Domino ipſo gaudente, venerunt.* Pariter in Epiſtola ad Plebem Thibaritanam ſcribit: *Gaudere nos, & exſultare voluit in perſequutionibus Dominus; quia quando perſequutiones fiunt, tunc dantur Coronae fidei, tunc probantur milites Chriſti, tunc MARTYRIBUS PATENT CAELI.* Sunt & ibi alia, quae praetermitto. Similia habes in Epiſtol. ad Nemeſianum, Felicem &c. ubi de quibuſdam Virginibus mortem pro Chriſto perpeſſis ait: *Quas ad Caeleſtem Coronam gloria geminata provexit.* Ipſos vero alloquens addit: *Exſpectatis quotidie lacti profectionis veſtrae ſalutarem diem, & jam jamque de Saculo receſſuri, ad MARTYRUM munera & DOMICILIA DIVINA properatis, poſt has Mundi tenebras viſuri candidiſſimam Lucem, & accepturi majorem paſſionibus omnibus & conflictationibus Claritatem, Apoſtolo conteſtante & dicente: Non ſunt condignae paſſio-*

*paſſiones &c.* Sed prae ceteris legenda ſunt, quae is congeſſit in calce Libri de Exhortatione Martyrii, ubi, ut reliqua omittam, in haec verba loquitur: *Quis ergo non omnibus viribus elaboret ad tantam Claritatem pervenire, ut amicus Dei fiat, ut CUM CHRISTO STATIM GAUDEAT? ut poſt tormenta & ſupplicia terrena, PRAEMIA DIVINA PERCIPIAT? Si militibus ſaecularibus glorioſum eſt, ut hoſte devicto redeant in patriam triumphantes: quanto potior & major eſt Gloria, victo Diabolo, ad Paradiſum triumphantem redire? Coheredem Chriſti fieri? Angelis adaequari? Cum Patriarchis, cum Apoſtolis, cum Prophetis, Caeleſtis Regni poſſeſſione laetari? Quanta eſt dignitas, & quanta ſecuritas exire hinc laetum: claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & Mundus; & aperire eoſdem STATIM, UT DEUS VIDEATUR ET CHRISTUS?*

Catholici dogmatis teſtem luculentiſſimum habemus Cyprianum, cujus quanta ſemper fuerit auctoritas & exiſtimatio in Religionis & Eccleſiae rebus, is tantum ignorat, qui in Eccleſiaſtica eruditione omnino ſit hoſpes. Quod plus eſt, communis etiam aliorum Catholicorum ſententia erat, ſtatim ut emigrabant e vita generoſi Athletae Chriſti, eos ad alteram beatam Vitam in Caelos transferri. Neque heic ſuſpicioni, quam intoleranda impudentia Burnetus excitat, relinquitur locus, quaſi ſacri Antiſtites, quod minime crederent, depraedicarent, eo conſilio, ut alacriores promtioreſque ad certamina pro Chriſto Fideles, urgente perſequutione, efficerent. Evertat Religionem, quiſquis haec fieri potuiſſe ſuſpicetur, ſimulque abominanda calumnia oneret viros incomparabili ſanctitate & doctrina praeditos, atque Heroes, ut ita dicam, Chriſtianae Reipublicae; quaſi Populum inani perſuaſione illi imbuerent, atque ad ſupplicia perferenda nimis credulum urgerent. Quod tamen heic ora cuicunque obſtruat: qui haec alios docebant, & ipſi exemplo ſuo confirmabant. Nam & ipſi fortiter caput dedere pro Chriſto, perſuaſum habentes, ſe ad Dominum ſuum e viſtigio profecturos, & una cum illo ſtatim regnaturos fore. Quid Ignatius, quid Polycarpus, quid Juſtinus, quid & alii egerint, jam accepiſti. Glorioſiſſimus quoque Epiſcopus Cyprianus eandem viam arripuit. Et quanquam, uti Pontius ejus Diaconus in Vita illius animadvertit, is mortem evitare poſſet, multique *etiam loca, in quae ſecederet, offerrent*, is tamen imperterritus & conſtans apparitores opperiri maluit, atque *ad Coronam Juſtitiae* (ab Apoſtolo quoque deſideratam) *conſummato agone cucurrit.* Haec Pontius, qui

& de

& de ſe haec addit: *Dolebo, quod non comes fuerim? Sed illius victoria triumphanda eſt. De victoria triumphabo? Sed doleo, quod comes non ſim. Verum vobis tamen & ſimpliciter confitendum eſt, quod & vos ſcitis, in hac me fuiſſe ſententia. Multum ac nimis de Gloria ejus exſulto. Plus tamen doleo, quod remanſi.* Communis ergo tam Sanctis Epiſcopis illius temporis, quam Populis fidelibus fuit Martyrii cupido, quia communi ac firma perſuaſione quiſque ducebatur, fore ut ſanguis ſuus *clavis Paradiſi*, & in Caeleſtem Beatitatem aditus eſſet, quemadmodum Tertullianus ajebat. Erant etiam Cypriano ante oculos loca Scripturarum, quae pro inani ſyllemate ſuo a Burneto producta vidimus; immo eadem, & plura ipſe congeſſit Lib. III. Cap. 16. Teſtimoniorum. Attamen vir doctiſſimus, non ignarus, quae tunc foret Apoſtolica Traditio & mens Eccleſiae, ſine haeſitatione non aliis tantum, ſed & ſibi pollicitus eſt certam vix conſummato certamine Coronam & Praemium in Caelis. Quod plus eſt, hoc ipſum, quod illi minime dubium erat, certum quoque erat iiſdem temporibus in Eccleſia Romana. Ubi Cypriani literas hortatorias ad ſuperanda tormenta, mortemque ſubeundam accepere Moyſes, Maximus, aliique Confeſſores Romani, in carceribus macerati ob Chriſti nomen. Epiſtolam & ipſi ad illum dederunt, quae eſt XXVI. in editione Pameliana, in qua haec ajunt. *Ex tuis ergo Literis vidimus glorioſos illos Martyrum triumphos, & oculis noſtris quodammodo, Caelum ipſos petentes proſequuti ſumus; atque inter Angelos ac Poteſtates, Dominationeſque caeleſtes conſtitutos contemplari ſumus. Sed & Dominum apud Patrem teſtimonium ſuum illis promiſſum perhibentem auribus noſtris quodammodo ſenſimus. Hoc eſt ergo, quod & nobis animum in dies ſingulos erigit, & ad conſequendos gradus tantae dignationis incendit. Quid enim glorioſius quidve felicius ulli hominum poterit ex divina dignatione contingere, quam inter ipſos carnifices in ipſo interitu confiteri Dominum Deum? quam relicto Mundo CAELUM petiiſſe? quam deſertis hominibus inter Angelos ſtare? quam impedimentis omnibus ſaecularibus ruptis in Conſpectu Dei jam ſe liberum ſiſtere? quam Caeleſte Regnum Sine Cunctatione retinere?* Haec quaeſo, intentis oculis Lector perpendat, ac ſerio recogitet. Burneti Scholam certe neſciebant, aut ſaltem falſam credebant Romani Martyres, qui tanta fiducia de Praemio in Caelis Juſtos, ſtatim ac decedebant, manente, haec Romae in centro Fidei perſcribebant. Proinde Burnetum pudeat, venditaſſe apud ſuates, trium priorum Saeculorum Chriſtianos in deliramenta ſua concordi ſuffragio conſenſiſſe.

At

At heic inquiat aliquis: utut ſanctis Martyribus e veterum communi dogmate oſtia Caeli obſerata non fuerint, unis tamen illis hactenus delatam ejuſmodi praerogativam vidimus. Quaenam ergo de reliquorum Juſtorum Animabus ſententia tunc fuit? Non aliud tunc viſum gravioribus Eccleſiae Patribus, quam quod a tot Saeculis tradit Eccleſia Catholica: videlicet ceteris quoque Juſtis ſuam eſſe ſedem in Caelo, diverſam tamen pro diverſitate meritorum, neque exſpectandum ſupremum Chriſti Judicium, ut illuc invehantur. Unum tamen diſcrimen perpetuo conſtitutum fuit inter iſtos & illos. Martyres, quod omnem labem culparum ſuo Sanguine purgarint, continuo Caelum excipit. Juſtos non eadem ſemper celeritas praemii manet. Qui aut innocentes, aut culpis per poenitentiam rite elutis e vivis abeunt, nihil obſtat, quominus recta ferantur in Caelum. Amici Dei & ipſi ſunt, ac propterea & ipſi Praemio ſtatim donantur. Quibus vero purganda reſtant in altera Vita, tum ſolum in Patriam ingreſſus eſt, quum divinae Juſtitiae factum eſt ſatis. Proinde in ſacris vel ab ipſa primitiva Eccleſia commemoratio fieri conſuevit tam Martyrum, quam ceterorum Juſtorum, ſed plane diverſo intuitu: quod & antea animadvertit Dodwellus in Diſſertationibus Cyprianicis. *Euchariſtica*, gratulatoria, laetitiae tantum teſtis erat commemoratio Martyrum, non vero *Propitiatoria*, ut eis parceret Deus. Reliquorum autem Fidelium memoria *Propitiatoria* erat, ut Fidelium in terra viventium orationibus illorum Animae in altera Vita juvarentur, qui adhuc miſericordia Dei indigerent. Veterem hanc Eccleſiae diſciplinam non uno in loco innuit praelaudatus Sanctus Cyprianus, & non ſemel expreſſit Sanctus Auguſtinus, praecipue in Sermone nunc CLIX. olim XVII. de Verb. Apoſtoli. Sunt haec illius verba: *Ideoque habet Eccleſiaſtica diſciplina, quod Fideles noverunt, quum Martyres eo loco recitantur ad Altare Dei, ubi non pro ipſis oratur. Injuria eſt enim pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.* Porro nihil dubitandum eſt, quin Sanctus Cyprianus crediderit atque tradiderit, Juſtos quoslibet, niſi quid expurgandum eis reſtet poſt mortem, in Caelum ſine cunctatione recipi. Martyres quippe quodammodo, ut ſaepe monui, ii quoque cenſebantur, qui carnem ſuam crucifigebant cum vitiis. Atque hanc Carthaginienſis quoque Eccleſiae fuiſſe doctrinam, ſatis prodit Pontius Cypriani Diaconus, dum in illius Vita animadvertit, neminem e praecedentibus ejus Urbis Epiſcopis ſanguinem effudiſſe pro Chriſto, & nihilominus ad Martyrum Praemia illos perveniſſe. *Ex quo*, inquit,

Car-

*Carthagini Epiſcopatus ordo numeratur, nunquam aliquis, quamvis ex bonis & Sacerdotibus, ad Paſſionem veniſſe memoratur: licet ſemper Deo mancipata devotio, dicatis hominibus pro Martyrio deputetur.* Affinia ſunt, quae Sanctus ipſe Cyprianus in Lib. de Habitu Virginum tradidit, ubi, poſtquam Chriſtianas puellas ad curriculum omnium Virtutum hortatus eſt, hiſce verbis documenta ſua concludit: *Durate fortiter, ſpiritaliter pergite, Pervenite Feliciter. Tantum mementote tunc noſtri, quum incipiet in vobis Virginitas honorari.* Animadverterat Pamelius, *facere hunc locum pro Invocatione Sanctorum poſt hanc vitam.* Id negat Joannes Fellus Oxonienſis Epiſcopus in Notis ad eum Librum, atque interpretationem abſonam prorſus nobis obtrudit. Niſi oculorum uſum praejudicatae opiniones ſectae ſuae doctiſſimo homini heic eripuiſſent, vidiſſet & ipſe, quod nemo non videre poteſt in Cypriani verbis. *Pervenite feliciter*, exitum e vita praeſenti, & ingreſſum in alteram meliorem aperte ſignificat. Tunc meritum *Virginum*, quae honorificaverunt Deum in corpore ſuo, ab optimo hero honoribus & praemiis afficitur. *Si quis*, inquit Dominus Joann. XII. 26. *mihi miniſtrat, me ſequatur: & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit* (& erit ſane, nolente etiam Burneto, qui vel ipſis Apoſtolis & Martyribus non locum, ubi Chriſtus nunc eſt in gloria, ſed carcerem quemdam ſibi incompertum aſſignat.) *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus.* Huc Sanctus Cyprianus reſpexit. Et potiſſimum quod paullo ante ad eaſdem Virgines dixerat: *Sed quum Habitationes multas apud Patrem ſuum dicat, melioris Habitaculi hoſpitia demonſtrat. Habitacula iſta meliora vos petitis, carnis deſideria caſtrantes, majoris gratiae Praemium in Caeleſtibus obtinetis.* Itaque e praeſenti Saeculo prudentes illae Virgines abeuntes, ad conſpectum Dei & Beatorum Gloriam migraturae confeſtim erant; ac propterea, quum illuc pervenerint, ſe illarum precibus commendat Sanctus Epiſcopus. Parem ejuſdem Sancti Cypriani locum vide infra Cap. XXIX. Hoc itidem faciendum nuper nos docuit Sanctus Auguſtinus. Et hoſce quidem Doctores Eccleſia Catholica ſequitur. Quoſnam ſequatur Novatorum temporis noſtri concordia diſcors, illi videant. Verum quae ſua mens foret, immo quae ſuae etiam Eccleſiae ſententia, ſuculentius nuſquam prodidit Sanctus Cyprianus, quam in Libro *de Mortalitate*. Invaſerat Africam teterrima peſtilentia. Jam mortem in limine quiſque ſpectabat: jam ſuam in alienis mortibus ſortem legebat. Ad Populum ſuum in tanta calamitate ſolandum atque animandum praeſto fuit zelus & eloquentia incomparabilis Sancti

Praesulis, prae ceteris ostendens, posse Fidelium quempiam, bene cum Deo compositum, ad gaudia Caelorum statim post obitum transire. *Regnum Dei*, inquit, *fratres dilectissimi, esse coepit in proximo. Praemium vitae, & Gaudium salutis aeternae, & Perpetua Laetitia, & possessio Paradisi nuper amissa, Mundo transeunte, jam veniunt. Jam terrenis Caelestia, & Magna parvis, & caducis Aeterna succedunt. Quis heic anxietatis & solicitudis locus est? quis inter haec trepidus & moestus est, nisi cui Spes & Fides deest? Ejus est enim mortem timere, qui ad Christum nolit ire: ejus est ad Christum nolle ire, qui se non credat cum Christo incipere Regnare.* Ultra non progredior, & ceteris parco. Constitutum quippe mihi est, integrum hoc Cypriani Opusculum in calce hujus mei adiicere, utpote splendidum prae ceteris testimonium doctrinae illius, quam a tot Saeculis Ecclesia Romana servat & profitetur; dignum profecto, quod quisque Christi Fidelis ad manum habeat, & identidem relegat. Pergamus nos interea colligere, quae supersunt, monumenta Ecclesiae, ad Saeculum Christi Tertium spectantia, perspecturi, quantum ipsa dissideant a pernicios Burneti placitis.

Acta authentica Sanctorum Fructuosi & Eulogii Martyrum habemus, edita a Bollando ad diem XXI. Januarii, atque a Ruinarto recusa. Mortem pro Christo subiere Tarracone in Hispania Anno CCLIX. *In carcere quarta feria stationem solemniter celebraverant. Igitur sexta feria laetus atque securus festinabat Fructuosus, ut cum Martyribus & Prophetis in Paradiso, quem Dominus praeparavit amantibus se, solveret stationem.* Consummato Martyrio, *solita Domini non defuere magnalia; apertumque est Caelum, videntibus Babylan & Migdonio fratribus nostris ex familia Aemiliani Praesidis. Qui etiam filiae ejusdem Aemiliani ostendebant Sanctum Fructuosum Episcopum cum Diaconibus in Caelum ascendentes coronatos.* Haec eadem confirmat Sanctus Prudentius in Hymno VI. Libri Περὶ Στεφάνων. Tum in haec verba desinit Actorum Scriptor Synchronus: *O beati Martyres, qui meruerunt dignam HABITATIONEM IN CAELIS, AD DEXTERAM STANTES CHRISTI, benedicentes Deum Patrem omnipotentem, & Dominum nostrum Jesum Christum, Filium ejus. Suscepit autem Dominus Martyres suos in pace per bonam confessionem.* Postrema haec retinere volui: saepe enim in Coemeteriis antiquissimis Romanis, atque aliarum Civitatum, occurrit formula haec *in Pace*. Alludebant veteres Christiani ad versiculum Psalmi IV. 9. *In Pace in idipsum dormiam & requiescam*, spem Resurrectionis a

Deo

Deo promiſſae confirmantes, & pacem Dei cum fratribus & Eccleſia innuentes. Eorum interea Animae *in Caelis* verſabantur, *ad dexteram ſtantes Chriſti, benedicentes Deum Patrem &c.* Quare intelligis, quale in Eccleſiis quoque Hiſpaniarum de hac re doctrina vigeret. Jam evulgarunt in Tomo IV. Maii, ſocii Bollandiani Paſſionem Sancti Theodoti Ancyrani, qui ad ſuperos abiit Anno Chriſti CCC. III. Nilus Scriptor coaevus, immo & teſtis oculatus, glorioſum illorum certamen deſcripſit. Ita vero illum fratres adſtantes alloquebantur: *Te quidem, poſtquam ab his aerumnis emigraveris, Caeleſtia excipient Luminaria, Angelorumque & Arcangelorum Gloria diverſimoda, & Spiritus Sancti incommutabilis Claritas, ac Dominus noſter Jeſus Chriſtus, reſidens ad Patris ſui dexteram. Horum enim bonorum cauſſa tibi erit glorioſum ac magnum, quod inſtat, certamen &c.* Ad diem quoque V. Junii in Actis Bollandianis habemus agonem Martyrum Aegyptiorum Marciani, Nicandri, & ſociorum. Quo Anno illuſtre Martyrium ii conſummarint fame peremti, non conſtat. Fortaſſis in perſequutione Diocletiani. Henſchenio, viro ejuſmodi rerum peritiſſimo, veri videtur ſimile, narrationis illius Auctorem fuiſſe Euſebium Caeſarienſem in Opere de Martyribus, cujus haec ſunt verba: *Haec erat illorum exſultatio: haec laus illis propoſita, AD PARADISI VOLUPTATEM PERCIPIENDAM, eos maxime urgebat. Poſt haec, quum tempus praeſto eſſet, quo illorum Animae ad propria Loca, & ſuum Deum properarent, Martyres ipſi, multis hymnis & laudibus Deo pronuntiatis, puriſſimas, ut decebat, Animas Deo tradiderunt.* Memineris heic, Burnetum objeciſſe nobis, irrito tamen ſucceſſu, ut vidimus, Ignatium & Polycarpum; appellantes τόπον ἴδιον *Locum Proprium*, aut τόπον ἀυτοῖς ὀφειλόμενον *Locum Eis Debitum*, quo Martyrum Animae Corpore depoſito deferebantur. Et heic Scriptor οἰκεῖος τοπος appellat, ideſt *Propria Loca*. Sed ubinam haec Loca? In *Paradiſi voluptate*, & gaudio, & *apud Deum ſuum*, ad quem Martyres vitam dando properabant. Ita in Actis Sancti Procopii Martyris, qui circiter Annum Chriſti CCCIV. in perſequutione Maximiani caput lictori obtulit, editis a Valeſio in Notis ad Euſebii Hiſtor. Eccleſiaſtic. Glorioſus ille Martyr *capite amputato INGRESSUM VITAE CAELESTIS per compendium Beatus invenit.* In Actis pariter Sancti Philippi Epiſcopi Heracleae, qui pro Chriſti nomine ſanguinem fudit cum aliis Martyribus circiter Annum Chriſti CCCIV. a Mabillonio in Tom. IV. Analector. evulgatis, Severus Presbyter Deum hiſce verbis precabatur: *Da mihi partem Corónae,*

*ut ſim cum illis junctus in Gloria, quibus eram junctus in carcere. Habeam cum illis Requiem, cum quibus nomen tuum venerabile confeſſus, tormenta Judicis ſaeva non timui.* Subdit poſtea Actorum Scriptor: *Sic beati Martyres teſtimonium vitae implevere. Felices Chriſti diſcipuli, ejus ſequuti veſtigia, per quem fuit illis conceſſa victoria: comitati etiam doctrinam Apoſtolorum, & eorum Martyrum, qui Apoſtolos ſunt ſequuti, quorum jam exutae a labe terrena ANIMAE AD CAELESTIA REGNA PROPERARUNT.* Sunt & alia vetuſtiſſima ac ſincera Martyrum Acta apud Bollandiſtas, Surium, & Ruinartum, e quibus eadem veritas colligitur; ſed miſſa facio, ne pro eruditione taedium Lectori miniſtrem. E paucis tamen, quae attuli, jam ſatis didiciſſe nos puto, non eam fuiſſe olim in Eccleſia Doctrinam, quam venditavit nuper Burnetus; immo adverſus illam conſpiraſſe fere omnes Chriſti Fideles.

## CAPUT UNDECIMUM.

*Methodii, Euſebii Caeſarienſis, Eccleſiarum Viennenſis & Lugdunenſis, Conſtantini Magni, Alexandri & Athanaſii Praeſulum Alexandrinorum, aliorumque teſtimonia pro Beatitate Sanctorum. Hilarii Pictavienſis Epiſcopi propoſita hac de re ſententia.*

TTAMEN Burnetus ſuppetias iterum opinioni ſuae petit ab aliis Saeculi Quarti, Quincti, & poſteriorum quoque temporum Patribus, puta *Chryſoſtomo*, *Theodoreto*, *Oecumenio*, *Theophylacto*, *Euthymio*. E Latinis etiam ſibi adſtipulantes jactitat *Hilarium*, *Ambroſium*, *Auguſtinum*, *Bernardum*; ea tamen arte ſemper Lectorem incautum ludificans, qua Apelles Antigonum Regem coclitem picturus, illam duntaxat vultus partem expreſſit, quae alterum oculum referebat. Scilicet ille ea tantum adfert, quae ſibi placent; contraria vero quaeque diſſimulat. Rurſus quoslibet e Patribus ſuae opinioni adverſantibus ſtudioſe celat, ut imperiti credant, totam pro illius ſententia ſtare veterum cohortem. At hiſce dolis in ſanctae Religionis negotio uti nefas eſt: iiſque tantummodo utatur, qui nihil de veritate ſolicitus, in id unum intentus eſt, ut ſuas merces incautis divendat, & nomen ſibi e novitate conquirat. Ego tum quae is diſſimula-

mulavit, ſupplebo; tum quae is pro ſe adhibuit, juſtiori lance penſabo: fietque, ut ſpero, palam, ſemper in mente Patrum prevaluiſſe ſententiam hac de re Catholicae Eccleſiae. Jamque ſupra Cap. II. animadvertimus Sanctum *Methodium*, qui circiter Annum Chriſti CCXC. teſte Hieronymo *Opus egregium* de Reſurrectione *contra Origenem* compoſuit, non alia tradidiſſe, quam quae nunc nos tradimus ac propugnamus. Digna ſunt, quae rurſus audiantur illius verba: *Quemadmodum*, inquit, *quum dies Vitae noſtrae praeſentis defecerint, bona Opera* (ut in Apocalypſi legitur XIV. 13.) *Animas noſtras recipient, ita brevi hac Vita ſoluta, ANIMAE ANTE RESURRECTIONEM HABITATIONEM HABEBUNT APUD DEUM, donec inſtauratam, & numquam caſuram Domum* (ideſt Corpus) *recipiamus*. Et quis iſte Methodius? Tyri Epiſcopus, ſimulque glorioſus Martyr, & unus ex illuſtrioribus Eccleſiae Catholicae Scriptoribus, qui a Sancto Epiphanio appellatur *vir apprime doctus, acerrimuſque Veritatis patronus*. Et quanquam ille in Convivio Virginum ad Millenarios accedere videatur, in eodem tamen Libro Oration. VIII. quantum abſit a Burneti phantaſmatis, aperte ſignificat, dum vix ſublatas e vivis Virgines de numero Prudentum in beatiſſimum Deliciarum locum invehit, ubi illarum Animae (*translatae in Caeleſtem Vitam*) ineffabilibus bonis ibi ſitis fruuntur, & fructibus ſpiritalibus veſcuntur, qui *utentes ipſis veſcenteſque, in Immortalitatem alunt, Aeternitatem eis, DIVINITATEMQUE COMMUNICANTES*. Cetera non minus vivida praetereo. Quid vero de quaeſtione hac ſenſerit *Euſebius Caeſarienſis* Epiſcopus, qui praeſertim Anno Chriſti CCCXV. eruditionis Eccleſiaſticae peritia inclaruit, inquiramus. Ipſum jam ſupra Cap. V. invenimus a Millenarii Regni opinione prorſus alienum. Porro idem in Lib. I. Cap. 13. Hiſtor. Eccleſiaſtic. literis conſignavit Abgari Regis converſionem ad Chriſti Fidem, ſimul tradens, ad eum fuiſſe miſſum a Thoma Apoſtolo Thaddaeum, unum e ſeptuaginta Chriſti Diſcipulis, qui inter alia ipſum docuit, *quo pacto Servator noſter reſurrexerit, & mortuos, qui multis retro Saeculis ſepulti jacebant, ſecum una ſuſcitaverit; utque ſolus quidem e Caelo deſcenderit, aſcenderit vero ad Patrem cum maximo comitatu, & ad ejus dexteram honorifice ſedeat in Caelo*. Abgari Hiſtoriam, atque ad eum Chriſti Epiſtolam, immo & Thaddaei ipſius praedicationem, cuicumque per me liceat ad fabulas amandare. Iſtud minime moror. Quod noſtra intereſt, Euſebii aevo eam viguiſſe intelligimus opinionem, videlicet Sanctos Patres, quos Chriſtus in ſua Reſurre-

ſurrectione ſuſcitavit e mortuis, Matthaeo teſtante in Evangelio, in Caelum aſcendente poſtea ipſo, illos quoque una cum eo in Caeleſtem Aulam fuiſſe translatos. Et haec ſane opinio antiquiſſima; ipſam quippe tradidit Sanctus Herma Pauli Apoſtoli diſcipulus Lib. III. Cap. 16. Paſtoris: ipſam adoptarunt Clemens Alexandrinus Lib. VI. Stromat. & Origenes Homil. XV. in Exodum, & alii ex antiquis, quos in praeſentia recenſere nihil attinet. At quicunque deſcenderunt in ejuſmodi ſententiam, ſi non certam, ſaltem veri valde ſimillimam, & fortaſſis ab Apoſtolo indicatam, quum de Chriſto ait Epheſ. IV. 8. *Aſcendens in altum Captivam Duxit Captivitatem:* ii procul dubio agnoverunt, Caeli portas non adeo Juſtis praecluſas fuiſſe, ut praeter Redemtorem noſtrum hactenus neminem e mortalibus receperint, neque recepturae ſint, niſi poſt Reſurrectionem futuram omnium, immo poſt aureum Millenarium Regnum: uti veterum ſomniorum reſtaurator Burnetus contendit. Quod ſi jam in beatiſſimam regionem viventium ſimul cum Chriſto, Patriarchis, & Prophetis ingredi licuit, qui tamen adſtabunt & ipſi in poſtremo Chriſti Domini Judicio: vides jam nihil officere inconcuſſo dogmati de eodem univerſali Judicio illorum ſententiam, qui ceterorum Juſtorum Animabus, ſimul ac e Saeculo migraverint, aut purgatae fuerint, Caeli oſtia patere pro certo habent.

Accedit, quod idem Euſebius Lib. V. Cap. primo, & ſequenti, refert celebratiſſimam Epiſtolam Eccleſiarum Viennenſis & Lugdunenſis de Martyrio Sancti Pothini Epiſcopi, & aliorum, qui Anno Chriſti CLXXVII. forti animo jugulum obtulere carnifici pro Chriſti nomine. In ea Epiſtola legimus, quanta conſtantia beati illi pugiles certarint pro Chriſto, levia reputantes tormenta quaelibet, quia *ad Chriſtum ire properabant*. Ibi Advocatus Chriſtianorum & ipſe Martyrium conſummavit, *germanus* revera *Chriſti diſcipulus, ſequens Agnum, quocumque ierit*. Infra quoque ajunt: *Aequum ſane erat, ut fortiſſimi Athletae, qui multiplex certamen ſubierant, atque inſignem victoriam retulerant, inſignem Immortalitatis Coronam acciperent*. Quid ſit *Corona Immortalitatis*, ſupra Cap. VII. animadvertimus. Generoſa quoque Martyr Balbina, poſtquam *Filios ad fortiter certandum accenderat, & victores AD REGNUM PRAEMISERAT, eoſdem certaminum curſus, quos Filii confecerant, remeriens, ad eoſdem ire properabat, de exitu ſuo laeta atque exſultans, prorſus quaſi ad Nuptiale Convivium invitata, non beſtiis objecta eſſet*. Equidem quum veneranda haec antiquitatis Chriſtianae monumenta lego, & fortitudinem & ala-

& alacritatem Sanctorum in tam horribilibus tormentis contemplor, lacrymas continere non poſſum; ſimulque iraſcor Burneto nobis nunc venditanti, *Coronam*, & *Praemium* vel ipſis Sanctis Martyribus ne nunc quidem poſt tot Saecula datum, neque dandum niſi in Mundi excidio, quod, unus Deus novit, quot adhuc Saeculis a nobis diſtet. Aliam fidem, aliam Traditionem profecto primitiva Eccleſia, ut vidimus, tenuit, & quidem per omnes Eccleſias. Nam ita ſenſiſſe Eccleſiam Romanam, Eccleſias Africae, Aegypti, Aſiae, Hiſpaniae vidimus, quibuſcum concordes nunc videmus Galliarum. Spes nempe, immo firmiſſima Fides perveniendi e veſtigio ad Dominum, ejuſque Regiae Beatitate fruendi, quam a vicinis Apoſtolis, atque adeo ab ipſo Chriſto acceperant, illa illa erat, quae ad tormenta ſubeunda generoſos Fidelium animos urgebat; neque tantum intrepidos, ſed & hilares in ipſa laniena efficiebat. Atqui tantae Spei ac Fidei bellum nuper indixit Burnetus. Quidni indignationem atque opprobrium apud quemque verum ſanctae Religionis amatorem, non vero gloriam, pravum ejus conſilium incurrat? Habemus ejuſdem Euſebii Orationem Lib. X. Cap. 4. Hiſtor. Eccleſiaſtic. ubi ſequutus Apoſtolum in Epiſtol. ad Hebr. XII. 22. commemorat *ſupernam illam Hieruſalem*, *Caeleſtem Montem Sion*, *& ultra Mundum poſitam Civitatem Dei viventis*, *in qua innumerabiles Angelorum chori*, *& Eccleſia primogenitorum*, *qui in albo Caeleſtium Civium deſcripti ſunt*, *& conditorem ſuum ac ſummum omnium ducem Hymnis venerantur*. Vides, minime dubitaſſe Euſebium, quin multa jam turba Fidelium in Caeleſtem illam Civitatem fuerit invecta. Atque illuc prae ceteris Sanctos Patres a Chriſto aſcendente in Caelum deductos ait Lib. IV. Cap. 12. Demonſtration. Evangelicae. Illuc quoque Conſtantini Magni Auguſti Animam jam penetraſſe, doctiſſimus ipſe vir certum putabat Lib. I. Cap. 2. de Vita ejuſdem Auguſti, ubi haec ſcribit: *Jam vero quum ad ipſos uſque Caeli fornices mentis meae aciem extendi*, *atque illic beatiſſimam ejus ANIMAM CUM DEO VERSARI cogito: terreſtri quidem ac mortali integumento liberatam*, *circumdatam vero ſplendidiſſimae Lucis Stola; eamque non jam brevi temporis curriculo in his caducis ſedibus volutari*, *ſed Corona perpetuo vigente*, *& Immortali Vita*, *ac Beato Aevo donatam eſſe intelligo: mutus haereo &c.* Gemina ſunt, quae idem Lib. III. Cap. 46. ejuſdem Vitae tradidit de Helena Auguſta Conſtantini matre, muliere ſanctiſſima, ipſam inquiens *longo vitae ſpatio decurſo*, *ad Felicioremi Sortem accitam fuiſſe*. Eluxit & in illius morte pietas, *adeo ut nequa-*

*quaquam mori mulier beatiſſima, ſed potius caducam hanc vitam cum Immortali Vita commutare, recte ſentientibus videretur. ANIMA igitur illius, in incorruptibilem & Angelicam ſubſtantiam reformata, AD DEUM SALVATOREM SUUM ASSUMTA EST.* Quamobrem non unis Martyribus, ſed quibuſvis Juſtis aditum in Caeleſtem Beatitudinem tunc etiam Eccleſia ſentiebat. Ad haec Lib. IV. Cap. 63. morientis Conſtantini alacritatem exprimit, utpote qui adſtantibus & lacrymantibus reſponderet: *Properare ſe, & profectionem ad Deum ſuum nulla tergiverſatione differre.* Is autem die feſto Pentecoſtes *ad ſuum Deum migravit, mortalibus quidem partem ſui mortalem relinquens; eam vero ANIMAE PARTEM, quae intelligentia & amore Dei praedita erat, DEO SUO CONJUNGENS.* Sed & ipſius Conſtantini Auguſti Orationem ad Sanctorum coetum exhibet Euſebius, in qua Cap. XII. ſortis Martyrum animus extollitur his verbis: *Quumque graviſſimos terrores generoſe* (Martyr) *ſuperaverit, Corona donatur ab eo ipſo, cui teſtimonium conſtanter perhibuit; atque hujuſmodi vitam excipit immortalis memoria, & Gloria Sempiterna.* Ad Orationem quoque de Laudibus Conſtantini, ab ipſo Euſebio vivente eidem Auguſto recitatam, quiſquis accedit, obviam habet elegantem deſcriptionem Regni ac Beatitudinis Caeleſtis, pag. 619. Edition. Moguntinae; in qua unigenitum Dei Filium, *beatiſſimas illas Poteſtates, juſtitiae radiis & ſapientiae lumine colluſtrare, & ANIMAS HOMINUM vera Pietate exornatas, non caeli ambitu, ſed SINU SUO ACCIPIENTEM Promiſſa ſua rebus ipſis firmare atque adimplere CREDIMUS.* In Ethnicorum deinde crudelitatem adverſus Chriſtianos, atque in Martyrum admirabilem conſtantiam infra excurrit Euſebii, omnium teſtis oculati, oratio. Iſtorum *certamina*, inquit, *& pro Pietate exantlatos labores, quum judicio ſuo ſummus omnium Moderator comprobaſſet, eos quidem, qui jam ad Ipſum Migraſſent, TRIUMPHALIBUS APUD SE ORNAMENTIS DECORATOS, Caeleſtibus Angelorum choris adſcripſerat. Alios vero, velut rediviva quaedam Pietatis ſemina, adhuc in terra ſervavit &c.* Sunt & alia ejus generis in hac ipſa Oratione, quae brevitatis cauſſa praetermitto. Omnia autem dilucida, omnia in idem conſpirantia, ut intelligamus, quantum a Burneti rationibus abſcedat primitivae Eccleſiae Traditio de Beatitudine Sanctorum, in quam ſtatim Martyres invehebantur, reliqui vero Juſti citius aut ſerius pro ſuorum meritorum menſura. Qualis vero, quantuſque vir, & quam idoneus hac in re teſtis fuerit Euſebius Caeſarienſis, non indiget eruditus Lector, ut ex verbis meis ediſcat.

Iisdem temporibus, quibus Eusebius, floruit & *Alexander* insignis Archiepiscopus Alexandrinus. Hic Anno Christi CCCXXVI. uti habetur ex ejus Actis a Photio laudatis Cod. 256. *pie & sancte pro terrestri Caelestе Domicilium adeptus est.* Eidem successit *Sanctus Athanasius*, illustre nomen in terris, & longe splendidius in caelis. Vitam ille Sancti Antonii Abbatis literis consignavit, quam a nonnullorum censura Cl. Montfauconius in editione illius Operum vindicavit: ubi haec animadvertenda censui, antiquissimam Versionem sequutus. Vitam quippe illam, fortassis Athanasio ipso vivente, *Evagrius Antiochiae Episcopus, acris ac ferventis ingenii, quum adhuc esset Presbyter, in sermonem nostrum transtulit*, uti fidem facit hisce verbis Sanctus Hieronymus Cap. 125. de Scriptoribus Ecclesiasticis. Igitur inquit Athanasius: *Quum ante cibum orare coepisset, raptum se sensit in spiritu, & ab Angelis in Caelum deferri, prohibentibus transitum aeris Daemonibus &c.* Rediens autem Antonius in se, reputabat secum *humanorum hostium multitudinem, & colluctationem tanti exercitus, & laboriosum per aerem iter ad Caelum, & hoc Apostoli dictum, quo ait: Non est nobis colluctatio &c. Qui sciens aereas Potestates ob id semper tentare, luctari, & contendere, ne nobis liber transitus esset ad Caelum, hortabatur monens: Assumite arma Dei &c.* Occasionem visio ejusmodi discipulis praebuit, ut *ab eo sedule scisciterentur, quemadmodum se post Corporis sarcinam Anima gereret, quive ei locus post exitum concederetur. Proxima nocte vox desuper, nomen ejus inclamitans, ait: Antoni, exsurge, exi, & vide. Qui egressus, elevatis ad Caelum oculis, vidit quemdam longum atque terribilem, caput usque ad nubes attollentem. Vidit etiam pennatos quosdam, se elevare cupientes ad Caelum; atque illum extensis manibus prohibere transgressum. E quibus alios adprehensos elidebat ad terram, alios, frustra contendens, dolebat super se ad Caelestia transvolare: & maximum gaudium mixtum moerore victi victoresque tribuebant. Statimque ad eum vox facta est, dicens: Animadverte, quod vides. Et tunc coepit illuminato corde intelligere, ANIMARUM ESSE CONSCENSUM, & Diabolum prohibentem; qui & sibi retineret obnoxios, & in Sanctorum, quos decipere non poterat, cruciaretur volatu.* Locum Animabus Justorum destinatum, post discessum e vita praesenti, ab Antonio scisciabantur illius discipuli. Visio illi exhibita non aliud domicilium, quam *Caelum*, paratum esse Justis, aperuit: appposite nimirum ad communem temporibus quoque illis Ecclesiae doctrinam. Praeterea Sanctus Athanasius in Epistola ad Luciferum Episcopum

Calaritanum ſcripſit: *Etiam nos optamus, tenentes Apoſtolicam Traditionem, vivere juxta Legis mandata, ut poſſimus vobiſcum inveniri in Choro illo, in quo NUNC exſultant Patriarchae, Prophetae, Apoſtoli, ac Martyres.* Et infra: *Gaude igitur, in eo te eſſe, in quo etiam Praedeceſſores tui NUNC ſunt Martyres, hoc eſt in Choro Angelorum.* Neque dimittendus heic nobis *Lucifer* ipſe, qui Conſtantio Auguſto imperante Libellum ſcripſit cum hocce titulo, *Moriendum eſſe pro Filio Dei.* Ibi, poſtquam de Martyribus a Domino dictum fuiſſe ait: *Gaudete & exſultate, quoniam merces veſtra multa eſt in Caelo*, ad Conſtantium converſus addit: *Hos tu omnibus impotens de gradu putaſti pellere? Quod enim elegerint, non vobiſcum negatoribus torqueri apud Inferos, ſed CAELESTE CONSEQUI REGNUM, hos per inanem Regni tui auctoritatem cenſueras temet ſuperaturum.* Infra ſubdit: *Diſperdidiſti reſiſtentes tibi variis in locis. Sed hi omnes, quod tu audire minime vis, Martyres ſunt. Illos omnes BEATISSIMOS, tuo mactatos gladio, IN PARADISO ESSE qui CREDIMUS, crede mihi, quod a te ſtatuerimus interfici &c.* Quibus verbis ſatis innuit, non aliud ſibi eſſe *Paradiſum*, quam *Caeleſte Regnum*, de quo paullo ante loquutus fuerat. Et praecipue quum infra ſubdat: *Tantam vero BEATITUDINEM, quam Sancti ſunt MARTYRES ADEPTI, nemo, ut videmus, eſt conſequutus, niſi hi, qui mortem propter unicum Dei Filium moriendo vicerunt.* Apertius quoque inferius prodit, ubi ſint *Beati MARTYRES, quos jam Dei potentia CAELESTIBUS IN REGNIS ESSE CONSTITUTOS cernimus.* Et rurſus acris ingenii vir Conſtantium alloquutus in haec verba erumpit: *Quis tantam ſibi oblatam Felicitatem reſpuat, niſi qui te infelicior, quum videat, confeſſione vocis unius, Chriſtianus ſum, adverſa ſuccumbere, laeta provenire, patefieri Regna, Aeterna parari Imperia? Quis non malit particeps ac Socius Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Cunctorumque Juſtorum inveniri, quam Judae, cujus tu exſtitiſti imitator?* En doctrinam ſtabilem Eccleſiae Catholicae: ſtatim Martyribus Regni Caeleſtis oſtia patebant. Reliquis etiam Juſtis non negabatur illuc ingreſſus, ſed non omnibus aut par gloria, aut tam citus dabatur ingreſſus. Vide etiam ad diem XX. Februarii in Actis Sanctor. Bollandi, Martyrium Sanctorum Sadoth Epiſcopi, atque aliorum in Perſide Anno CCCXLVI. pro Chriſto caeſorum. Oblata eſt Sancto viro in ſomnis *ſcala, cujus initium erat in Caelo; ei autem ſuperſtabat Sanctus Epiſcopus Symeon ſum Infinita Gloria, qui ait. ASCENDE AD ME, SADOTH, A-*

SCEN-

*SCENDE. Ego enim heri aſcendi; tu vero hodie aſcendes.* Quibus verbis tum ſuum Martyrium jam completum, & alterius brevi complendum indicavit. Propterea Sanctus Sadoth fratres adhortari coepit ad grande certamen, inquiens: *Quamdiu dies eſt, celeri pede AD REGNI CAELESTIS DOMICILIUM TENDAMUS, ut honoris GLORIAEQUE HEREDITATEM ADEAMUS. Qui Deum diligunt, ad Deum exceſſerunt: qui vero Mundum, in Mundo manſerunt. Illi quidem ad Laetitiam & Exſultationem; hi vero ad aerumnas & ſuſpiria relicti.* Hac fide, certaque ſpe tunc generoſi Chriſti Fideles ad tormenta properabant, vicinam ac imminentem ſemper intuentes Beatitatem ſibi promiſſam ac paratam in Caelis.

Synchronus glorioſis hiſce Athletis fuit *Sanctus Hilarius*, celeberrimus Pictavorum Epiſcopus. Hunc non uno in loco ſuae faventem opinioni Burnetus oſtentat. Atque is revera explicans Pſalmum CXXXVII. ad verſiculum octavum haec ſcripſit: *Humanae iſta lex neceſſitatis eſt, ut conſepultis Corporibus ad Inferos Animae deſcendant. Quam deſcenſionem Dominus ad conſummationem veri hominis non recuſavit.* Idem praedixerat in Pſalm. LIII. verſicul. 9. de Chriſto Domino loquens, qui *ad explendam quidem hominis naturam, etiam morti ſe, ideſt diſceſſioni ſe tamquam animae corporiſque ſubjecit, & ad Infernas ſedes (id quod homini debitum videtur eſſe) penetravit.* Denique in Pſalm. CXX. ad verſicul. 8. *Dominus cuſtodiet exitum tuum* &c. ait: *Non enim temporis hujus & Saeculi eſt iſta Cuſtodia, non aduri ſole atque luna, & ab omni malo conſervari; ſed futuri boni exſpectatio eſt, quum exeuntes de Corpore, ad introitum Regni caeleſtis per Cuſtodiam Domini Fideles omnes reſervabuntur, in ſinu ſcilicet interim Abrahae collocati.* Haec pro ſe laudat Burnetus. Cui reſponſum primo velim, Saeculo Chriſti Quarto nondum excidiſſe pennas opinioni de Millenario Regno, eamque in paucorum adhuc cerebro locum pacificum inveniſſe, inter quos Sanctum Hilarium forſitan recenſere licet. Aliquam ille hac de re ſuſpicionem ingerit Tractat. in Pſalm. LXII. num. 7. atque in Pſalm. CXLVIII. num. 8. Si haec ejus opinio, quod affirmare non auſim, toties diximus, iterumque meminiſſe juvat, nil mirum eſſe, ſi poſito hoc principio, tandiu retardaretur Beatitas Juſtorum, quando ipſam tum ſolum admittere ejuſmodi opinioni adhaerentes cogebantur, quum completum foret aureum illud Millenarium, in terra nova, ſive renovata ſomniatum. Vidimus exploſum vel antiquitus imaginarium hoc Regnum, quod nunc Theologorum nemo, qui ſapiat, non averſetur.

ſetur. Ergo ruant & illius confectaria oportet. Condonandus hic error, dum aliquamdiu fuerit in Sancto Hilario, qui a deliramentis Cerinthi, aut ab ineptiis Papiae, alienum ſaltem ſe prodit, eamque opinionem non uno titulo emollivit. Verum qui illius hac in re auctoritate uti velit, inani prorſus ſuffragio utatur, ſive, ut melius dicam, abutatur. Nunquid gemmae ſunt, quaecunque in Libris priorum Patrum occurrunt? Ea ſolum aut amplectenda, aut non improbanda, quae aut conſentientem, aut non repugnantem habuerunt, & habent coetum aliorum Patrum, & praeſertim Eccleſiae. Quos autem magiſtros in hac opinione Hilarius habuerit, ſatis patet: Irenaeum videlicet ac Tertullianum. Jam Cap. IX. vidimus ab Irenaeo legem impoſitam Animabus, ſimul atque e corporeis vinculis abeunt, deſcendendi ad Inferos, eo quod illuc & ipſe Chriſtus Dominus deſcenderit. Sed & Tertullianus idem ſibi finxit in Lib. de Anima Cap. LV. inquiens: *Quod ſi Chriſtus Deus, quia & homo, mortuus ſecundum Scripturas, & ſepultus ſecus eaſdem, huic quoque legi ſatisfecit, forma humanae mortis apud Inferos functus &c.* Idem a Sancto Hilario repetitum habemus, quanquam is minime decernat, quoto tempore in Inferis Animae ſint detinendae. Porro quam fluxa, quam nulla ſit vis hujuſce argumentationis, & hujuſmodi legis imaginatio ſatis ſupra monuimus. Secundo, animadvertendum eſt, adverſus Burneti ſyſtema non una ratione Hilarium ipſum decertare. Scilicet ille, ſive quia ad Millenarios nunquam acceſſerit, ſive quia ab ipſis receſſerit, ſe pleriſque aliis in locis prodit Catholicorum ſapientiorum ſententiae addictiſſimum. Non praemia tantum Juſtis, ſed & Injuſtis poenam differt Burnetus uſque ad Reſurrectionem, & ſupremum Judicium. Contra Hilarii ſententia fuit, nullam intercedere moram inter Improborum mortem, eorumque poenam. En ejus verba Tract. in Pſalm. II. ſub finem. *Excipit nos Statim Infernus: & decedentes de Corpore, ſi ita vixerimus, de via recta perimus. Teſtes nobis Evangelicus Dives & Pauper; quorum unum Angeli IN SEDIBUS BEATORUM, & IN ABRAHAE SINU locaverunt; alium STATIM POENAE REGIO ſuſcepit. Adeo autem STATIM POENA Mortuum excepit, ut etiam fratres ejus adhuc in ſupernis manerent. Nihil illic dilationis aut morae eſt.* Idem ab eo repetitum videas Tractat. in Pſalm. CXXII. num. 11. prope finem. Praeterea Tractat. in Pſalm. LVII. num. 5. ſcribit: *Neque enim ſuſpenſo adhuc Judicii tempore quieſcere Peccatores ſine Poena erat dignum. Viventes itaque eos cum Poenae ſcilicet ſenſu abſorbet Ignis, ANTE-*

*QUAM*

*QUAM RESURGANT*. Ergo teſtem ſibi adverſantem Burnetus inducit. Statuta autem Poena Iniquorum, conſequitur ex vi Theorematis Primi, a nobis poſiti Cap. VI. praemia quoque Proborum Animabus non eſſe differenda. Legem hanc divinae bonitatis agnoviſſe Hilarius & ipſe videbitur, dum Tractat. in Pſalm. LXVII. num. 4. ſcribit: *Aequa judicii Caeleſtis & juſta moderatio eſt, ut Peccatores Morte conficere, ita & JUSTOS LAETITIA MUNERARI*. Rurſus ne Martyres quidem Burnetus Caelo dignatur. Glorioſas quoque & triumphales iſtorum Animas, univerſa antiquitate reclamante, exſpectare jubet certaminis Coronam a poſtremo Chriſti Adventu. Ejuſmodi commentum Hilarius dejicit, dum Tractat. in Pſalm. LXV. num. 10. illorum Animas *Igne* temporalium tormentorum purgatas & defaecatas ad *refrigerium aeterne Beatitudinis* continuo perducit. *Tranſivimus*, inquit, *per Ignem & Aquam. Glorioſas videlicet Martyrum mortes commemorat. Et eduxiſti nos in Refrigerium. Hujus refrigerii & in loco alio meminit, dicens: Convertere Anima mea in Requiem tuam, quia Dominus benefecit mihi. Bene placebo Domino in regione vivorum. Anima videlicet ſuam in Requiem beatae illius Reſurrectionis* (quo nomine, ut ſupra diximus, ſignificatur etiam Juſtorum ingreſſus in Caelum) *bortatus, in qua Poſt Mortis Hujus Tempus, omni humanarum calamitatum labe deterſa, non doletur, non fletur, non peccatur, ſed vivitur. In hujus igitur Beatitudinis per Ignem & Aquam Refrigerium Edu&li ſunt*. Stephanum quoque Protomartyrem illuc fuiſſe deductum, ſat ipſe ſignificat Tractat. in Pſal. LVIII. num. 6. Et heic igitur ab Hilario Burneti cogitationes improbantur. Ubi vero dederis, Martyribus ex hac Vita decedentibus patere Caelum, nihil (uti ſupra oſtendimus Theoremate Secundo) ultra exigitur, ut jure ſtatuas, reliquorum quoque Juſtorum Spiritus purgatos illuc invehi, ibique Requiem beatiſſimam nanciſci. Negat inſuper Burnetus peculiare & occultum Dei Judicium in ſingulorum hominum morte a Catholicis depraedicatum. Neque animadvertit, Hilarium in hoc etiam ſibi adverſari, & nobiſcum ſentire. Ipſum audi Tractat. in Pſalm. LVII. num. 7. *Utique eſt Deus judicans eos in terra. Dicens ergo homo, an fructus ſit Juſto, non ambigitur exſpectare Judicium, Juſto tamen jam in terris, quia per Angelos in Abrahae ſinum deductus ſit, Judicato*. Deinde *Infidelem* diſerte pronuntiat *jam Judicatum ad Poenam*. Si Juſtorum quoque poſt mortem Judicium inſtituitur, ergo & Praemium pone ſequatur oportet. Tertio, quod plus eſt, quanquam Sanctus Hilarius *Sinum Abrahae* exci-

excipiendis ante Corporum Reſurrectionem Juſtorum Animabus deſtinatum crediderit; immo Locum illum non ſemel a *Regno Caeleſti* diſtinguat, in quod recepto Corpore electi introducentur: nihilo tamen ſecius is quam longiſſime abeſt hac etiam in re a ſomniis Burneti. Sed quia lux ab eo petenda poterit uſui eſſe ad illuſtranda etiam ambigua aliorum aliquot Patrum verba de ſtatu Mortuorum, in ſubſequens Capitulum materiem hanc rejiciendam duxi.

## CAPUT DUODECIMUM.

*Variis nominibus ab antiquis deſignatus Beatitudinis Locus. Hiſce uſus Paulinus Epiſcopus Nolanus.* Sinus Abrahae *ad eundem Locum indicandum adhibitus. Liturgiae Jacobo & Marco tributae, veruſtiſſima quoque Romana, idem confirmant. Sancto Hilario Sinus Abrahae* Regnum Caelorum *ſignificat.* Requies, *&* Requieſcere *eodem ſenſu ab ipſo uſurpata. Alia Hilarii verba in examen adducta, & ad Catholicum Dogma ſtabiliendum opportuna.*

NOn levis inter aliquot ex antiquis Patribus diſſenſio occurrit, ubi agitur de ſtatuendo Loco, in quem Juſtorum Animae abſcedentes e Corpore deferantur. Alii *Caelum:* alii *Sinum Abrahae:* iſti *Locum Quietis:* illi *Paradiſum* cenſent, ſive appellant. *Paradiſus* ipſe apud aliquos aut ipſum Caelorum Regnum ſignificat, aut ſaltem in Caelorum regione ſitus creditur; apud alios in ignota Terrae hujus plaga. Sunt & pauciſſimi, qui ſub Terra, ſive in Inferis, non quidem poenalibus, ejuſmodi Animarum ſedes locant. Attamen vel ipſi, qui a Caeleſti Patria illorum Animas interim arcere videntur, eorum Beatitatem inchoatam, immo praegrandem omnes fere fatentur; ipſamque tum ſolum conſummandam complendamque arbitrantur, quum Chriſtus Judex cunctos tandem e tumulis excitabit & judicabit. De Loco, inquam, aut gradu Beatitudinis diſcrepant, non vero de Beatitudine ipſa: ita ut componi facile poſſit cum eorum placitis Catholicorum ſententia, non negantium, quin Felicitas Sanctorum poſt reſumta Corpora in fine Mundi augenda perficiendaque ſit pro meritorum diverſitate. Proinde quum apud nonnullos Patres audis haec nomina *Sinum Abrahae*, *Locum Piorum*, *Requiem*, *Pacem*, atque alia ejuſmo-

ejuſmodi vocabula; ne puta concluſas ab eis in ignobili quodam Ergaſtulo Proborum Animas, ubi quodammodo inſectorum more per hyemem ſomno indulgeant: quae fabella Burneti cerebrum invaſit. Namque ibi etiam Felices, & Beatae, ac ſine comparatione vivaciores, quam quum illigatae erant Corporibus, vitam apud Deum, & una cum Divino Salvatore noſtro nunc tranſigere ab ipſis Patribus credebantur. Porro diverſae hac in re veterum opiniones nullo unquam tempore obſtiterunt, quin uſitatior, immo, ut ita dicam, communis ſemper fuerit Chriſtianae Reipublicae ſententia, minime exſpectandam eſſe Juſtis Reſurrectionem Corporum, ut ad Beatificam Viſionem Dei conſcendant: quod praeſertim Martyribus obtingere, uti jam oſtendimus, concordi calculo, & vel ipſis primis Saeculis, Eccleſia Dei pro certo habuit. Diſcordiam hanc de Loco, in Beatitate vero concordem, graphice delineaſſe mihi videtur Sanctus Paulinus Nolanus Epiſcopus, Martini, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini aequalis & amicus. Agit ille de Sancto Claro Presbytero Turonenſi, ſua aetate vita functo, in Epiſtol. XII. ad Sulpicium Severum, nihil dubitans, quin is ad caeleſtem Beatitudinem una cum Sancto Martino ejus magiſtro fuerit translatus. Haec autem de ipſo inter cetera ait:

*Nominis ut titulo, ſic mentis lumine Clarus*
*Presbyter hoc tegitur, ſed membra caduca, Sepulcro.*
*Libera corporeo MENS carcere GAUDET IN ASTRIS,*
*PURA PROBATORUM SEDEM SORTITA PIORUM.*

In altero Epigrammate ſub altari more Martyrum illius Corpus reconditum ſcribit:

*Digna pio domus eſt Altaria, ſub quibus artus*
*Conditur exanimos. Nam SPIRITUS AETHERE GAUDET,*
*Diſcipulumque pari ſociat SUPER ASTRA Magiſtro.*

Sed quaenam haec *Sedes Piorum*, beate Pauline? In tertio Epigrammate reſpondentem audi.

*Sed quia tu non hac, qua Corpus, Sede teneris,*
*Qui meritis Superis Spiritus involitas;*
*Sive Patrum Sinibus recubas, Dominive ſub Ara*
*Conderis, aut ſacro paſceris in Nemore:*

*QUALIBET IN REGIONE POLI ſitus, AUT PARADISI, Clare, SUB AETERNA PACE BEATUS agis.*

*Haec peccatorum bonus accipe vota rogantum,*
*Ut ſis Paulini, Theraſiaeque memor.*

Paulinum vides incertum, quo nomine Locum & *Sedem Piorum* appellet: hoc eſt, decernere non vult, Sanctus-ne Presbyter requieſcat in Sinu Abrahae, an ſub Caeleſti Ara Domini, an in ſacro Nemore. Attamen firmiſſime credit, ejus Animam, *ſortitam Piorum Sedem*, verſari & *gaudere in Aſtris*, ac laetari *in Aethere* & *ſuper Aſtra*. Certus quoque eſt, ubicunque Clarus ſpiritu degat, & in quacunque *Regione Caeli* ſive *Paradiſi* nunc habitet, ipſum *ſub Aeterna Pace Beatum* vivere. Ac propterea ſe, ac Theraſiam uxorem antea, tunc vero ſpiritalem Sororem ſuam, ejus apud Deum orationibus commendat: ex quo etiam illius apud Deum Sedem & Beatitatem confirmat. Haec Sanctus Paulinus ad Sulpicium Severum.

Quid autem Severus ipſe de hac re ſenſerit, perquiramus. Eſt idem ille, quem Sanctus Hieronymus, uti ſupra Cap. V. vidimus, in Chiliaſtarum album retulit. Attamen is, dum Martini celeberrimi Turonenſis Epiſcopi, & Magiſtri ſui, diſceſſum e Mundo in Epiſtol. III. ad Baſſulam narrat, Sanctum virum vel in poſtremo anhelitu orantem nobis exhibet, atque *oculis & manibus in Caelum ſemper intentum*. Rogatus, ut corpuſculum lateris mutatione relevaret; *Sinite, inquit, me, fratres Caelum potius reſpicere quam Terram, ut ſuo jam itinere ITURUS AD DOMINUM SPIRITUS dirigatur*. Diabolum deinde prope adſtare intuitus: *Quid heic*, ait, *adſtas cruenta beſtia? Nihil in me, funeſte, reperies. ABRAHAE ME SINUS RECIPIT*. Ex his intelligis, *Sinum* ipſum *Abrahae* creditum ab antiquis *in Caelo* ipſo poſitum; quanquam, ut ſupra monui, ejuſmodi vocabulo non *Locum* aliquem, ſed *conſortium* Abrahami, patris omnium credentium, utique *in Caelo*, Sancti Patres deſignaſſe videantur. Et ne quis de mente Sulpicii Severi, ſive de Beatitudine Sancti Martini dubitet, en quid ipſe Severus in Epiſtol. II. ad Aurelium Diaconum ſcribat, ubi de ſancto Epiſcopo, paullo antea mortalibus erepto, ait: *Eſt ille conſertus Apoſtolis & Prophetis* (ideoque & cum Abraham) *& quod pace Sanctorum omnium dixerim, in illo JUSTORUM GREGE NULLI SECUNDUS, ut ſpero, credo, confido; illis potiſſimum, qui Stolas ſuas in ſanguine Agni laverunt, aggregatus, Agnum ducem ab omni integer labe comitatur.*

Hiſce

Hiſce vides delineatam Caeleſtem Sancti Martini gloriam, eumque jam invectum ad Viſionem Dei & Domini; nam qui Stolas ſuas dealbarunt in ſanguine Agni, *ſtant ante Thronum*, & *in Conſpectu Agni*, uti ſupra animadvertimus Cap. IV. Quare fruſtra Burnetus agit, quum in ſuum cenſum pertrahere ſe poſſe putat, ſi quos veterum deprehendit ſtatuentes defunctorum Animas *in Sinu Abrahae* degentes, vel poſtquam Dominus ad dexteram Patris conſcendit. Nihil hoc officit ineffabili Sanctorum Beatitudini. Quod ſi a nonnullis beatiſſimus iſte Animarum ſtatus diſtinguitur *a Regno Caelorum*, id tantummodo factum, ut indicarent completam & conſummatam illorum Sanctorum Felicitatem, quam una cum Corpore poſt univerſorum Judicium conſequentur, & quam *Regnum Dei*, *Regnum Caelorum* appellare maluerunt. Evidens enim eſt, ab iis ipſis agnoſci conlatam interim Sanctorum Animabus Beatitatem, atque ipſam in Caelis.

Ceterum lepidus eſt, ac caecitatem ſuam prodit Burnetus, quum pag. 73. Liturgiam antiquiſſimam, quae Sancto Jacobo tribuitur, in ſuum praeſidium advocat, Graeco tantum textu prolato; inde inferre volens, pro *Animabus etiam Patriarcharum*, *Apoſtolorum*, *Martyrum &c.* preces & oblationes a Fidelibus fuiſſe factas, quod nondum illas crederent *ad ſummam Gloriam*, *& beatiſſimam Dei Viſionem perveniſſe*. Fabulas narrat hic Scriptor. Jam ſupra palam fecimus, nullas Eccleſias obtuliſſe preces pro Animabus Patriarcharum, Apoſtolorum, & Martyrum. Horum mentio in Liturgia in eum tantummodo finem recurrebat, ut pro eorum gloria Deo gratiae agerentur, & cum beatis illorum ſpiritibus communio militantis Eccleſiae exprimeretur. Mos autem ſemper fuit, & adhuc in Eccleſia Catholica perdurat, pro aliorum mortuorum Animabus, quorum Sanctitas incomperta eſt, Deo exhibere preces, ut, ſi remiſſione indigeant, eas miſericors Deus peccatis ſolvat, atque in aeternam ſuam Requiem & Gloriam recipiat; atque ideo precari, quia nunc, non vero in fine Mundi, Gloriam hanc eis conferri Eccleſia cupit, & pro Dei clementia conferendam ſperat atque confidit. Sed minime pro Apoſtolis & Martyribus preces Deo offerebantur, neque offeruntur; quippe jam Patriarchae, jam Prophetae, Apoſtoli, & Martyres, aliique Sancti, communi Eccleſiae calculo, vel ipſis primis Saeculis cenſebantur attigiſſe metam & accepiſſe bravium; non integrum ſane, perfectumque Praemium illud, quod ex Reſurrectione totus homo juſtus exſpectare debet, ſed tamen Praemium incomprehenſibile Beatitatis, quippe realis, aut aliqualis ſaltem Viſionis Dei & Chriſti.

Pro ceteris autem, qui in pace Ecclesiae atque in signo fidei dormierant, utpote quod incerta apud superstites foret illorum fors, aut dubium, an adhuc purgati essent, preces revera & oblationes fiebant in sacris. Nimirum ex Apostolica Traditione persuasum habebant, uti & adhuc habetur, militantis Ecclesiae orationibus Mortuorum Animas juvari, *ut a peccatis solvantur*, & in beatam apud Deum Requiem emigrent. Accipe Latinis verbis, quid Liturgia Jacobi ferat. Orat Sacerdos & Populus, *ut inveniamus misericordiam & gratiam cum omnibus Sanctis tuis* (ideſt ut in consortium admittamur Sanctorum) *qui ab aeterno tibi placuerunt per generationes ac generationem: Majorum nostrorum Patrum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum, Sanctorum, & omnis Spiritus Justi in fide Christi tui consummati.* Splendidiora sunt, quae sequuntur, quanquam a Burneto ipso producta: *Memento, Domine Deus noster, Spirituum, & universae carnis, quorum memoriam egimus, & quorum non egimus, Orthodoxorum, ac recte de Fide sentientium, ab Abel justo usque ad hodiernum diem. Fac eos* REQUIESCERE *IN REGIONE VIVENTIUM, IN REGNO TUO ET DELICIIS PARADISI, IN SINU ABRAHAE, ISAAC, & JACOB, Sanctorum Patrum nostrorum, unde exsulat dolor, tristitia, & gemitus: ubi praesidet* LUMEN VULTUS TUI, *& perpetuo refulget.* Nisi clausis oculis pugnans Burnetus sibi fucum fecisset, aut aliis facere voluisset, duo in hoc ipso loco Sole meridiano clariora inspexisset. Alterum est, jam Patriarchas, Apostolos, Martyres &c. *in Regno Dei, in Paradiso* versari, & frui *Lumine Vultus* Dei, neque viventium precibus apud Deum indigere. Quum viventes optent ac petant, ut cum iis jungantur, patet, nos adhuc navigare, illos vero jam Portum tenere. Quod etiam didicisse potuit ex Libro VIII. Cap. 41. Constitution. Apostolicar. quas & ipse, qua fronte nescio, heic laudat, ubi ista occurrunt: *Colloca eum in sinu Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum &c. qui vident Gloriam Christi tui*, quae verba Cap. VII. supra attuli. *Et collocet eum in Regione Piorum, quiescentium in sinu Abrahami, Isaaci, & Jacobi &c.* Ita ex eadem Liturgia Jacobi, quo in loco Sanctorum Animae maneant, didicisset Burnetus, si discere amasset. Nempe ibi in Praefationis Hymno laudatur Deus, *quem Caeli Caelorum laudibus celebrant, Hierusalem Caelestis congregatio, Ecclesia primogenitorum descriptorum in Caelis, Spiritus Justorum, & Prophetarum, Animae Martyrum & Apostolorum, Angeli, Archangeli &c.* Heic manu tangimus, e quibus effometur

Cae-

*Caeleſtis Hieruſalem:* e primogenitis Eccleſiae, e Spiritibus Juſtorum, ex Animabus Martyrum & Apoſtolorum, atque ex Angelis & Archangelis. Nomina autem *Spirituum & Animarum* nihil aliud ibi deſignant, niſi Animas a Corpore ſeparatas, quae utique in Caelo cum Angelis & Archangelis collocatae dicuntur. Alterum eſt, ex ipſa Liturgia, quam improvide Burnetus pro ſe exeruit, diſerte nos moneri, Synonima apud veteres fuiſſe *Regionem Viventium*, *Regnum Dei*, *Delicias Paradiſi*, *Sinum Abrahae; ubi praeſidet Lumen Vultus Dei:* in quem beatiſſimum locum jam receptae fuerunt Patriarcharum, Apoſtolorum, Martyrum, aliorumque Sanctorum Animae, & recipi ſe cupit Populus Fidelis. Quei igitur Burnetus *Sinum Abrahae* in inſomnii ſui aedificium trahit, quaſi per has voces Carcer ille deſignatus fuerit, in quem dormitantes conjecit Juſtorum ſimulque & Injuſtorum Animas? Habemus veteres variis nominibus uſos, ad deſignandum Beatitudinis locum, quem adiere jam Sancti, & quem Eccleſia precibus & ſacrificiis precabatur olim, & adhuc precatur a Deo illis, qui in pace Eccleſiae e vivis decedunt, quod & confirmatum videas in altera vetuſtiſſima Liturgia, quae Sancto Marco tribuitur, ubi Sacerdos pro Defunctis orat, inquiens: *Horum omnium Animabus dona Requiem*, *Dominator Domine Deus noſter*, *in Sanctis Tabernaculis Tuis*, *in Regno Tuo*, *largiens eis promiſſionum tuarum bona*, *quae Oculus non vidit*, *& Auris non audivit*, *& in cor hominis non aſcenderunt*, *quae praeparaſti*, *Deus*, *diligentibus nomen tuum. Eorum*, *inquam*, *Animabus dona Requiem*, *eaſque Regno Caelorum dignare.* Idem quoque antiquiſſimum Eccleſiae Romanae Sacramentarium ſignificat, quum Deum deprecamur, *ut omnibus in Chriſto quieſcentibus Locum Refrigerii*, *Lucis*, *& Pacis indulgeat; atque ut nobis peccatoribus partem aliquam & ſocietatem donare dignetur cum Sanctis Apoſtolis & Martyribus &c. intra quorum nos conſortium veniae largitor admittat.* Quem antiquiſſimum Eccleſiae Catholicae ritum Chryſoſtomus commemorat Homil. XLII. in prima ad Corinth. XV. & Sermone III. in Cap. I. ad Philippenſ. & Sanctus Auguſtinus pluribus commendat ac tuetur in Lib. de Cura pro Mortuis habenda, Cap. Quarto. Poſſem quoque paria delibare ex vetuſtiſſimis Sacramentariis Gallicano & Gothico. Sed haec miſſa facio, iſta concluſurus Sancti Cyrilli Hieroſolymitani verbis, qui in Catecheſi Miſtagog. V. teſtatus eſt, fieri *mentionem etiam eorum*, *qui ante nos obdormierunt*, *primo Patriarcharum*, *Prophetarum*, *Apoſtolorum*, *Martyrum*, *ut Deus orationibus illorum ſuſcipiat preces noſtras. Deinde*

*pro Defunctis, Sanctis Patribus & Episcopis. Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes Animarum juvamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi Sacrificii.* Quare & suo calamo, & credulitate Lectorum abutitur Burnetus, quum pro Patriarchis, Apostolis, & Martyribus intercessisse apud Deum preces Ecclesiae venditat. Atque interim nos tenemus, non alibi quaerendum esse quam in Caelo *Sinum Abrahae*, neque Beatitudinem Sanctorum in eo etiam loco desiderari. De *Paradiso* erit infra nobis sermo.

His positis, Sanctum Hilarium rursus adeamus, & quid sit illi *Sinus Abrahae*, exploremus. Tenebras non raro offendas in figurata, mystica, allegorica Hilarii loquela, cujus perobscuro & salebroso stilo fortasse vix alium parem inter Latinos Patres ostendas. Sunt qui putant, a Sancto Hieronymo scribente: *Hilarii Libros inoffenso decurrat pede*, indicari puritatem doctrinae illius. Mihi potius creditur, innui tenebrosa non raro, atque interdum male cohaerens & intricata illius oratio, quae vel peritioribus negotium non leve facessit. Attamen si studiosius in illius scripta oculos intendamus, brevi fier, ut ejus mentem non nobis adversantem hac in re demum assequamur. Itaque, Hilario testante, in *Sinum Abrahae* Justi e terrena vita dimissi feruntur. Illuc etiam translata dicitur in Evangelio Anima Lazari pauperis. Sed nunquid illa ibi dormit, remota a Visione Patris, aut Christi Domini, quod putavit Burnetus? Apage. Repetenda sunt Hilarii verba in Psalm. II. num. 48. *Testes nobis Evangelicus Dives & Pauper: quorum unum Angeli IN SEDIBUS BEATORUM, & in Abrahae Sinu locaverunt; alium Statim Poenae Regio suscepit.* Quid sit *Abrahae Sinus*, percontaris? *Sedes Beatorum*, atque idem Locus, quem Liturgiae vetustissimae nuper descripserunt, uti ineffabilis Beatitudinis domicilium. Et sane si Improbos e praesenti Saeculo decedentes confestim Poena excipit, Divinam Clementiam pariter decet, Probos quoque vicissim ad Praemium sine mora transire. Quei enim Deus, qui poenitentiam potius quam mortem peccatorum amat, tam festinus ad malos puniendos sit, tam piger ad bonos praemio donandos? Neque enim obstat solemne Judicium a Domino in fine Mundi habendum. Tunc divinus Judex Beatitudinem aut Poenam, jam coeptam in Animabus, in conjuncto Corpore augebit, totum hominem beans aut puniens, eamque Aeternam fore pronuntiabit. Tunc etiam universo Orbi nota faciet, quae praecessere occulta de Justis ac Injustis judicia sua. Homines nequam Hila-

rius

rius vix mortuos in Poenam ac Ignem rapi nuper dixit. Tum ſubdit: *Nihil illic dilationis aut morae eſt. Judicii enim dies vel Beatitudinis Retributio eſt Aeterna, vel Poenae. Tempus vero mortis habet interim unumquemque ſuis legibus; dum ad Judicium unumquemque aut Abraham reſervat, aut Poena.* Si Judicium poſtremum erit Retributio aeterna *Poenae*, quam Improbi, ſatente Hilario, ſtatim a morte ſubierunt: ergo & ipſum erit Retributio aeterna *Beatitudinis*, cujus participes antea Probi fuerunt effecti. Quod diſerte nuper confeſſus eſt ipſemet Hilarius, dum *Sinum Abrahae Sedes Beatorum* appellavit. Rurſus ille in Pſalm. CXVIII. Lit. 18. num. 10. ait: *Aeterna Dei teſtimonia Lazarus pauper exſpectans, & Abrahae Sinu continctur, & miſeriam vitae laboriſae, BEATAE QUIETIS HONORE demutat.* Et in Pſalm. CXXII. num. 11. *Idcirco ANIMA ejus ab Angelis poſt carnis diſſolutionem BEATA in Abrahae Sinum fertur.* Iterum eundem audi in Pſalm. LVII. num. 6. ubi repetit, cruciandos Igne Peccatores ſine cunctatione poſt mortem: adveniente autem univerſali Judicio, unumquemque *ſive bona, ſive mala*, percepturum *in Carne*; atque Animam Divitis interim in Igne torqueri. Tum addit: *Sed inter haec Juſti Cujuſque, tamquam Lazari in Sinu Abrahae Requieſcentis, Laetitia monſtratur. Laetitia Juſti, quum viderit vindictam, quia deductum ſe per Angelos IN AETERNAM REQUIEM LAETATUR.* Neque tibi dubitationem ingerant voces illae, *Quies, Requies, Requieſcere:* nam, ut ſupra Cap. IV. animadvertimus, hiſce ipſis verbis ac phraſibus Beatitudo Sanctorum deſignabatur a Sanctis Patribus, atque eodem ſenſu ipſis adhuc utitur Eccleſia in ſacris. Neque Hilario diverſa mens fuit. Is in Prologo ad Pſalmos, num. 18. *finem* eſſe ait, *cujus cauſſa cetera ſunt:* finem vero hominis *conſequutionem Bonorum Aeternorum*, quum *in his nullo ulteriore tendens procurſu, ipſo ſuo optatae & adeptae Beatitudinis fine Requieſcat.* Tractatu quoque in Pſalm. XIV. explicans ea Pſalmiſtae verba: *Domine, quis habitabit in Tabernaculo tuo, & quis Requieſcet in Monte ſancto tuo?* Tabernaculum interpretatur Eccleſiam, *Requiem* vero in Monte, Chriſtum in Caelis glorioſum. *Si ergo*, ait, *Requiei noſtrae ſpes omnis eſt in Chriſti corpore; & quum in Monte ſit Quieſcendum, Montem non aliud poſſumus intelligere quam Corpus, quod ſuſcepit ex nobis &c. Ad illud enim poſt habitationem Eccleſiae ſcanditur; in illo in Domini Sublimitate REQUIESCITUR, in illo cum Angelorum choris (quum & nos ſimus Dei Civitas) ſociabimur.*

Porro

Porro dubitationi cuicunque Sanctus ipse vir aditum praecludit, quum in Sinu Abrahae *Quietem* quidem, sive *Requiem* statuit, sed *Beatam*, sed *Aeternam*, uti vidimus. Si *Requies* illa in Sinu Abrahae non solum *Beata* est, sed etiam *Aeterna*, hoc est semper duratura, nunquam cessatura: ergo nihil aliud esse potest, nisi Caelestis Animarum Beatitudo, & felicissima illa Requies, de qua Apostolus ait: *Festinemus igitur ingredi in illam Requiem*. Rursus si *Aeterna* est, etiamsi supremi Judicii dies adveniat, perget Anima Beatitudine seu Requie illa frui; ac tum solum Caro rediviva in Beatitudinis illius consortium recipietur. Propterea Tractatum illum hisce verbis concludit Hilarius: *Per haec igitur est habitatio in Tabernaculo, per haec Requies in Monte*. Addit, elaborandum esse, *ut acquisita hac in viaticum aeternitatis opulentia, & habitantes in Ecclesia, Tandem IN GLORIA corporis Christi QUIESCAMUS*. Cur vero Justos tanta Felicitas post mortem maneat, idem Hilarius edisserit Tractat. in Psalm. CXIX. num. 1. ubi de tribulationibus Christiano non timendis agit. *Apostolus*, inquit, *Dissolvi & Cum Christo esse, sibi melius testatur &c. Quid (contra haec fidei nostrae proposito firmato) loci adversus nos, Saeculo relinquetur, quum CHRISTI CONSORTIUM MORS ACQUIRAT?* Nihil aliud *Consortium* est, nisi Societas, nisi in eo Loco praesens esse, ubi Christus est. Ubi vero nunc sit Christus, quis Christianorum ignorat? Ille in Gloria. Ergo Justi quoque in Gloria, quia in *Gloria Corporis Christi*, utpote sua membra, *quiescunt*, & *Christi* contubernium *Mors nobis acquirit*. Quare, qui jam praecessere, cum Christo sunt, ejus Vultu fruuntur, vultu utique Beatifico. Quid igitur ultra opus est, ut Sanctorum Beatitudinem in Caelo intelligas? Nonne ubi Christus, ibi & Paradisus? In cruce positus hoc ipse nos docuit. Quae quum ajo, in evidentem plane transeunt lucem, quoties ejusdem Hilarii sententiam de Martyrum Animabus intentis oculis colligamus. Tractat. in Psalm. LIII. num. 10. *Si quando*, ait, *injustae mortis vis afferatur, excedentem habitaculo Corporis ANIMAM sciat IN DEI SUSCEPTIONE REQUIESCERE*. Cavillaretur ad ista, ut puto, Burnetus aliquis, *Susceptionem* tantummodo audiens, & nihil nisi *Requiescere* inveniens. Verum quid sit *Requiescere*, jam ostendimus. Quid *Susceptio*, Stephanus Protomartyr, videns *Caelos apertos*, ad quos jam transferendus erat, & clamans: *Domine Jesu. SUSCIPE SPIRITUM MEUM*, satis nobis aperuit. Aperuit & ipse Hilarius, dum de Christo in Caelum ascendente scribit Tractat. in Psalm. LVIII. num. 6. *Et dignum*

*gnum fuit, roditum ejus in ambitione occurſus cæleſtis ornari, ne ingreſſuro Cælos dignatio paterna de Cælo deeſſet. Neque id mirum, quam primo nominis ſui Martyri Stephano, velut in primoribus Cæli, in occurſum a Deo Patre deſcenſum ſit.* Sed quid ultra moror? Ut infra videbis, ab Hilario ipſo *Omnium perfectio Bonorum* appellatur *Inhabitationis Cæleſtis Requies*. Ergo illi *Requies* Beatitudo eſt, in quam Martyrum & reliquorum Juſtorum Animae ſegregatae a Corpore invehuntur. *Sed ſi Chriſtus Dei Requies eſt, ergo hi, QUI IN CHRISTO ERUNT, ERUNT IN DEI REQUIE:* inquit idem Hilarius, de Beatitudine loquens Tractat. in Pſalm. XCI. num. 9. Rurſus vero, ut palam fiat, quid ſit *Requies Aeterna*, in quam *Juſti cujuſque* Animam ſeparatam a Corpore deduci Hilarius nuper ſignificavit, illum audi ita loquentem Tractat. in Pſalm. CXLVII. num. 5. *Vitae via, ſicut Dominus in Evangeliis ait, anguſta & tribulata eſt: neque niſi per maximas difficultates & moleſtias hac ad CAELORUM REGNUM via pergitur. Quod quidem de moleſtiis hujus Saeculi dictum fuiſſe intelligi oportet. Per praeſentes enim vexationes in REQUIEM AETERNAM aditur. Et quamvis rerum Praeſentium laboribus uramur, tamen Poſt harum Praeſentium acerbitatum rigores, Deo eos reſolvente, in placidis & tranquillis & ſerenis QUIESCEMUS.* Heic nullum diſcrimen ſtatuit Hilarius inter *Requiem Aeternam*, atque *Regnum Caelorum:* & illuc aperte ait, abſoluto laborioſo hujus vitae ſtadio, pervenire Juſtos. Infra idem confirmatur, ſcribente ſancto viro: *Diſſolutis infirmitatibus Corporis, REGNI BEATI hujus tempus AETERNUM eſt, ubi non flendum, non dolendum &c. Sed in his vivendum, Quae oculus non vidit &c.* Quum igitur audis, Martyres *in Dei Suſceptione Requieſcere*, Juſtos *in Requie Aeterna* degere, ne tibi Burneti ſomnia obrepant, quaſi illic de quadam inactuoſa Quiete, & quodam ad inſtar inſectorum Somno agatur. *Quies* illa, ſeu *Requies*, in Deo eſt, in Viſione Dei eſt; neque unquam mortalium animus quieſcet, donec ad amplexum & viſionem ſummi incommutabilis & infiniti Boni pertingat. Sed & Philoſophia ipſa, non in Voluptate; quae in motu eſt, ſed in Quiete veram hominis Felicitatem in terra collocavit. Quanto plus in Caelis? Praeterea, quid Martyribus poſt mortem contingat, diſerte alibi ſignificavit Sanctus Hilarius, videlicet Tractat. in Pſalm. LXV. num. 21. ubi haec ejus verba: *Alii in profundum demergendi, non in aquas necaturas, ſed in REFRIGERIUM AETERNAE BEATITUDINIS decidunt.* Infra addit: *Et quo tranſducatur* (Martyr)

*Pro-*

*Propheta non neſcit, dicens: Et eduxiſti nos in Refrigerium. Hujus Refrigerii & in alio loco meminit, dicens: Convertere Anima mea in Requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Bene placebo Domino in Regione Viventium.* Inſuper ait: *Per haec igitur genera poenarum, Martyres in fidei teſtimonium corpora ſua holocauſta voverunt, ut in Dei Domum, ideſt in Caeleſtis Domicilii habitationem hoſtiarum ſuarum ſacrificiis introirent.* Denique ſcribit, generoſos illos Chriſti Athletas *per paſſionum poenas & mortes in Locum Beatitudinis tranſire.* En quid *Requies*, quid *Refrigerium* fuerit beato Hilario.

Quamobrem baſilice fallitur Burnetus, quum Hilarium in ſuae opinionis praeſidium adventurum ſperat. Habemus Sanctum virum diſertiſſime non uno in loco affirmantem, minime exſpectandam Juſtis poſtremi Judicii diem, ut ad beatam in Caelis vitam aſſurgant. Urgentem tamen aliquem poſt Burnetum audire mihi videor, atque Hilarii verba repetentem ex Tractat. in Pſalm. CXX. ubi de Juſtis inquit: *Exeuntes de Corpore, ad introitum Regni Caeleſtis per Cuſtodiam Fideles omnes reſervabuntur, in Sinu ſcilicet interim Abrahae collocati.* Ergo nondum Juſti (dicet aliquis Burnetus) immo ne Apoſtoli quidem, neque Martyres (inquit enim Hilarius *Fideles Omnes*) ad *Regnum Caelorum* conſcenderunt, ac proinde Viſionem Dei adhuc deſiderant, non tenent. Sed amovebit & hunc obicem Hilarius ipſe. Duplex *Regnum* jamdiu animadverterunt Eruditi a Sancto Hilario excogitatum: unum *Chriſti*, alterum *Dei*. Primum conſtituitur a duplici myſtica Civitate Hieroſolyma, nempe ab Eccleſia militante in terris, atque a triumphante in Caelis. Chriſtus nempe regnat in Sanctis ſuper terra viventibus, & ex hiſce efformat ſenſim Caeleſtem Civitatem, de qua Apoſtolus ad Hebr. XII. 22. *Acceſſiſtis ad Sion Montem, & Civitatem Dei viventis, Hierusalem Caeleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam & Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in Caelis, & ſpiritus Juſtorum perfectorum.* Haec *Regnum Chriſti* eſt, quippe ex Animabus conflata, quas ipſe ſuo ſanguine, veluti Populum acquiſitionis, ſibi comparavit. Deſcendit enim de Caelo Filius Dei *accipere Sibi Regnum*, ut ipſe teſtatus eſt Luc. XIX. 12. Poſtquam vero Apoſtolus Prima ad Corinth. XV. 23. Reſurrectionem mortuorum depraedicavit, haec addidit: *Deinde finis, quum* (Chriſtus) *tradiderit Regnum Deo & Patri, quum evacuaverit omnem Principatum &c.* Itaque tunc ſecundum Hilarii mentem exordium erit *Regno Dei:* & quod antea *Regnum Chriſti* appellabatur, incipiet nuncupari *Regnum Dei*, *Regnum*

*Caele-*

*Caeleſte*, *Regnum Aeternum*, quia conſummatae perfectaeque Beatitudinis apicem Juſtorum Animae una cum recepto Corpore attingent. Hilarium ipſum audi in Pſalm. CXLVIII. num. 8. *Regnat itaque Dominus* ( en *Regnum Chriſti* duraturum uſque ad Reſurrectionem omnium ) *traditurus Deo Patri Regnum* ( nempe poſt univerſale Judicium, ubi dicturus eſt Juſtis: *Poſſidete paratum vobis Regnum* ) *non Regni poteſtate cariturus*, nam Regni ejus etiam poſt Reſurrectionem non erit finis. At in quo ſitum eſt Chriſti Regnum? Pergit dicere Hilarius: *Sed Nos*, *qui Regnum ejus ſumus*, *Deo Patri traditurus in Regnum*. *Regni traditio noſtra provectio eſt*. Quum ergo Hilarius ait, *interim Fideles Omnes ad introitum Regni Caeleſtis per Cuſtodiam Domini reſervari*, non negat Juſtis praeſentem Beatitatem in Regione ac Regno Caelorum; ſed dicit, nondum eos ingreſſos eſſe in Regnum illud abſolutae Beatitatis, quod appellabitur *Regnum Patris*, *Regnum Dei*, & quod tum tantummodo ſperandum eſt, quum mortale hoc, ſcilicet Caro noſtra, induerit immortalitatem. Certe quum Hilarius ſentiat, *Fideles omnes reſervari*, non eximit ex eorum numero Apoſtolos & Martyres, quos tamen nuper ipſe affirmavit translatos *in Locum Beatitudinis*, *in Regionem Viventium*, *in Dei Domum*, *ideſt in Caeleſtis Domicilii habitationem*. Dixerat etiam, Juſtos hinc excedentes frui *Conſortio Chriſti*, qui procul dubio eſt *in gloria Patris*. Quod ut manifeſtius etiam aſſequare, repetendum eſt, Caeleſtem Civitatem, myſticam nimirum & beatam Hieroſolymam in Caelis, quae ſenſim a Juſtorum Animabus hinc decedentibus aedificatur, appellari ab Hilario *Regnum Chriſti*. De ipſa loquitur idem ſanctus Epiſcopus Tractat. in Pſalm. CXXXI. num. 3. inquiens, terrenam Hieruſalem praefiguraſſe ſpeciem *Aeternae illius & Caeleſtis Civitatis*. *Et quia in omne tempus*, *& uſque ad Saeculi conſummationem*, *& per omnium generationum aetatem*, *aedificatio Caeleſtis hujus Civitatis explenda eſt*: *ideo aedificari eam ſine temporis definitione ſignificat*, *dicens*: *Aedificatur ut Civitas*; *donec*, *ut Apoſtolus ait*, *intret plenitudo gentium*. Quis autem, niſi deſipiat, Beatitudinem a ſancta & Caeleſti Civitate illa, atque a Regno illo Chriſti exſulare arbitretur? Eoque minus id excogitare licet, poſtquam auctor eſt ipſe Sanctus Hilarius, Juſtos in fine Mundi e beatiſſima illa Civitate progreſſuros *in Regnum Dei Patris*. En ejus verba Prolog. in Lib. Pſalmor. num. 11. *Quum enim primus gradus ſit ad ſalutem*, *in novum hominem poſt peccatorum remiſſionem renaſci* ( en Regnum Chriſti in Sanctis ſuper terra degentibus ): *Sitque poſt poenitentiae confeſ-*

*ſionem Regnum illud Domini in ſanctae illius & Caeleſtis Hieruſalem reſervatum* (en Regnum Chriſti in Sanctis ex hoc Mundo ad Caeleſtem Gloriam translatis): *Et poſtea conſummata gloria* (nondum enim perfecta eſt illorum Beatitudo ſine Corpore) *in Dei Patris Regnum, per Regnum Filii proficiamus.* Rurſus hunc tranſitum deſcribit Hilarius Tractat. in Pſalm. CXLVIII. num. 8. inquiens: *Illud Sanctorum eſt Regnum, per quod, Regnante Domino, ad beatum Regnum Dei Patris aſcendent.* Et infra: *Illis ergo proprius hymnus eſt, qui Deo propinquabunt, qui per hoc ſanctae Hieruſalem Regnum Beatum, Aeterno Regno proximi, poſt Regnum Domini noſtri Jeſu Chriſti in Dei Patris, Domino congregante, tranſibunt &c.* Ergo vides, Sanctos in *Regnum Dei Patris*, quum Corpora recipient glorificata, transferendos, jam in *Caeleſti Hieruſalem*, ſive in Caelis, hoc eſt *in Sanctae Hieruſalem Regno Beato*, verſari: ac propterea Beatos eſſe, quanquam in aſſumtione Corporum eorum demum augenda ſit Beatitudo, & de Beatitudine in alteram majorem Beatitudinem ſint tranſituri. *Regnum* itaque *Dei*, non Animarum jam Beatarum, ſed Corporum Gloria, ſive Glorificatio eſt.

Quanti autem Hilarius faceret conferendam Corpori *aeternitatis gloriam*, & *incorruptionis* munus, complura ejus loca evincunt; immo donum hoc Corpori Chriſti jam conlatum multis extollit. Et quanta quidem in Caeleſti illa Hieruſalem ſit jam Sanctorum Beatitudo, ex ipſo Hilario intelliges ita ſcribente Tractat. in Pſalm. LXII. num. 3. *Sitivit Anima mea ad Deum vivum, quando veniam, & parebo ante Faciem tuam? Hoc Animae deſiderium, haec ſitis Spei ejus eſt, ut Dei ſibi proveniat Adſpectus, ut quamprimum raptus in nubibus, Deo Chriſto obviam elevatus appareat.* Infra addit: *Sed in Sancto Dei non aliter apparebunt Deo, quam ſecundum illud: Qui me vidit, vidit & Patrem. Apparens Filio, Patri apparebit in Filio. Atque ut in Sancto apparitурus Deo, ſubjecit: Ut viderem virtutem tuam & gloriam tuam. Eum videlicet ut videret, qui ſecundum Apoſtolum & Virtus Dei eſt, & in Gloria Dei eſt: viſurus autem non ad aliud, quam ad conſortium Aeternitatis merendum, & ad Regni Caeleſtis aeternitatem ſortiendam: quia haec per miſericordiam Dei ultra vitae hujus beatitudinem praeparentur.* Igitur Juſti, quum hinc diſſolvuntur, ſunt cum Chriſto, quem *qui videt, videt & Patrem;* & Chriſtum intuentur *in Gloria Dei.* Nega his, ſi potes, Beatitudinem ac Viſionem Dei in Caelo. Ad haec, ut infra videbimus Cap. XIV. nihil aliud Hilario eſt *Paradiſus*, niſi *Regnum Caelorum*, quo etiam

etiam ait translatum fuiſſe poenitentem Latronem. Huic autem Latroni alios quoque ſimiles ait, in illam propterea Gloriam invectos. *Scimus*, inquit Tractat. in Pſalm. LXV. num. 26. *plures ſacramentorum divinorum ignaros, exemplo Martyrum ad martyrium cucurriſſe; & extra ſcientiam Fidei ante viventes, facto Fidei preſentis edoctos, ipſam illam conſummatae in martyrio Fidei Gloriam conſequutos. Qualis fuit ille, qui Dominum in ſua damnatione confeſſus eſt, dicens: Memento mei, Domine, quum veneris in Regnum tuum. Qui mortale martyrii hujus a Domino munus accepit: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* Si in Paradiſum, hoc eſt in Regnum, devectus eſt Latro: ergo & ceteri Martyres, ſive teſtes Fidei Chriſti, illuc fuere deducti. In Libro quoque X. de Trinitat. num. 61. ait: *Promiſſio Paradiſi, viventis Dei Regnum eſt.* Auctor eſt etiam idem Sanctus Epiſcopus Tractat. in Pſalm. LXVII. num. 27. Dominum Salvatorem noſtrum in Caeleſtem Regiam ingreſſum, *Virtutibus Caeleſtibus, Animiſque Sanctorum, iter ejus praeeuntibus:* atque adeo non occluſa, ut Burnetus dictitat, ſed jamdiu recluſa Juſtis fuere Caelorum oſtia. Neque in locis duntaxat indicatis, ſed & in aliis Hilarius ipſe prodidit minime procraſtinatam Sanctorum Beatitatem in Caelis. Tractatu in Pſalm. LI. num. 17. *de viventium terra*, cujus non ſemel ſupra fecimus mentionem, agit, eamque *Regnum Chriſti* eſſe nos docet, hoc eſt beatum in Caelis cum Chriſto conſortium. *Avulſus*, inquit, *de tabernaculo, eradicabitur & de viventium terra. Qui enim non manebit in Chriſto, Regni Chriſti incola non erit. Non erit autem, non quod ſibi non patuerit incolatus; univerſis enim patet, ut conſortes ſint corporis Dei atque Regni &c.* Propterea, teſte eodem ſancto Antiſtite, in fine ejuſdem Tractatus num. 24. Juſtus in hoc Mundo *Domini noſtri Jeſu Chriſti nomen exſpectat: Jeſum ſcilicet videre, ideſt Salvatorem ſuum noſſe* (quocum poſt mortem futurus eſt.) *Exſpectat autem non occulte, non trepidus, non ſolus: ſed in conſpectu Sanctorum ejus, fide ſcilicet libera, teſtimonium exſpectationis ſuae, vel ſub Sanctorum Caeleſtium conſcientia, non recuſans, vel Sanctis omnibus, qui in Terra ſunt, in ſe ipſo praebens exſpectationis exemplum.* Nimirum exſpectat Juſtus Beatitudinem *conſcientia Sanctorum Caeleſtium*, ideſt conſcius & certus, jam alios Sanctos in Caelum deductos Regnare cum Chriſto. Exſpectat etiam, ut & alii Sancti nondum Corpore ſoluti exemplo ſuo ad ſpem & exſpectationem Praemii alacrius excitentur. Tanta autem fide Hilarius inchoatam jam Sanctorum Beatitudinem credit, ut ne judicandos qui-

dem in Judicio noviſſimo eos credere videatur. Sunt ejus verba Tractat. in Pſalm. LVII. num. 7. *Quum ergo Sanctus non judicandus ſit, qui in Vitam ſit tranſiturus a Morte, & Infidelis jam judicatus ad Poenam ſit, intelligitur, in eos reliquum eſſe Judicium, qui pro geſtorum qualitate inter peccata fidemque medii ſunt.* Juſtus poſt Mortem transfertur ſtatim *in Vitam Caeleſtem:* Infidelis illico transfertur *ad Poenam:* ergo utriuſque in Morte Judicium peragitur, Praemio uni, alteri Poena conlata.

Denique, ut finem faciam, Tractat. in Pſalm. LXIV. num. 5. Sanctus Hilarius haec ſcribit: *Omnis*, ſeu omnium, *perfectio bonorum, inhabitationis Caeleſtis eſt Requies. Multas Manſiones Dominus in Caelis eſſe teſtatur: ſed Patrem orat, ut Apoſtoli, ubi & ipſe ſit, maneant, dicens: Pater, quos dediſti mihi, volo, ut, ubi ego ſum, ibi & illi ſint mecum. Ex pluribus Manſionibus Apoſtolis eam, quae ſibi eſt propria, Communicat. Scit Propheta, quanta Beatitudo ſit, in Tabernaculis Dei eſſe &c.* Tandem ait: *Beati quidem ſunt, qui Jam ad habitandum in Tabernaculis ejus electi ſunt. Sed feſtinare nos in Conſortium hujus Beatitudinis congruum eſt, operationibus id atque orationibus expetentes.* Et viva quidem ſpe: nam, ut idem antea Hilarius monuerat, concludens Tractatum in Pſalm. II. *Non trepidam ſpem, neque ambiguam, perfectio Beatitudinis exigit. Fidelis enim eſt, qui ait: Qui credit in me, non judicabitur; ſed tranſiet de Morte ad Vitam.* En quam diſerte affirmet Sanctus Hilarius, *in Requie Caeleſtis habitationis*, in *manſione Caeleſti* una cum Chriſto jam diverſari ac ſtare rectorum Chriſti Fidelium Animas: quam aperte agnoſcat, *quanta Beatitudo ſit*, jam *in Tabernaculis Dei eſſe:* quam ſolicite nos etiam in terra viventes excitet ad ſpem iſtius non retardandae *Beatitudinis*, dum in via mandatorum Dei fideliter curramus. Haec negat Burnetus; hanc ſpem ille in nobis frangit, aut nobis eripit; feſtinationem noſtram irridet; Hilarium quoque quaſi ſibi ſuffragantem inducit: quam immerito, quam parum pie, ne dicam impie, aequi rerum aeſtimatores perſpicere & decernere in poſterum, ut ſpero, poterunt. Eoque propius intelliges, quantum a Burneti viſionibus abſit Beatus Hilarius, quando is non aliter, atque nos, Apoſtoli verba eſt interpretatus. Inquit enim Tract. in Pſalm. CXLII. num. 8. *Velociter exaudi me Domine. Moras Corporis ſui Propheta non patitur; & ſecundum illud Apoſtoli: Diſſolvi me melius eſt, & cum Chriſto eſſe; & illud: Miſer ego homo! quis me liberabit de Corpore mortis hujus? & illud: Quia in hoc veteri taberna-*

*bernaculo congemiſcimus, deſiderantes ſuperindui; taedium ipſe in hoc mortis Corpore patitur. Sed velocitatem auxilii deprecatur. Quid enim ſibi proderit, exauditum eſſe velociter, niſi tamquam fidelis & Deo placens, & Beatis locis Quieturus, excedet e Corpore?* Ut his denique finem faciam, accipe, quid Tractat. in Pſalm. CXIX. num. 11. ad ea verba: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt*, Hilarius idem differuerit: *Querelam iſtiuſmodi*, ait, *a plurimis Sanctis audiuimus, de tarditate ſpei ſuae moroſam Corporum diſſolutionem deſtentium. Dominus in Evangeliis ſuis docuit, ACCELERATIONEM REGNI CAELESTIS ESSE ORANDAM. Impatientem enim caritatem eſſe eorum, quae amet, conuenit: atque ideo dici oportet, quod ut dicamus, a Domino praecipimur, ADVENIAT REGNUM TUUM. Paulus beatus inhabitationem Corporis ſui congemiſcit, per incolatum Carnis peregrinari ſe a Deo conquerens. Quo contra peregrinandum in Carne ſcit ſibi eſſe, ut ei CUM DEO SIT INCOLATUS; ſed tamen MELIUS ei ESSE DISSOLVI, ET CUM CHRISTO ESSE. Et Eccleſiaſtes ait: Et laudari omnes, qui mortui ſunt, ſuper omnes, qui viuunt uſque nunc: liberata per Diſſolutionem Corporis Anima onere atque conſortio hujus periculoſae Carnis. In hoc igitur nimium prolixo IN CORPORE INCOLATU, CONGEMISCIT PROPHETA, FESTINANS PEREGRINARI A TERRENIS ET INCOLERE CAELESTIA, UT* derelictis *corruptibilibus atque praeſentibus CONSEQUATUR INVISIBILIA ET AETERNA.* Relege, quaeſo, iterum, ac ſerio iſta perpende: ac demum edicito, an ferendus ſit Burnetus, qui & Hilarium, & Apoſtolum Gentium, veluti ſuis ſomniis indulgentes producit, & Juſtorum deſideria de Corporis diſſolutione, atque impatientiam, ut cito conſequantur quod amant, falſi arguit. Haec ſunt, paene dixi, machinamenta hominis, Inviſibilia & Aeterna neque ſperantis, & per conſequens, neque credentis.

CA-

## CAPUT DECIMUMTERTIUM.

*Perperam pro ſua opinione laudatus a Burneto Sanctus Ambroſius. Varia illius loca expenſa. Pſeudo-Eſdrae Libris ille uſus. Perſpicue ab eo confirmata Sanctorum Beatitas.*

SANCTI quoque *Ambroſii* auctoritatem in ſuae opinionis patrocinium adſcivit Burnetus. Jure-ne, an injuria, videamus. Haec ejus verba laudat ex Libro de Bono Mortis Cap. X. *Coronae enim dies exſpectatur ab Omnibus, ut intra eum diem & Victi erubeſcant, & Victores palmam adipiſcantur victoriae.* E Cap. XI. haec alia mutuatur, ubi laetitiam Animarum ante Reſurrectionem exponens, ait: *Quarto, quia incipiunt intelligere Requiem ſuam, & futuram ſuam Gloriam praevidere; eaque ſe conſolatione mulcentes in habitaculis ſuis cum magna tranquillitate Requieſcunt, ſtipatae praeſidiis Angelorum.* Denique e Lib. II. Cap. 2. de Cain & Abel, haec alia excerpit: *Solvitur a Corpore Anima poſt finem vitae hujus; adhuc tamen futuri Judicii ambigua ſuſpenditur.* Haec ille ex Ambroſio: cujus poſtrema verba praetermitti poterant, uti inopportuna. Plerique enim Chriſti Fidelium, & praeſertim qui mundana & inutilia ſectantur (hoſque revera Ambroſius tunc monuit) ad finem praeſentis vitae deveniunt, incerti ac dubii, quodnam futurum ſit de ſe Judicium Dei. Contra non eam *Juſtis* ambiguitatem injicit Ambroſius, quum in eodem Libro de ipſo Bono Mortis Cap. XI. eorum Animas Corpore ſolutas laetari diſerte fateatur: *Quod ſervatae a ſe legis divino teſtimonio fulciantur, ut factorum ſuorum incertum ſupremo Judicio non vereantur eventum.* Eadem ingeminat Expoſition. in Pſalm. CXVIII. Sermon. VII. num. 17. inquiens: *Beatus itaque ille, qui illud caeleſte Judicium laetus exſpectat. Scit enim, ſibi Regnum Caelorum, Angelorum Conſortium, Coronam quoque bonorum repoſitam eſſe meritorum.* At quandonam haec eventura ſunt? Non poſtremo tantum die deſinentis hujus Mundi, ſed etiam poſt occultum & peculiare Judicium hominum hinc decedentium. Nam, ut idem ſanctus vir in eodem Sermone num. 3. ait, *Juſtus remunerationem fidei, meritorumque ſperat fore. Deus autem Sanctis quaecumque ſpoponderit, implere*

*plere consuevit, nostrarum immemor iniquitatum, suarum non immemor sponsionum.* Plura sane *Judicia Dei* Ambrosius quoque agnovit, atque inter cetera in excidio Judaici Regni unum ex iis deprehendit. *Verum autem dictum est* (ait in Expositione Evangel. Lucae Lib. X. Cap. 21.) *juxta proposita de Templo, quod Salomon condidit; idque Judicii esse tempore subvertendum.* Hoc profecto Ambrosius non ignorabat, Vespasiani ac Titi tempore jam fuisse completum. Reliqua duo loca a Burneto producta expendenda nunc restant, desumta videlicet ex Libro *de Bono Mortis*. Primo, ubi demus, Sanctum Episcopum non aliam ibi, quam quae Burneto placuit, tradidisse doctrinam, vellem ego certius pateret, quo Anno haec ille scripserit. Circiter Annum CCCLXXXVII. elucubratum censent Librum istum, sed mera tantum conjectura ducti, Monachi Benedictini. Fortassis & antea scripsisse is potuit, hoc est, quum *nondum* erat *veteranus Sacerdos:* quo tempore revera is fatetur in Epistol. XLV. ad Sabinum, se composuisse Librum *de Paradiso*. Discrimen autem temporis in hisce minime negligendum. Alia enim sensit tiro in Eruditione Ecclesiastica; alia, hoc est meliora, *veteranus Episcopus*. Quod si ostendam, Ambrosium alibi ab iis dissentire, quae in Libro *de Bono Mortis* disseruit, veri videatur simile, rejiciendam hanc sententiarum discrepantiam in diversitatem temporum, quibus ille scripsit. Atque is reipsa nobis occurret, postremis vitae suae annis aliter de statu Animarum judicasse: quod satis futurum est nobis. Quis autem neget, quin Ambrosio veterano, quam tironi, major habenda sit fides & obsequium? Secundo, ut ut velis, retardata ab illo fuisse Praemia ac Supplicia Animarum usque ad supremi Judicii diem, necesse est animadvertas, quem opinionis hujus vadem ille sibi adsciverit. *Esdrae Librum Quartum* is unice laudat, & ab eo se didicisse affirmat *Animarum habitacula* post Corporis Mortem. Scilicet Apocrypho duntaxat Libro, quem nunquam recepit, immo semper uti adulterinum foetum Ecclesia abjecit, Ambrosius se debere fatetur *illa Animarum promtuaria*. Proinde dicere liceat, sanctum virum incaute deceptum videri a suppositicio nomine Esdrae, atque improvide *Scripturae* loco habitum ab eo fuisse Librum, quem tamen emunctioris naris Scriptores spuriis semper mercibus adjungendum censuerunt. Quale ergo pondus opinioni relictum est, quam ex adeo inani Libro hausit Ambrosius?

Verum tametsi tenebrosa valde sint, & peregrinum quid, atque a Catholica sententia alienum sonent heic magni Ambrosii verba, for-

fortaſſe tamen, ubi attentius expendantur, quod primo aſpectu adverſari nobis videtur, tandem nobiſcum facere deprehendatur. Poſtquam *Libris Eſdrae* uſus ſanctus Epiſcopus, *habitacula Animarum* poſt mortem commemoravit Cap. X. num. 45. ejuſdem Libri de Bono Mortis, pergit dicere: *Haec ſunt habitationes, de quibus dicit Dominus* (Joann. XIV. 2.) *multas Manſiones eſſe apud Patrem ſuum: quas ſuis pergens ad Patrem ſuum Diſcipulis praeparavit. Sed Eſdrae uſus ſum ſcriptis, ut cognoſcant Gentiles, ea, quae in Philoſophiae libris mirantur, translata de noſtris.* En ut Ambroſius probat interpretationem a me ſupra Cap. III. adhibitam, ubi *Manſiones* a Chriſto Domino ſuis Apoſtolis paratas dixi, non in fine Mundi eis dandas, ſed illico poſt eorum obitum datas. Atqui *Manſiones* iſtas eſſe *in domo Patris mei*, Dei Filius, hoc eſt ipſa Veritas, jamdiu prodidit, atque adeo *in Caelis*, ubi pro diverſitate meritorum diverſa erit Gloria Juſtorum, uti Patres atque Interpretes cuncti fatentur. Habemus ergo jam Ambroſium tradentem, Proborum Animas, mox ut corporeo ergaſtulo ſolvuntur, recipi *in Manſiones apud Patrem*, hoc eſt *in Domum Dei Patris*, ſive in Caelos. Hoc poſito, ſecundum rectiores calculos Interpretum, conſequi deberet, ab Ambroſio quoque admittendas fuiſſe ad aeternam Beatitudinem illorum Animas. Quis enim cogitet, Animam translatam in *Domum Dei Patris*, atque ibi manentem cum Chriſto, volente Joann. XVII. 24. *ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum*, ſumma tunc poſſe Beatitudine carere? Verum Sancto Ambroſio alia mens fuit; eamque, ni fallor, inter ejus tenebras detexiſſe mihi videor. Scilicet non ille cunctis Juſtorum Animabus ineffabile illud gaudium continuo pollicetur; *Septem* quippe earum *Ordines*, Septemque Manſiones, Eſdram interpretans excogitavit. In primo Ordine eas collocavit, quibus tantum eſt *Laetitia, quod vicerint Carnem.* In ſecundo illas, quae laetantur, *quod ſecuritate potiantur.* In tertio eas poſuit, quibus eſt gaudium, *quod factorum ſuorum incertum ſupremo Judicio non vereantur eventum.* In Quarto conſtituit illas, quibus eſt Laetitia, *quia incipiunt intelligere Requiem ſuam, & futuram ſui Gloriam praevidere, eaque ſe conſolatione mulcentes, in habitaculis ſuis cum magna tranquillitate requieſcunt, ſtipatae praeſidiis Angelorum.* Hactenus Ambroſius earum Animarum Ordines recenſuit, quae Beatitudinem tantummodo inchoatam aſſequutae ſunt. Nihil ergo verba haec, nobis a Burneto objecta, Catholicorum ſententiae officiunt; neque enim omnibus indiſcriminatim Juſtorum Animabus nos ſtatim a Morte obvenire Beatorum Gloriam credi-

credimus. Sed accipiat Lector, quae in Ambrosii narratione subsequuntur. Scilicet Quinctum Animarum Ordinem, in superiori Mansione situm, hisce ille verbis describit: *Quinctus autem Ordo Exsultationis Uberrimae habet suavitatem, quod ex hoc corruptibilis Corporis carcere IN LUCEM, LIBERTATEMQUE PERVENERINT, & repromissam sibi POSSIDEANT HEREDITATEM.* Addit postea: *Erit igitur ORDO diversus CLARITATIS ET GLORIAE, sicut erit Ordo Meritorum. Processus quoque Ordinum processum exprimit Claritatis.* Nihil autem aliud est *Possidere Hereditatem, Pervenire in Lucem & Libertatem*, & frui *Claritate & Gloria*, nisi Caelesti aeterna Beatitudine donari. Progreditur sanctus Antistes, & Sextum Animarum Ordinem ita delineat: *Sexto Ordine demonstrabitur iis, quod vultus earum, sicut Sol, incipiat refulgere, & Stellarum luminibus comparari, qui tamen fulgor earum corruptelam jam sentire non possit.* En uberiorem Beatitatem & Gloriam. Septimus denique Ordo hisce verbis exprimitur: *Septimus vero Ordo is erit, ut exsultent cum fiducia, & sine ulla cunctatione confidant, & sine trepidatione laetentur, festinantes Vultum Ejus Videre, cui sedulae servitutis obsequia detulerunt: de quo innoxiae conscientiae recordatione praesumant glorioſam mercedem laboris exigui, quam incipientes recipere, Cognoverunt indignas esse hujus temporis passiones, quibus REMUNERATIONIS AETERNAE GLORIA TANTA REFERTUR.* Tum haec adtexit: *Hic Ordo, inquit* (Esdras), *Animarum, quae sunt Justorum. Quas etiam Immortales non dubitavit dicere in Quincto Ordine; eo quod spatium, inquit, incipiunt recipere, FRUENTES & IMMORTALES.* Felicius, quam ego, expiscari poterunt alii in editis Pseudo-Esdrae Libris, quae heic & infra a Sancto Ambrosio veluti inde excerpta adferuntur.

Illud interea certum est, haec ab illo dici de Animabus, *postquam separatae fuerint de Corporibus*, atque ante Resurrectionem Corporum. Et quamvis obscura sint, aenigmati quoque similia videantur illius verba, neque haec in sacris Literis fundata, sed potius ex spurii Esdrae, aut ex Origenis phantasia prodierint: vix tamen ullus ambigendi locus restat, quin ille in tribus postremis Ordinibus Beatitudinem veram Animabus jam conlatam significet. Diserte quippe affirmat, saltem Animas in Ordine Septimo positas, *incipere recipere Gloriosam mercedem laboris exigui*, ideſt, *Vultum Ejus Videre, cui sedulae servitutis obsequia detulerunt.* Proinde sermonem continuans ait: *Ergo quia JUSTI HANC REMUNERATIONEM HABENT,*

*UT VIDEANT FACIEM DEI, & Lumen illud, quod illuminat omnem hominem, ab hinc induamus hujuſmodi ſtudium, ut appropinquet Anima noſtra Deo, appropinquet oratio &c. Videmus nunc per ſpeculum in aenigmate: tunc autem Facie ad Faciem.* Et ne quis cum Burneto excogitet, tantummodo tunc Juſtos ad tantae felicitatis apicem devehendos, quum Corpora in Reſurrectione recipient, diſerte monet ſanctus Doctor, vel ſine Corpore Beatitatem ejuſmodi Animabus eſſe deferendam; ſubdit enim: *TUNC REVELATA FACIE GLORIAM DOMINI SPECULARI LICEBIT, quam nunc Animae Corporis hujus concretis viſceribus involutae, & quibuſdam Carnis hujus maculis & colluvionibus obumbratae, ſincere videre non poſſunt.* Propterea auditoribus ſuis animos addit, ut intrepide diem Mortis, de qua agit, excipiant, quia ipſam remuneratio, non retardata in Saecula, uti Burnetus dictitat, ſed cito ſubſequetur. *Non timeamus igitur*, inquit, *recipi* (ideſt abſcedere) *ab hominibus; non vereamur illum debitum omnibus Finem, In Quo Eſdras Remunerationem ſuae devotionis Invenit, dicente ei Domino: Tu enim recipieris ab hominibus, & CONVERSABERIS RESIDUUM CUM FILIO MEO, ET CUM SIMILIBUS TUIS. Quod ſi illi glorioſum & jocundum erat cum ſimilibus converſari; quanto nobis glorioſius erit & jocundius AD MELIORES PERGERE, & Converſari cum iis, quorum facta miramur? Eſdras revelavit ſecundum conlatam in ſe revelationem JUSTOS CUM CHRISTO FUTUROS, FUTUROS CUM SANCTIS.* Animadverte heic, quam corrupta ſint in editis Pſeudo-Eſdrae verba ab Ambroſio commemorata. Scilicet Lib. IV. Cap. XIV. 9. legitur in vulgatis: *Tu enim recipieris ab omnibus* (ideſt, diem tuum obibis.) *Converteris reſiduus cum conſilio meo & cum ſimilibus tuis, uſquequo finiantur tempora.* Quae poſtrema verba mirifice confirmant, ſecundum Eſdrae, ſive Ambroſii mentem, Juſtos cum Chriſto in Beatitate futuros, antequam poſtremus humanarum rerum & Saeculi finis adveniat. Parum tamen eſt, quod hactenus dixi. Meridiem nobis facit Mediolanenſium decus Ambroſius Cap. XII. ſubſequenti. Lectorem non pigeat plura ejus accipere verba: *His igitur freti, intrepide PERGAMUS AD REDEMTOREM NOSTRUM JESUM: intrepide AD PATRIARCHARUM CONCILIUM: intrepide AD patrem noſtrum ABRAHAM, quum dies* (utique Mortis, de cujus Bono loquitur) *advenerit, proficiſcamur.* Sanctum Cyprianum in Libro de Mortalitate, ad calcem hujus Opuſculi mei legendo, Ambroſius heic prae oculis habuit, atque aliis verbis eſt imitatus. Propterea

rea ſubdit: *Intrepide PERGAMUS AD illum SANCTORUM COETUM, JUSTORUMQUE CONVENTUM. IBIMUS enim ad Patres noſtros: ibimus ad illos noſtrae Fidei Praeceptores: ibimus & UBI SINUM ſuum ABRAHAM SANCTUS EXPANDIT, ut ſuſcipiat Pauperes, ſicut ſuſcepit & Lazarum. IN QUO SINU REQUIESCUNT, qui in hoc Saeculo gravia atque aſpera ſuſceperunt.* Conſiſtamus heic aliquantulum. Vides, per verbum *Requieſcere* ab Ambroſio quoque Beatam in Caelis Vitam deſignari. Vides, quid Mediolanenſi Epiſcopo fuerit *Sinus Abrahae*, Beatorum videlicet Locus, *Patriarcharum Concilium*, *Sanctorum Coetus*, *Juſtorumque Conventus*, ubi Abraham cum Patribus beatifico Vultu Dei Patris, ac divini ejus Filii fruitur, ſuoque Sinu eos maxime complectitur, qui prae ceteris crucem in hoc Mundo pro Dei amore portarunt. Locum hunc nos nunc *Beatorum Paradiſum* appellamus, ſeu *Regnum Caelorum*. Quamobrem fruſtra agit Burnetus, quum *Sinum Abrahae* apud quoſdam ex antiquis offendens, inde Beatitudinem Animarum excluſam putat, quum & ipſi veteres eo nomine ſignificarint Locum ineffabilis Beatitudinis, ante Reſurrectionem Juſtis conlatae. Idem nuper nos docuit Sanctus Hilarius. Paria quoque didicimus ex antiquiſſimis Liturgiis, ac praecipue ex Liturgia Sancto Jacobo tributa. Sed nemo luculentius quam Ambroſius expreſſit, quid ſit *Abrahae Sinus*, & quanta ibi Juſtorum Spiritus Beatitate donentur.

Accipe, quae beatiſſimus ille Antiſtes dicere pergat in eodem Cap. XII. *Sed nunc, Pater*, (ita Redemtorem noſtrum alloquitur) *etiam atque etiam extende ad ſuſcipiendum nunc Pauperem manus tuas. Aperi gremium tuum. Expande Sinus tuos, & Plures ſuſcipias, quia plurimi in Dominum crediderunt &c. IBIMUS AD EOS, QUI RECUMBUNT* (inquit *Recumbunt*, non vero *Recumbent*) *IN REGNO DEI CUM ABRAHAM, ISAAC, ET JACOB, quoniam rogati ad Coenam non ſe excuſaverunt. Ibimus eo, UBI PARADISUS EST JOCUNDITATIS: ubi Adam, qui incidit in latrones, neſcit jam vulnera ſua flere: ubi & Latro ipſe REGNI CAELESTIS CONSORTIO gratulatur: UBI non frigus, non grando &c. ſed ſola DEI FULGEBIT CLARITAS. Dominus enim erit Lux omnium; & illud Lumen verum, quod illuminat omnem hominem, Fulgebit omnibus. Ibimus eo, UBI ſervulis ſuis Dominus JESUS MANSIONES PARAVIT, UT UBI ILLE SIT, ET NOS SIMUS.* En quo ſenſu veteres accipiebant Apoſtoli verba cupientis *diſſolvi, & eſſe cum Chriſto:* nempe hinc abire, ut extemplo in beatiſſi-

tiſſimum Domini noſtri Conſortium & Regnum transferretur. Tum Ambroſius oſtendit, non Apoſtolis tantum, ſed & reliquis Juſtis jam paratas eſſe beatas illas in Caelo Manſiones. Quod ſi adhuc ſciſcitaris, quid ſignificet *Terra Viventium*, quid *Requies:* reſpondet ſanctus Doctor, nihil aliud hiſce vocibus, ſignificari, niſi Sinum ipſum Abrahae, in quo Beatorum vita, in quo *illud Bonum, quod videre deſiderabat David, ideoque dicebat: Credo videre bona Domini in Terra Viventium: &, Convertere Anima mea in Requiem tuam. In quo Bono eſt Requies pura, Lux immortalis, Gratia perpetua, Hereditas Animarum pia, & ſecura Tranquillitas: ubi non umbra ſed Gloria.* Reliqua praetermitto.

Itaque habemus Ambroſium, non Burneti ſomniis, ſed Catholicae veritati aperte faventem. Et ne ipſum velimus ſibi contradicentem, quum dicit: *Coronae Dies exſpectatur ab Omnibus, ut intra eum Diem & Victi erubeſcant, & Victores palmam adipiſcantur victoriae* (quae nobis nuper opponebantur): concilianda haec ſunt cum aliis dilucidis ejus verbis, ut ſignificent manifeſtationem aut perfectionem Praemii aut Poenae, quae Omnes manet in ſupremo Chriſti Judicio; aut haec de Corpore duntaxat dici, cui tunc Poena vel Gloria retribuetur. Vide eumdem ſanctum Praeſulem Lib. II. num. 88. de Fide Reſurrectionis. Et praeſertim id faciendum, quia ſanctus vir, uti heic diſerte fatetur non prorogatam uſque ad conſummationem Saeculi Juſtorum Beatitudinem, ita alibi agnoſcit inrogata Improbis Supplicia ſtatim poſt Mortem in Inferis. En ejus verba in Pſalm. XLVIII. num. 24. ubi de hominum morte agit, quos bona Opera ſequuntur: *In Paradiſum aſcenditur, in Infernum deſcenditur. Ideoque Lazarus pauper per Angelos in Abrahae Sinum eſt Elevatus. Dives luxurioſus elevans in Inferno oculos ſuos, rogat Abraham, ut mittat Pauperem, & digito ſuo contingat linguam ejus, quo requiem aliquam in Ardore Maximo conſtitutus, poſſet adipiſci. Vide illum Pauperem Bonis Omnibus abundantem, quem ſancti Patriarchae Requies Beata circumdabat. Vide hunc vacuum &c. qui nunc iners Morte Cruciatur.* Neque in Libro duntaxat de Bono Mortis, ſeptem in Caelo Manſiones & Ordines Ambroſius deſignavit. Eaſdem quoque delineavit Enarration. in Pſalm. XXXVIII. num. 17. nam commemoratis Joann. XIV. 2. verbis: *In domo Patris mei Manſiones multae ſunt*, haec adtexit: *Dat ergo unicuique locum Dominus Jeſus, hoc eſt aptam pro uniuſcujuſque meritis Manſionem. Unuſquiſque enim in ſuo Ordine. Praeceſſit ergo, ut pararet in ſe credentibus Locum. Et*

*ille*

*ille quidem aſcendit ſuper omnes Caelos ad Dei ſedem: Homines autem A PRIMO CAELO ad Secundum, deinceps a ſecundo ad tertium, & ab illo per diſtinctiones fere AD SEPTIMUM CAELUM, atque IN ipſam apſidem & SUMMITATEM CAELORUM, qui merentur, ASCENDUNT.* Atque heic non perfunctorie expendas velim locum Sancti Hilarii Pictavienſis, quem in calce Capitis praecedentis produxi: niſi enim mea me fallit opinio, iſtum Ambroſius expreſſiſſe videtur, utpote qui aemulatus eſt in tot aliis Sancti illius Epiſcopi ſtilum atque ingenium. Scilicet inquit Hilarius Tractat. in Pſalm. LXIV. num. 5. *Omnis perfectio bonorum INHABITATIONIS CAELESTIS EST REQUIES. Multas Manſiones Dominus in Caelis eſſe teſtatur: ſed Patrem orat, ut Apoſtoli, ubi & ipſe ſit, maneant. Ex plurimis ergo Manſionibus ſuis eam, quae ſibi eſt Propria, Communicat. Scit Prophera, quanta Beatitudo ſit in Tabernaculis Dei eſſe, alio loco dicens: Concupiſcit & deficit Anima mea in Atria Domini. Sed non ob id Bonorum Caeleſtium ſpes adimitur, ſi NON OMNES AD COHABITATIONEM DEI ELIGENTUR. PLURES enim MANSIONES diverſae dignitati habitantium PRAEPARANTUR: Sed licet diverſa ſit dignitas (differt enim Stella Stellae in Gloria) tamen QUOTQUOT HABITATIONIBUS, VARIIS LICET, DIGNI HABEBUNTUR, fidei fructum, & HONOREM CAELESTIS GLORIAE SORTIENTUR.* Supra vidimus cum ſententia Catholicae Eccleſiae concordem Sanctum Hilarium. Ipſum quoque dogmatis ejuſdem habemus heic teſtem diſertum. Auctor nempe eſt, multas *in Caelis eſſe Manſiones:* In ſupremam, ubi cohabitant Animae Juſtorum beatiſſimae cum Chriſto, citius unae, ſerius alterae conſcendunt; nulla tamen ex eis *honore Caeleſtis Gloriae* fraudabitur. Paria tradit Ambroſius.

Sed & alia loca ſuperſunt, in queis ſanctus Doctor ſtabili doctrina mentem heic ſuam teſtatam fecit. Accipe, quae is protulit Lib. II. Cap. 9. num. 31. de Cain & Abel. *Deus*, inquit, *Juſtos ſuos audit, etiam mortuos, quoniam Deo vivunt. Et merito pro viventibus habentur; quia etiamſi Corporis guſtaverint Mortem, Vitam tamen incorpoream capiunt, & illuminantur ſuorum Splendore meritorum, LUCE quoque FRUUNTUR AETERNA.* Ad haec ſubſequenti Cap. X. num. 36. ait: *Inſeritur hoc loco dogma de incorruptione Animae, quod ipſa Vera & Beata Vita ſit, quam unuſquiſque bene conſcius vivit multo Purius ac Beatius, quum hujus Carnis ANIMA NOSTRA depoſuerit involucrum, & quodam carcere iſto fuerit*

*rit abſoluta Corporeo, IN SUPERIOREM REVOLAT LOCUM &c.* En quam longe Ambroſius abſcedat a Burneti phantaſmatis, a quo Animae hinc migrantes dormitare, ac veluti ſemiſopitae parum aut nihil operari jubentur. Ad Librum de Bono Mortis regredior. Ibi Cap. III. num. 8. poſt laudata Apoſtoli verba, cupientis *Diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*, utpote *multo melius*, haec addit: *Solutio autem iſta quid aliud agit, niſi ut Corpus reſolvatur & quieſcat? Anima vero convertatur in Requiem ſuam, & ſit libera? Quae ſi Pia eſt, Cum Chriſto Futura ſit.* Ubi vero futura ſit illius Requies, rurſus tradit hiſce verbis: *Itaque docet, & iſtam Mortem in hac Vita poſitis expetendam, ut mors Chriſti in corpore noſtro eluceat; & illam Beatam, qua corrumpitur exterior, ut renovetur interior homo noſter, & terreſtris domus noſtra diſſolvatur, UT HABITACULUM NOBIS CAELESTE RESERETUR.* Rurſus Cap. IX. num. 38. ejuſdem Libri, optandam nobis mortem ait, quod Corpus, Vitiorum ſcilicet ſeminarium, in terram reſolvatur; *id autem, quod familiare Virtutibus, amicum diſciplinis, ſtudioſum gloriae, ſequax boni, Deo ſubditum eſt, ad illud ſublime Evolet, & CUM illo PURO & PERPETUO BONO atque IMMORTALI MANEAT, IPSI ADHAEREAT*, & *CUM IPSO SIT.* Sunt & alia id genus in eo Cap. quae miſſa facio. Haec enim apertiſſima ſunt documenta ſententiae Catholicae: & quidem ex eo ipſo Libro deſumta, unde Burnetus ſua adverſus nos decerpſit. Verum ſi Ambroſius manifeſte affirmat, Juſtorum Animas, depoſito Corpore, *evolare in Sublime, cum illo Puro & Perpetuo atque Immortali Bono Manere, ipſi adhaerere, & cum ipſo Eſſe*, quid ultra quaerimus? De Apoſtolis vero & Martyribus quid a Deo factum jam fuerit, ſi Ambroſium percontemur, is ſecundum conſtantiſſimam primitivae ipſius Eccleſiae doctrinam, de qua ſupra actum fuit, haec reſpondebit Lib. de Virginitat. Cap. XVIII. num. 119. *Captus a Petro STEPHANUS miniſter Altaris, non reti ſed hamo levatur, UT RIVO ſui ſanguinis ELEVARETUR AD CAELUM.* Tum Cap. XX. num. 131. *PETRUS homines elevavit, mare ſprevit, CAELUM ACQUISIVIT.* Itidem de Paulo haec habet Lib. II. num. 94. de Fide Reſurrectionis: *Utique mortuus eſt PAULUS, & paſſione venerabili VITAM corporis CUM IMMORTALI GLORIA COMMUTAVIT.* Ita Lib. VII. num. 5. Expoſition. Evangel. Lucae. Nec *JACOBUS, & JOHANNES mortui, filii tonitrui, quibus IN USUM GLORIAE CAELESTIS ADSUMTIS, non praevalent terrena, ſed ſubjacent.* De Sancto *Sebaſtiano* in Pſalm.

Pſalm. CXVIII. Sermon. XX. num. 44. inquit: Romam profectus eſt. Ibi paſſus eſt, hoc eſt, ibi Coronatus. *Itaque illic, quo boſpes advenit, DOMICILIUM IMMORTALITATIS PERPETUAE COLLOCAVIT.* De Sanctis *Gervaſio* & *Protaſio* in Epiſtol. XXII. ait: *QUORUM ANIMA IN CAELO, Corpus in terra.* In Expoſition. Evangel. Luc. Lib. X. Cap. 21. num. 12. *Mortuis Regibus, IN perpetuum MARTYRES REGNUM CAELESTIS gratiae honore SUCCEDUNT.* At fortaſſis inquies: Aequum fuit, tam grandi privilegio & gaudio donari Apoſtolorum & Martyrum Animas. Glorioſis enim certaminibus magnifica debebatur merces. Reliquis Juſtis, non tanta operatis, quid ſperandum eſt? Profecto diſpar praemium: praemium tamen & ipſis fuit, atque erit in Caelis. Praeſto mihi eſt ipſemet Ambroſius, qui Expoſition. in Pſalm. CXVIII. Serm. 8. num. 11. Latroni dictum ait: *Hodie Mecum Eris In Paradiſo. Futurum promittit: ſed id, quod futurum eſt, unius diei ſpatio non patitur protelari. Denique potuit dicere: Mecum eris in Paradiſo; ſed addidit, Hodie, ne dilatione gratia minueretur. Sed non illi ſoli dicit Dominus Jeſus: Hodie mecum eris in Paradiſo: SED ET TIBI DICIT; MECUM ERIS IN PARADISO, SI CONFITEARIS DOMINUM JESUM, SI EJUS PATROCINIUM TIBI POSCAS, SI ET IPSE DICAS; Memento mei, Domine, dum veneris in Regnum tuum. Sed tibi non dicit: Hodie Mecum Eris. Dicit Martyri, Hodie mecum eris in Paradiſo. Tibi non dicit, quia adhuc in hoc febrienti Corpore conſtitutus. Sed quum potueris dicere: Dirupiſti vincula mea, hoc eſt, ſolviſti curſum bujus Vitae, liberaſti me ex hoc Mortis Corpore: tunc tibi dicit; Hodie Mecum Eris In Paradiſo.* Qui Latini ſermonis gnarus eſt, atque iſta legit, num aliquid ſupra deſiderat, ut ſanctum Ambroſium agnoſcat firmiſſime credentem, & diſertiſſime fatentem, Juſtis quibuſvis, ſtatim ac Corporis contubernio Anima ſolvatur, Caeleſtis Gloriae poſſeſſionem eſſe ſperandam? Infra idem Sanctus Sermon. XX. num. 47. teſtatur, ceteris quoque Juſtis nomen ac praemia *Martyrum* non eſſe deneganda. Itaque abeat Burnetus, qui ex illuſtri hoc Eccleſiae Catholicae Doctore ad ſua ſomnia perſuadenda ſuffragium petere ſe poſſe putavit. Sed quoniam *Paradiſi* facta eſt mentio, progredi nolo, niſi antea quaeſiero, quid hoc nomine veteres, & praeſertim Ambroſius, ſignificarint: quod ſubſequenti Capite praeſtabo.

CA-


image
not
available

nio, qui illuc una cum Latronis Anima migraſſe Redemtoris Animam autumarunt. Egregium in hanc rem Juſtini Martyris locum nobis ſervavit Anaſtaſius Synaita Lib. VII. in Hexameron, excerptum e Libro jam deperdito beatiſſimi illius Philoſophi Chriſtiani, qui *Paradiſum* in novo Teſtamento indicatum, Caeleſtem Felicitatis locum, atque a Moſaico terreſtri plane diverſum fuiſſe ſenſit. En illius verba, prout ex Graeco translata fuere a Joanne Erneſto Grabio, Tom. II. Spicilegii Sanctor. Patrum. *Unde etiam* (inquit Anaſtaſius) *divinus in omnibus Ambroſius, & Juſtinus Martyr, a Deo inſpiratus, in ſuis ad Hexameron Commentariis ea perſequentes, quae dicta ſunt de Paradiſo, poſtquam dixerunt de ſenſibilibus arboribus, & aquis, & fructibus, & Paradiſo a terra genito; in medium adduxerunt propoſita divini Ezechielis verba de Paradiſo Caeleſti, eaque perſequuti, magnam & ſubtilem de iis examinationem & contemplationem ſubjunxerunt, dicentes: Quod ſit turpiſſimum, & Deo inviſum dicere, aut omnino cogitare, beatam & adorandam Dei Verbi Divinitatem cum juſto Latrone ingredi in fluxum & materialem Paradiſum. Et quaenam eſt digna merces illius venerandae, & quae Deum decet, confeſſionis, malorum punicorum, pyrorum, uvarum, & ficuum eſum, tanquam mercedem, reddere Latroni? Quis autem, rurſus inquiunt, mentem habens divina ſapientem, dixerit: in cucumeraria, ubi ligone & ſecuri vexantur homines, in Caelos curſum dirigentem, ad volatum traductum eſſe Paulum? Et quae neque in ſecundo, neque in tertio Caelo invenit ineffabilia, ea in terreno agro aquis irrigato, myſtice eſſe enuntiata a puro & divino ore Chriſti?* Haec Anaſtaſius e Sancto Juſtino. Quod eſt ad illos, qui *Paradiſum* ſtatuerunt idem eſſe atque *Sinum Abrahae*, diverſis ii principiis uſi, in duas diverſas abiere ſententias. Nam nonnullis viſum fuit, Juſtorum Animas in loco illo Felicitatis adſervari, uſquequo adveniat Reſurrectio Corporum: qua peracta ad conſummatam perfectamque Beatitudinem totius hominis tunc aſcendent. Intermedium hoc tempus *Regnum Chriſti* appellarunt, ſubſequuturum vero poſt univerſale Judicium *Regnum Dei*: parum animadvertentes, nuncupari *Aeternum Regnum Domini noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti*, Secunda Petri I. verſ. 11. In ea opinione, ut ſupra vidimus, Cap. VIII. fuit Auctor Quaeſtionum ad Orthodoxos, quae olim perperam Sancto Juſtino tribuebantur. Eadem quoque Tertulliano placuit. Verum & qui ita ſenſere, minime expertem Beatitudinis locum illum, ex quo Chriſtus pro nobis vitam dedit, arbitrati ſunt. Ipſum illum Auctorem Quaeſtionum oſtendi-

mus non diſſitentem, quin Juſtorum Animae *ab Angelis abducantur in Paradiſum, ubi conſuetudine & aſpectu fruuntur Angelorum & Archangelorum*, immo *ipſius* quoque *Salvatoris Chriſti, pro eo atque dictum fuit: Peregrinari a Corpore, & praeſentes eſſe ad Dominum:* quod ſatis eſt ad evertenda Burneti commenta. Beatus quippe ſit neceſſe eſt, qui cum Chriſto glorificato verſatur, atque illius beatifico aſpectu fruitur. Alii vero duobus vocabulis *Paradiſi*, & *Sinus Abrahae*, ex quo Chriſtus ſe Patri holocauſtum obtulit in Cruce pro omnibus, deſignari cenſuerunt Vitam Beatam in Caelis, atque in Conſpectu Dei, augendam tantummodo & perficiendam in fine Mundi, quum Corpora reſumta ad Beatitudinem & ipſa tranſibunt. Id ſupra palam factum fuit Cap. XII. Denique non deſuere, qui *Sinum Abrahae* alium *a Paradiſo* opinati fuerunt. Tertullianus Millenariae familiae Scriptor Lib. IV. Cap. 34. adverſ. Marcionem, commemorat *Sinum Abrahae, etſi non Caeleſtem, ſublimiorem tamen Inferis Regionem, interim Refrigerium praebituram Animabus Juſtorum, donec conſummatio rerum Reſurrectionem omnium Plenitudine Mercedis expungat*. Ita ille, quod nempe & in Sinu Abrahae crediderit jam inchoatam Animarum Mercedem ſive Beatitudinem. Tum ipſe in praelaudato Lib. de Anima Cap. LV. agnoſcit, *Paradiſum* alium eſſe locum a Sinu Abrahae, atque in Caelo poſitum, in quem tamen ſolas *Martyrum* Animas convolare ſibi fingit. An vero Paradiſum ipſum, quamquam ineffabilis Beatitudinis locum, idem fuerit opinatus atque Regnum Dei, ſive Caelorum Regnum, aliis inquirendum relinquo. Ipſum vide in Lib. de Reſurrection. Cap. 43. ubi haec ejus verba: *Nemo peregrinatus a Corpore* (ideſt nulla Anima corporeis exuta vinculis) *Statim immoratur Penes Dominum, niſi ex Martyrii praerogativa, Paradiſo ſcilicet, non Inferis deverſurus*. Fuere etiam Patres, qui Adami Paradiſum in Caelo ſitum cenſuere.

Quod in praeſentia noſſe proderit, communior antiquorum ſemper ſententia fuit, per *Paradiſi* nomen, utpote adinventum ad ſignificandum quemlibet amoenitatis, Felicitatiſque locum, in novi Teſtamenti Libris deſignari Animarum ſtatum in Beatitudine Caeleſti; atque in eo ſenſu ab omnibus fere Chriſti Fidelibus nunc etiam uſurpatur. Si Tertulliani ipſius verba non perfunctorie expendis, perſpicies, jam tum complures e Chriſtianorum ſchola cenſuiſſe, non ſolum Patriarchas & Prophetas adductos in Paradiſum a Chriſto aſcendente in Caelum, ſed & reliquis Juſtorum Animabus patere poſt mortem beatam illam Regiam, ipſorumque Patriarcharum conſortium.

tium. *Immo*, *inquis*, (ita Chriſtianos alios ſibi reponentes Tertullianus inducit) *dormitio noſtra in Paradiſo*, *quo jam tunc & Patriarchae*, *& Prophetae*, *appendices Dominicae reſurrectionis*, *ab Inferis migraverint*. Porro Sanctus Cyprianus, uti infra ex ejus Libro de Mortalitate, heic recudendo, edifces, apertiſſime *Paradiſum* & *Regnum Caelorum* unum idemque putat, & beatiſſimam hanc Sedem ſingulis Juſtis ſperandam ſtatim a morte affirmat. *Amplectamur diem*, inquit, *qui aſſignat ſingulos domicilio ſuo: qui nos iſtinc ereptos*, *& laqueis ſaecularibus exſolutos PARADISO RESTITUIT*, *ET REGNO CAELESTI*. Quid autem hoc nomine indicatum cenſuerit Chryſoſtomus, is nobis edifferat Homil. 79. ad Populum Antiochenum. *Latro*, inquit, *in cruce diſtentus*, *paucis verbis CAELESTE REGNUM eſt aſſequutus*. Rurſus ille in Concione de Lazaro: *Abraham necdum erat IN PARADISO*, *quia necdum Chriſtus intraverat cum Latrone*. *Crux Chriſti clavis eſt*. *Crux Chriſti aperuit PARADISUM*. *Nonne nobis dixit*, *quod REGNUM CAELORUM vim patitur*, *& violenti rapiunt illud? Et Crux*, *& STATIM PARADISUS: ſed magnitudo poenarum facit magnitudinem Praemiorum*. Ita in Homil. de Cruce & Latrone: Latro *AD PARADISUM inducitur*. *Chriſto non injuriae fuit*, *ſacram ingredienti Patriam*, *facere ingreſſus ſui Latronem particpem*. *Quum publicanos & fornicarios AD CAELORUM REGNUM introduxit*, *non Caelorum Regnum infamavit*, *ſed etiam magis honoribus ampliavit*, *oſtendens talem Dominum Regni eſſe Caelorum*, *qui & indignas in tantum meliorari fecit perſonas*, *ut etiam illius dignitatis GLORIAM mererentur*. Anaſtaſii quoque Synaitae verba ſunt in Oratione de Sacr. Synax. Tom. I. Caniſii: *Latro ille cum Chriſto crucifixus*, *homicida erat: at Judas*, *Apoſtolus & Diſcipulus erat*. *Intra exiguum temporis ſpatium mutatio accidit*. *Latro IN REGNUM ingreſſus eſt*. *Diſcipulus in interitum ruit*. Sanctus Hilarius Tractat. in Pſalm. I. num. 9. agens *de Ligno*, *quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum*, illudque appellans *Lignum Vitae*, hoc eſt Sapientiam, ait *plantatum juxta decurſus aquarum*, *in poſſeſſione ſcilicet REGNI DEI*, *ideſt IN PARADISO*. *Illic enim plantatum hoc lignum eſt*, *quo Latronem illum*, *ſe Dominum confitentem*, *Dominus*, *qui Sapientia eſt*, *introduxit*, *dicens: Amen dico tibi: Hodie mecum eris IN PARADISO*. Ubi vides, *Paradiſum* accipi pro *Regno Dei*, atque illuc jam invectum fortunatum Latronem. Illuc etiam invehetur quilibet alius Juſtus, Hilario teſte, *quum translati Latronis in Paradiſum modo*, *ſecundum decurſus aqua-*

*rum & ipſe plantetur*. Ipſum quoque vide Tract. in Pſal. CXVIII. Lit. XV. num. 8. & Lib. X. num. 34. de Trinitate, ubi Chriſtus ab eo dicitur *IN CAELO Latroni Martyri ſuo PARADISUM promittens, & CONSUMMATAE BEATITUDINIS delicias pollicens*. Atque hinc diſcimus, Paradiſum accipi pro Deliciarum Loco; Paradiſum vero Chriſtianorum eſſe in Caelo, ibique *Conſummata Beatitudine* Juſtorum Animas frui. In eandem ſententiam conſpirantia non pauca habemus loca Sanctorum Cyrilli Hieroſolymitani, Ephraemi, Macarii, Auguſtini, & aliorum, qui concordi ſententia *Paradiſum* ſtatuunt idem eſſe cum *Regno Caelorum*. Et ſane non alium quam hunc ſenſum reddere poſſe videntur Domini verba ad poenitentem Latronem: *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Ingentem Felicitatem ille ſpondet, & praecipue dum ait *Mecum*. Jeſus glorificatus Paradiſum ſummamque Beatitudinem, ubicunque eſt, facit. Id experti fuerunt ejus Apoſtoli, quum *transfiguratus eſt ante eos in monte excelſo*. Nonne ipſe eſt *ſplendor Gloriae*, quem qui videt, videt & Patrem? ut miſſa faciam tot alia Scripturarum de ipſo elogia. Ad haec Paulus Secunda ad Corinth. XII. 2. ait, ſe raptum *uſque ad tertium Caelum*, atque *in Paradiſum*, *ubi audivit arcana verba*, *quae non licet homini loqui*. Quo plus animum huc advertas, eo plus intelligas, agi illic de ineffabilis Beatitudinis loco, quem Paulo Dominus revelaverat, & de quo ipſe gloriari poterat. Num in terreno aliquo loco, num in inferiore, quam *Tertium Caelum*, excogitare poſſumus audita ab eo arcana illa verba? Denique dicente Angelo in Apocalypſ. II. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitae*, *quod eſt in Paradiſo Dei mei*, vix aliter interpretari licet haec verba, niſi de Martyribus & Sanctis, uſque ad finem vitae in caritate Dei perſeverantibus, quibus mox ſpondetur aeternum praemium *in Paradiſo*, non terreſtri ſeu Moſaico, ſed Dei. Sunt qui Talmudiſtas in hanc rem adferunt, & Philonem Hebraeum commemorant, quaſi *Paradiſi* notio Chriſti tempore *Hortum Deliciarum* tantummodo ſignificarit; quum tamen Philo ne Adami quidem Paradiſum pro Horto reali accipiat, ſed Allegorice Felicitatem Adamo innocenti conlatam per illud nomen indicari putet. Quod nobis veri videatur ſimilius, Chriſtus Latroni Chaldaice loquens, *Locum Deliciis omnibus affluentem* promiſiſſe credendus eſt, qualis revera ſuper omnia eſt Caeleſtis Regia. Hunc autem Locum vocabulo *Paradiſi* Lucas Graece ſcribens expreſſit, non terrenum Hortum ſignificaturus, cujus arboribus ac pomis Animae Corpore ſolutae frui non poſſunt, ſed quidem Caeleſtem, in

quo

quo Juſtorum Spiritus viſione & contemplatione Dei fruuntur, & ad quem raptus eſt Paulus. Propterea, ut vidimus, plerique Patrum *Paradiſum Caeleſtem* in Libris novi Teſtamenti unice agnoſcunt, atque in primis Sanctus Hieronymus, vir certe in Hebraica & Graeca eruditione latiſſime verſatus. Is Lib. IX. Cap. 28. in Ezechiel. ad illa verba: *Et poſui te in monte ſancto Dei*, ſcribit: *Haud dubium, quin Paradiſum ſignificet, ad quem poſt tertium Caelum Paulus Apoſtolus raptum eſſe ſe dicit.* Addit infra: *Si Cherub* (ideſt Lucifer) *ejectus eſt de Monte Dei, hoc eſt de habitatione Paradiſi &c.* Apud Ezechielem vero legitur: *In deliciis Paradiſi Dei fuiſti:* Hieronymus conſulto *Paradiſum Dei* appellatum ſcribit, ut a terreſtri Paradiſo Heden, in quo locatus Adam fuit, hic diſtinguatur. Haec ipſa idem confirmat Lib. XIII. Cap. 44. in eundem Ezechiel. inquiens: *Priuſquam Salvator hominum corpus aſſumeret, clauſa erat Lex & Propheтae. Clauſus erat Paradiſus. Poſtquam autem ille pependit in Cruce, & loquutus eſt ad Latronem: Hodie mecum eris in Paradiſo; ſtatim velum Templi ſciſſum eſt, & aperta ſunt omnia &c.* Eundem quoque audi ad verba illa Job Cap. 36. *Requies autem menſae tuae erit plena pinguedine*, in haec verba loquentem: *Amoenitatem Paradiſi & jocunditatem, Requiem nominando ſignificavit. Immenſam vero abundantiam Vitae Beatae, quae eſſet plena ubertatis pinguedine, ac loci illius felicis referta deliciis, voluit demonſtrare, cujus terram ſanctam Manſueti ſecundum repromiſſionem Domini poſſidebunt.* Quare quum familiaris nobis ſit vox *Paradiſi* ad ſignificandum locum immenſae Beatitudinis, qua nunc Sancti fruuntur, jam perſpexerit Lector, id veterum auctoritate fieri: quod & luculentius confirmatum in ſequentibus ibo.

Redeo nunc ad Sanctum Ambroſium, inquiſiturus quid ille de Paradiſo ſenſerit. Is utique in Epiſtola LXXI. olim 19. ad Horontianum diſtinguere videtur *Paradiſum a Regno Caelorum*. Quippe ait: *Latroni confitenti dicitur: Amen, amen dico tibi; Hodie mecum eris in Paradiſo. Ille dixerat: Memento mei, quum veneris in Regnum tuum. Chriſtus non de Regno reſpondet, ſed ad cauſſam: Hodie mecum eris in Paradiſo. Ideſt, reformandum eſt ante, quod amiſſum eſt; poſtea conferendum id, quod augendum eſt, ut per Paradiſum ad Regnum perveniatur, non per Regnum ad Paradiſum.* Ad quae haec deinde adtexit: *Servatur Diſcipulis, quod plus conferatur pro laboribus: ideoque Incolatum promiſit* (Latroni), *Regnum diſtulit. Itaque is, qui ſub ictu mortis convertitur, & confitetur Dominum Jeſum,*

*merea-*

*mereatur incolatum Paradiſi. Qui vero multo ante ſe exercuit, & Chriſto militavit, adquiſivit Populorum animas, pro Chriſto ſe obtulit, habeat paratum ſtipendiis ſuis DEI REGNUM, cujus ſe Remuneratione donatum gaudeat.* Negare nequeas, quin heic Ambroſius *Paradiſum* capiat pro Manſione a *Regno Dei* diverſa. Et quidem non unam Manſionem Animabus Juſtorum deſtinatam in Caelis, uti in praecedenti Cap. vidimus, idem ſanctus vir recte opinabatur. Verum ne puta, *Paradiſum* hunc exſortem Beatitudinis ab Ambroſio fuiſſe reputatum, quum ipſe fateatur, *id, quod augendum eſt, poſtea conferendum* eſſe, hoc eſt, augendam poſtea Latronis Felicitatem, quum ad *Regnum Dei* conſcendet. Quod plus eſt, agnoſcimus & heic, everti prorſus a ſancto Epiſcopo male compactam Burneti molem. Sole meridiano quippe clarius eſt, tradi ab Ambroſio, Diſcipulos Chriſti, hoc eſt Apoſtolos, ceteroſque Juſtos, qui non, ut Latro, in limine Mortis ſe ad Deum converterunt, ſed ſeſe diu ante in Virtutibus exercuerunt, plus, quam Latro, adipiſci, ideſt recipi in *Regnum Dei*. Idque contingere non in fine Mundi; nam tunc ſaltem, ſi non prius, & ipſe Latro e Paradiſo ad Regnum conſcendet: ſed ſine mora ac dilatione poſt Corporis mortem ad Regnum Martyres, & Juſti transferuntur, ut plus eis conferatur, quam Latroni, cui dedit *incolatum Paradiſi*, & *Regnum diſtulit*. Itaque ex iſto loco videas, Catholicorum ſententiam fortius ſtabiliri. Attamen evidentior adhuc lux ſupereſt apud ipſum Ambroſium, qui Enarrat. in Pſalm. XXXVII. num. 18. nihil a Regno Caeleſti Paradiſum differre, verbis minime dubiis affirmat. En ejus verba: *Audi illum ex duobus Latronem dicentem Domino; Memento mei, Domine, quum veneris in Regnum tuum. Reſpondit Dominus: Amen dico tibi; Hodie mecum eris in Paradiſo. Ille adhuc rogabat, ut meminiſſet ſui, quum veniſſet in Regnum ſuum; & Dominus, quum nondum veniſſet, ei jam REGNUM CAELESTE tribuebat. Quam velox Miſericordia! Tardius votum precantis, quam Remunerantis eſt Praemium.* Eadem repetit in Pſalm. XXXIX. num. 17. & 19. Hujuſmodi vero ſummae Felicitatis locum ſtatim a morte Juſtis ceteris a Deo promitti, affirmavit idem ſanctus Doctor Expoſition. in Pſalm. CXVIII. Serm. 8. cujus verba protuli in calce Capitis praecedentis. Porro ipſum in eadem doctrina conſtantem perſpicies Lib. II. num. 101. de Fide Reſurrectionis, ſive de Exceſſu fratris ſui Satyri. *Videmus igitur*, ait, *Caelum patere* (non clauſum per tot Saecula eſſe, uti Burnetus perperam opinatur). *Virtutibus. Nec hoc eſſe Paucorum. Multi enim*

(Matth.

(Matth. VIII. 11.) *venient ab Oriente, & ab Occidente, & Aquilone, & Austro, & recumbent in REGNO DEI, Delectationem Perpetuae Quietis, sepultis animorum motibus, exprimentes. Sequamur Abraham moribus, ut nos recipiat in gremium suum, & tamquam Lazarum suae humanitatis heredem, propriis circumfusum virtutibus pio foveat amplexu.* En ut habitare in *Sinu Abrahae*, & recumbere *in Regno Dei*, pro una eademque sede ac re habentur. Et quandoquidem dormitanti, aut vigilanti, sed illuso cerebro Burnetus venditavit, Justorum & Injustorum Retributionem exspectandam esse e supremo tantum Judicio, mature in ejusmodi phantasma invectus est idem Ambrosius Lib. I. Cap. XV. de Officiis, ubi ait: *Post obitum vero utriusque, Pauper erat in Sinu Abrahae, Requiem habens, Dives in Suppliciis. Nonne EVIDENS EST, meritorum aut PRAEMIA, aut SUPPLICIA POST MORTEM MANERE? Et recte, quia in certamine labor est: post certamen aliis Victoria, aliis Ignominia. Numquid, priusquam cursus conficiatur, Palma cuiquam datur, aut defertur Corona?*

Semel Ambrosium nobis objecit Burnetus. Non ego illum antea dimittam, quam suspiciones quasvis dissiper, quibus illius doctrinam aspergere Britannus Scriptor conatus est. Igitur Sanctum Praesulem audi Lib. V. Cap. 12. num. 151. de Fide. *Melius est*, inquit, *esse cum Christo. Dissolvi enim, & cum Christo esse* (Philippens. I. 23.) *multo melius. Quum in hoc Mundo sub peccato sumus, Christus nobiscum est, ut per unius obedientiam Justi constituantur multi. Et si peccatum hujus mundi evasero, Incipiam Esse Cum Christo. Denique ait: Veniam iterum, & adsumam vos ad me. Et infra: Volo, ut, ubi ego sim, & isti sint Mecum. Ergo nunc sub Regno Christi sumus, dum in Corpore versamur. Quum vero GLORIAM EJUS VIDERIMUS, quam habuit, priusquam Mundus esset, ERIMUS IN REGNO DEI, IN QUO PATRIARCHAE SUNT ET PROPHETAE, de quibus scriptum est: Quum videritis Abraham, Isaac, & Jacob, & omnes Prophetas in Regno Dei; ut jam pleniore DEI COGNITIONE potiamur.* Optas-ne dilucidiora quam ista Ambrosii verba, ut intelligas, quantum ab ejus mente atque a veritate distet Burneti opinio? Profecto habemus heic plene confirmatas interpretationes, quas in prioribus Capitibus adhibuimus ad Apostoli verba. Verum quum in eandem sententiam dixerim confluere ipsius Apostoli locum Secunda ad Corinth. V. 8. ubi Justos ait percupere *magis Peregrinari a Corpore, & Praesentes esse ad Dominum*, animad-

madverte, non aliud ea verba ſonaſſe Ambroſio, quam nobis, in Epiſtol. XXXIV. ad Horontianum. *Unaquaeque Anima*, inquit, *videns ſe corporeo iſto clauſam gurguſtio, quae tamen terrenae hujus habitationis conſortio non degenerawit, ingemiſcit gravata Corporis hujus conjunctione; ſimulque cognoſcens, quia per fidem ambulat, non per ſpeciem, Peregrinari vult de Corpore, & Adeſſe ad Dominum.* Supra etiam nos monuit Joannes Apoſtolus, Beatos eſſe, qui in Domino moriuntur: *Opera enim illorum ſequuntur illos.* Paria quoque tradidit Sanctus Ambroſius Expoſition. in Evangel. Luc. Lib. VII. num. 122. inquiens: *Sola Virtus comes eſt defunctorum. Sola nos ſequitur miſericordia, quae Caeleſtium Dux praevia Manſionum, pecuniae vilis uſura, Tabernacula Defunctis Adquirit Aeterna.* Proinde ſi in Beatorum Animas ira caderet, de Caelo iraſceretur, ut puto, beatiſſimus Praeſul Ambroſius, adverſus pernicioſum Burneti conſilium, qui Chriſtianorum Spem, ſi non extinguere, certe enervare ſupra modum molitus eſt. Ab ejuſmodi deliramentis totus ille alienus, jamdiu contra clamavit, praeſertim Expoſition. in Pſalm. CXVIII. Sermon. XV. num. 26. ubi Juſtorum vitam imminentis Praemii ſpe enixe roborat atque ſolatur, *Suſcipe me*, inquit, *ſecundum eloquium tuum, & non confundas me ab Exſpectatione mea. Si vivit, qui in Sinu eſt Patriarchae Abrahae, ut ille Lazarus Pauper: quanto magis vivit, qui ſuſcipitur a Chriſto? Quomodo enim poteſt non in Aeternum vivere, quem ſempiterna Vita ſuſcepit, quem totum ſibi Chriſtus adſumſit? Sed & qui in Sinu Abrahae ſedet, ſuſceptus a Chriſto eſt. Intolerandae autem praeſumtionis videretur dicere Deo: Suſcipe me; niſi promiſſum ejus adjungeret, hoc eſt: Ut hoc auderemus, ipſe feciſti; tuo te chirographo convenimus, qui noſtrum chirographum ſuſtuliſti. Nos fecimus chirographum mortis. Tu ſcripſiſti chirographum vitae. Ergo non confundas ab exſpectatione ſua ſervulum tuum; quia in te ſpero. Spes enim non confundit.* Dulcia ſunt, & praetermiſiſſe piaculum foret, quae infra in noſtrum omnium ſolatium addit ſumme pius Epiſcopus, fide profecto dignior, quam viſionarius Burnetus. *Non erubeſcet*, ait, *qui ſperat in Chriſtum. Ideo qui bene ſperat, dicit: In te confido; non erubeſcam. Et bene ait: Confido. Robur enim ſpei noſtrae, & quaedam ſperantis auctoritas confidentia eſt. Spera igitur ſemper, & nemo te ab exſpectatione confundit. Exſpectatio noſtra, Vita Aeterna eſt. Exſpectatio noſtra, REGNUM DEI, ANGELORUM CONSORTIUM, benedictiones ſunt ſpirituales. Spera quotidie. Finem iſta res non habet: neſcit inducias.*

Spe-

*Spera etiam poſitus in adverſis &c.* Subdit infra: *Sequitur; Adjuva me, & ſalvus ero &c. Heic non magna, non vera eſt ſalus. Tunc ſalvus ero, quum fuero IN PARADISO, quum vivere coepero inter Angelos electos tuos &c. Ergo vel inter Angelos adnumeratus, dicas oportet juſtificationes Dei ſemper; & illam, quam ADEPTUS es GLORIAM, non tuis meritis arroges, ſed divinae miſerationi ſemper adſcribas.* Denique ſub finem Sermonis XIV. in Pſalm. CXVIII. cuicunque Juſto beatam iſtam ſpem, ſtatim poſt obitum complendam, ingerit, inquiens. *Merito ergo vir Evangelicus dicit: Hereditate quaeſivi teſtimonia tua in aeternum, quoniam exſultatio cordis mei ſunt. Quis non exſultet, qui Caelum & terram hereditate quaeſivit, quia quaeſivit Deum, de quo dicit Sanctus: Portio mea Dominus; quaeſivit Dominum Jeſum; quaeſivit Spiritum Sanctum; & poſt illa quaeſivit Angelos, & cum illis Vivit, non Hodie tantum & Cras, ſed in Aeternum.*

Haec doctrina divini Ambroſii, eademque & doctrina Catholicae Eccleſiae. Hanc ipſam beatus idem Epiſcopus, quoties occaſio tulit, confirmavit, depraedicavit. Vide illius Epiſtolam XV. ad Eccleſiam Theſſalonicenſem, Anno Chriſti CCCLXXXIII. ſcriptam. Diem ſuum obierat Acholius, ejuſdem Urbis Epiſcopus, vir magnarum virtutum, ſplendidique meriti in Eccleſia Dei. Quo ſancti hujus viri Anima de terra abierit, non a Burneto, ſed ab inſigni Doctore Ambroſio ediſce. Is ergo ait, ſe de illius aegritudine certiorem minime factum, *ne illi longaevitatem vitae hujus deprecaremur, cui Vitae Aeternae jam Praemia deferebantur. Abiit ergo, non obiit, & emigravit a nobis veteranus Chriſti Jeſu, CAELO TERRAE iſtius SOLUM MUTANS &c. Eſt igitur SUPERIORUM INCOLA, POSSESSOR CIVITATIS AETERNAE illius Hieruſalem, quae IN CAELO eſt. VIDET illic Urbis ejus menſuram immenſam, purum aurum, lapidem pretioſum, LUMEN Sine Sole PERPETUUM. Et haec omnia jamdudum ſibi comperta, ſed nunc FACIE AD FACIEM manifeſtata videns, dicit: Sicut audivimus, ita & Videmus In Civitate Domini Virtutum, in Civitate Dei noſtri &c.* Neque putes, tunc ſententiam hanc viguiſſe tantummodo de Spiritibus Sanctorum perfectorum. Erat & eadem de reliquis Piis & Juſtis, in caritate & pace Eccleſiae decedentibus, quos aut ſtatim, aut brevi in Aulam Caeleſtem migraturos Eccleſia Catholica ſperabat. Propterea de Valentiniani pii Principis morte in funebri Oratione idem Sanctus Ambroſius loquens ait: *Quam beata fuiſſet res publica, ſi cum*

*diutius ſervare potuiſſet! Sed quia VITA SANCTORUM* (ideſt Juſtorum) *non hoic in terris eſt, ſed IN CAELO* (*Juſtis enim Vivere Chriſtus & Mori lucrum, quia diſſolvi & cum Chriſto eſſe, multo melius*) *dolendum eſt, quod nobis cito raptus ſit: conſolandum, quod AD MELIORA tranſierit.* Proinde in fine Animam illius alloquitur, quae *nunc Lumen a Sole Juſtitiae mutuata, clarum diem ducit.* Petit, ut *Gloriam Suam ſuis Sororibus monſtret*, & rurſus ad *Hieruſalem illam Civitatem Sanctorum* regredi feſtinet, *ubi abundant meritorum Praemia, ubi cum Fratre conjunctus AETERNAE VITAE FRUITUR VOLUPTATE.* Qui plura cupit, ipſam Orationem adeat. Piiſſimum quoque Imperatorem Theodoſium Magnum altera funebri Oratione Ambroſius laudavit Anno Chriſti CCCXCV. de eo inter cetera praefatus: *Et ille quidem abiit ACCIPERE ſibi REGNUM, quod non depoſuit, ſed mutavit, IN TABERNACULA CHRISTI jure pietatis adſcitus, IN illam SUPERNAM HIERUSALEM, ubi nunc poſitus dicit &c.* Tum num. 28. de illo interpretatur verba Pſalmi CXIV. 7. *Convertere, Anima mea, in Requiem tuam*, per illa deſignatum inquiens *paratum Juſtis Regnum a conſtitutione Mundi, Regionem vivorum, & Civitatem Hieruſalem, de qua dictum eſt: Et Reges terrae ferent gloriam ſuam in illam* (Apocalyps. XXI. 24.) *Illa EST VERA GLORIA, quae ibi ſumitur: illud REGNUM BEATISSIMUM, quod ibi poſſidetur, ad quod feſtinabat Apoſtolus, dicens: Audemus ergo & conſentimus magis peregrinari de Corpore & Adeſſe ad Dominum.* Sunt & alia non minus dilucida hac de re in eadem Oratione, quae poſt tantam lucem referre ſupervacaneum puto. Quare nunc eat Burnetus accerſitum in ſui tutelam ſplendidiſſimum Mediolanenſis Urbis Antiſtitem Ambroſium, ut ſuis Britannis perſuadeat, Juſtorum, Immo & Impiorum Animas in ignotis ſibi locis diuturno immanique ſomno propemodum ſepultas jacere, quouſque poſtrema Mundi dies adveniat. Habemus jam Ambroſium hujuſmodi ſomniis infenſum: habemus pro Catholicae Eccleſiae ſententia firmiter ſtantem, ut mirari ſubeat incuriam, ſeu pravam potius Burneti mentem, qui inde praeſidium cauſſae ſuae petere voluit, unde graviorem ruinam ipſa contraxit.

CA-

# CAPUT DECIMUMQUINTUM.

*Joanni Chryſoſtomo tributum durum quoddam aſſertum, atque illud ad truſinam revocatum. Apoſtoli locus in Prima ad Corinthios explicatus. Chryſoſtomus cum Eccleſia Catholica concors.* Requies *apud illum nihil aliud niſi Caeleſtis Beatitudo. Quibus calumniis eum ſibi adverſantem Burnetus exceperit.*

AD *Sanctum Joannem Chryſoſtomum*, ſacrum illum, atque admirandum Graecae Eccleſiae Demoſthenem, ſubinde nos appellat Burnetus, quem ſecum omnino facere contendit. Et ſane magni momenti ſunt, quae excerpſit Burnetus ex Homil. XXXIX. in Cap. XV. verſ. 19. Epiſt. Prim. ad Corinth. videlicet: *Quid ais, Paule? Quomodo in hac vita tantum ſpem habeamus, niſi Corpus reſurgat, licet Anima maneat, & immortalis ſit?* Reſpondet ſibi: *Licet Anima maneat, licet millies eſſet immortalis, ut eſt: bona illa ineffabilia ſine Corpore non reportavet, quemadmodum nec punietur. Omnia enim manifeſtabuntur ante tribunal Chriſti, ut unuſquiſque quae fecit, itidem recipiat in Corpore ſive bona, ſive mala. Propterea dicit Apoſtolus: ſi in hac vita tantum ſpem in Chriſto haberemus, omnium eſſemus miſerrimi: niſi enim reſurgat Corpus, incoronata manet Anima extra illam Beatitudinem, quae in Caelis eſt.* Rurſus idem Chryſoſtomus eandem doctrinam confirmat Homil. XXVIII. in Cap. XI. 40. ad Hebraeos, ad illa verba: *Hi mercedem non receperunt*, ubi ait: *Nondum receperunt mercedem, ſed adhuc exſpectant. Qui iſthoc modo obiere, in tanta tribulatione, nondum illi acceperunt? Tantum habent temporis, ex quo vicerunt, nondum receperunt mercedem. Vos autem nondum finito certamine, moras aegre ferris. Cogitate, quaeſo, quid & quantum ſit, Abrahamum, & Apoſtolum Paulum exſpectantes, quando tu conſummatus fueris, ut tunc tandem poſſint mercedem recipere &c.* Addit Burnetus, Animarum ſedes appellari a Chryſoſtomo ἱερὰ Πρόδυρα *Sacra Veſtibula*, ſaepius autem *Sinum Abrahae*, in hanc rem laudans illius Homiliam XXIV. in Prim. ad Corinth. & Homiliam XL. in Geneſ. & Sermonem I. de Reſurrectione. Sixtum Senenſem, qui tamdiu naevos hoſce in Chryſoſtomi Libris deprehenderat,

derat, atque in ſuam Bibliothecam intulerat, heic etiam expilaſſe Burnetus videtur. Equidem ex iis, qui divinum Joannis Chryſoſtomi ingenium, & egregiam illius non in Allegorico, ſed in Literali divinarum Literarum ſenſu exponendo, peritiam admirantur, nemini concedere me fateor; immo hunc paene unum, uti ſacrae Eloquentiae incomparabile abſolutumque exemplar ſuſpicio. Atque utinam illum ſupra ceteros magiſtrum ſibi adhiberent, & quantum vires ferunt, imitarentur, quicunque in Eccleſia arti Oratoriae dant operam. Et apud illum quidem innumeras gemmas reperias; dolendum vero nunc, quod in ejus Libris Burnetus illud tantummodo expiſcatus ſit, quod nemo Chriſti Fidelium laudet aut probet. Nihil ego moror *Sacra* illa *Veſtibula*, nihil *Sinum Abrahae:* nihil enim horum obſiſtit, uti toties diximus, quin & ibi Beatitudine Sancti fruantur. Nam etſi integram nondum Hereditatem receperunt, in eam tamen immiſſi jam ſunt, laetantur in Veſtibulis, exſultant in atriis. Neque negotium faceſſit, quod Abraham & Paulus dicantur *nondum receppiſſe mercedem*, *exſpectantes quando & tu conſummatus fueris*. Etenim illi nondum perfectam illam obtinuere mercedem, quae nos manet poſt ſolemne omnium Judicium, quum Corpus quoque ſua gloria donabitur, ac totus homo coronabitur. Quanquam, ut idem Chryſoſtomus ibi animadvertit, *non dixit Apoſtolus: Ne ſine nobis coronentur; ſed, ut non ſine nobis conſummarentur*. Hoc eſt, ut non ſine nobis ad culmen Beatitudinis conſcenderent: quod in omnium Reſurrectione continget. Quum vero Apoſtolus in eadem Epiſtola ad Hebraeos XII. 22. *in Caeleſti Hieruſalem* jam ſtatuerit *Spiritus Juſtorum conſummatorum*, ſcilicet Animas Corpore ſolutas, & jam *conſummatas*, ſive Gloria donatas: reſtat, ut *conſummatio*, quam ſine nobis neutiquam Abraham & Paulus conſequentur, reſpiciat reſtitutionem Corporis noſtri, quam ante nos neque Paulus, neque alii Sancti accipient. Adde etiam plenam & abſolutam illam Gloriam, in quam cum reſuſcitato Corpore Juſti immittentur. Atque hunc ſenſum antea Apoſtolus nos docuerat, nempe Cap. II. 9. ejuſdem Epiſtolae, ubi de Chriſto Domino ait: *Videmus Jeſum propter paſſionem mortis Gloria & honore coronatum;* & verſ. 10. *Decebat enim, eum, qui multos filios in Gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem Conſummare*, ideſt ad Gloriae apicem adducere, ad quam reipſa tum Anima, tum Corpore glorificato poſt Reſurrectionem Dominus aſcendit.

Verum

Verum quod in Cap. XV. Primae ad Corinthios ſcripſiſſe dicitur Chryſoſtomus, videlicet: *Licet maneat Anima, licet millies eſſet immmortalis, ut eſt: bona illa ineffabilia ſine Corpore non reportaret, quemadmodum nec punietur &c.* tam longe abeſt a ſapientia Chryſoſtomi, ut juſtae ſuſpicioni aditus aperiatur, locum illum aut corruptum in membranis, aut malo alicujus conſilio deturpatum fuiſſe. Quamobrem? petas. Mecum ne venire te pigeat, primo ad Apoſtolum, tum ad Chryſoſtomum. Igitur inquit Paulus: *Quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam Reſurrectio Mortuorum non eſt? Si autem Reſurrectio mortuorum non eſt: neque Chriſtus reſurrexit &c. Quod ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra; adhuc enim eſtis in peccatis veſtris. Ergo & qui dormierunt in Chriſto, perierunt. Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Duplex heic adhibetur interpretatio. Aut enim pauci illi e Corinthiis, contra quos Paulus pugnat, Carnis tantummodo Reſurrectionem negabant, Animae immortalitate retenta; aut & Animam, & Corpus evaneſcere ac perire in morte cum Sadducaeis arbitrabantur. Si primum, Apoſtolus *miſerabiliores omnibus hominibus* non immerito appellabat Chriſtianos, quia & abſtinebant in hac vita a voluptatibus ob ſpem futurorum, & Judaeorum ac Gentilium odiis atque infeſtationibus paſſim obnoxios ſe ſe ſentiebant ob confeſſionem nominis Chriſti. Sublata vero Reſurrectione, ſpes quoque tollebatur praemii & remunerationis in altera Vita. Nam ſecundum eorum opinionem Caro non reſurgebat; & rurſus Animabus, etiamſi immortalibus, ſi Chriſtus non reſurrexerat, reliqua non erat ſpes certa ſalutis, & *remiſſionis peccatorum*, quum haec pendeat non e Morte ſolum, ſed etiam e Reſurrectione Chriſti: *Qui*, ut ait idem Apoſtolus ad Roman. IV. 25. *traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.* Id quoque eidem Chryſoſtomo viſum, dum ait ibidem: *Si Chriſtus non reſurrexit: neque fuit occiſus. Si autem non fuit occiſus: neque peccatum eſt abolitum. Si autem non fuit abolitum: in eo eſtis.* Quod ſi immortalitatem Animae quoque adimebant: potiori jure *miſerabiliores omnibus hominibus* reputandi erant Chriſtiani, quibus tot aerumnae & incommoda pro Chriſto in vita praeſenti devorabantur, nullumque in altera vita Praemium neque Animae, neque Corporis exſpectandum erat. Atqui Apoſtolus e certitudine Reſurrectionis Chriſti firmiſſimam de Reſurrectione quoque noſtra doctrinam deducit: nihil autem heic habet de ſtatu Animarum poſt mortem; neque negat, quin & ante Reſurrectio-

rectionem carnis eisdem conferri Beatitudo possit. Satis nempe illi est, Resurrectionem Mortuorum stabilire. Hac enim posita, inde etiam consequitur, Animas non perire post Mortem; & Corpora suo tempore esse vivificanda. Age vero, quid heic Chrysostomus, si tamen Chrysostomus? Objicientem quempiam Paulo inducit, & dicentem: Quei tu nos *omnium hominum miserrimos* appellas, si Resurrectio Corporum futura non creditur? Nonne post mortem Corporis Anima superstes est, quippe immortalis? Pro Paulo respondet Chrysostomus (seu potius ejus Interpolator) necessario admittendam Resurrectionem Carnis, quum Anima etiamsi sit immortalis, *sine Corpore bona ineffabilia* Caeli *reportare* nequeat, immo ne *puniri* quidem; ipsamque, donec societatem Carnis recipiat, *manere sine Corona extra Beatitudinem, quae in Caelis est.* Sed & nos Chrysostomo reponimus, inopportunam esse hujusmodi objectionem, nutante nimirum illius supposito. Nam si Corinthii, in quorum opinionem decertat Paulus, admisissent, Animam superesse ac vivere post Corporis dissolutionem, non dixisset: *Ergo & qui dormierunt in Christo, perierunt;* neque *si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus.* Haec indicare omnino videntur de immortalitate quoque Animae illos dubitasse. Attamen largiamur, vitam Animae ne ab iis quidem fuisse negatam. Quid tum? Si, ut supra monui, *Remissionem Peccatorum* Animae Justorum neutiquam assequebantur, certe Christiani omnium miserrimi fuissent appellandi, utpote tot in vita malis exagitati, & nullo post mortem praemio donandi. Contra Chrysostomus eorum sortem miserrimam opinatur, nisi Caro resurgat, quia sine Carne neque praemium, neque poena retribuetur; eamque in rem adfert Apostoli verba Secundae ad Corinth. V. 10. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria Corporis, sive bonum, sive malum.* At verba ista, si de extremo Judicio interpreteris, minime obstant, quin Animae antea poenam aut praemium in privato & occulto Dei Judicio acceperint; nam Apostolus ait, tunc homines relaturos *propria Corporis*, quae explicare licet de gloria aut poena Corporum, tunc solum inchoanda. Et quod est ad Animas, ideo solemne illud Judicium habendum est, ut coram omnibus pateat, qui Justi aut Injusti fuerint; & in omnium conspectu confirmetur, quidquid clam de illorum meritis jam divina Justitia decreverat. Quamquam eadem illa verba non immerito interpretari possumus de peculiari illo Judicio, in quo statim atque e vita homines emigrant, eorum Animae stant ante tribunal

bunal Chriſti, ut referant aut poenam, aut praemium operum, quae geſſerunt, dum erant in Corpore. Apoſtolus paullo ante dixerat, vehementer cupere Juſtos *peregrinari a Corpore*, ideſt mori, *& praeſentes eſſe ad Dominum;* poſt quae ſubdit, *omnes nos manifeſtari oportere ante tribunal Chriſti*. Juſtis autem id fore gratiſſimum, quia referent ſtatim praemium bonorum operum: quod fieri non poteſt, *dum ſumus in Corpore, & peregrinamur a Domino*. Neque Chryſoſtomus ipſe ſecretum hoc Animarum Judicium negavit, quum Homil. XXXVII. in Cap. XI. Matth. ſcripſerit: *Praeſens haec vita recte vivendi occaſionem & opportunitatem habet. Poſtquam vero diem tuum obieris, Judicium & Poena conſequitur*. Paria tradiderat Homil. XIV. in Cap. XIV. Matthaei, inquiens: *Sicut illi, qui e carceribus educuntur, una cum ipſis catenis ad Judicium pertrahuntur: ſic omnes Animae, Quum Hinc Emigraverint, variis peccatorum catenis implicitae, ad terribile illud Ducentur Tribunal. Nihil enim praeſens vita differre videtur a carcere.*

Atqui inſtat Chryſoſtomus: neque Praemio donari, neque Poena affici Anima ſine Carne poterit, atque adeo exſpectanda Reſurrectio eſt. Quid, quaeſo, ais, o ſumme venerandum, & ſumme mihi carum caput, ſi tamen haec, quae dicis, revera tua ſunt? Neque gaudia, neque ſupplicia, niſi recepto Corpore? Ac propterea, niſi Reſurrectio Carnis credatur, omnium hominum miſerrimi Chriſtiani a Paulo creduntur? Ignoſce homuncioni dicere audenti, aliena haec eſſe a ſacrarum Literarum dogmatis. Tute noſti, Paulum ad Philippenſ. I. 23. urgeri deſiderio deponendi Corporis. Et cur? Quia mortem Corporis extemplo conſequebatur, Animam *eſſe cum Chriſto:* quod *multo magis melius*, quam degere in hac vita exiſtimabat. Rurſus idem, ut nuper dixi, ſummopere cupiebat *peregrinari a Corpore, & praeſens eſſe ad Dominum*. Reliquis parco, in hoc uno inſiſtens. Quum Juſtorum Animae ſolutae Corpore vivant cum Domino, ejuſque praeſentia, procul dubio beatifica, fruantur: num Chriſtianos *omnium miſerrimos* appellaſſet Apoſtolus, niſi etiam priſtinum Corpus Anima recepiſſet? Quis tantummodo memor Lazari pauperis, & poenitentis Latronis, haec in animum inducere poſſit, niſi qui cum Burneto deſipere velit? Ad haec nonne ſine Corpore Anima Evangelici Divitis torquetur in Inferis? Reliquum ergo eſt, ut interpretatio iſta abjiciatur, uti abſona, Literiſque divinis adverſans, atque alteram e duabus nuper a me propoſitis amplectamur. Verum & quae hactenus differui, ſeponenda ſunt. Nam aut nunquam Chryſoſtomus ea literis

ris confignavit, ſed alter ipſi ſuppoſuit: aut ſi Chryſoſtomum auctorem habent, alium, quam putet Burnetus, ſenſum habent. Scilicet ille duntaxat innuerit, Animas ſine Carne percepturas non eſſe abſoluta illa Beatitudinis praemia, aut exquiſita ſupplicia, quae tum conferentur, quum poſtremam ſententiam pronuntiabit Judex vivorum atque mortuorum, & quae Catholica quoque agnoſcit Eccleſia. Denique ubi etiam Chryſoſtomus eo in loco ad Burneti mentem ſcripſiſſet, certum eſt, ipſum in aliis, paene dixi, innumeris diſertiſſime prodidiſſe, ſe receſſiſſe a tam abſurda ſententia, atque in ea firmiſſime conquieviſſe, quam a tot Saeculis Catholica tuetur Eccleſia. Jam Cap. II. apertiſſima duo illius hanc in rem eſſata produximus. Nunc idem, fortaſſis etiam ad ſatietatem, oſtendendum mihi ſumo. Veritatis enim cura heic non pauca exigit, ne qua ſuperſit Burneto Novatori ſpes, poſita in Chryſoſtomi patrocinio. Itaque cedo beatiſſimi illius viri Libros eximios, ut inde hauriamus, quae familiaris ei fuerit de praeſenti quaeſtione doctrina.

Et primo, quam alienus is fuerit a credendo, non antea puniendos poſt mortem Improbos, quam contubernium Carnis recipiant, ea oſtendunt, quae is ſaepe tradidit non de Evangelico tantum Divite, ſed & de reliquis in peccato morientibus. Hos enim confeſtim in Gehennam atque in tormenta rapi, minime exſpectato Corpore, ſtatuit. Ejus verba accipe ex Homil. II. in Cap. I. ad Coloſſenſes. *Si nullum alium, eum quidem certe imitare DIVITEM, qui IN GEHENNA dicebat: Pater Abraham, mitte ad cognatos meos, ne veniant in hunc locum.* Is profecto ibi ante Reſurrectionem; adhuc enim ejus cognati in Mundo verſabantur. Hoc idem Chryſoſtomus permultis aliis in locis repetit. Et cur non repetat, quando apertis verbis Evangeliſta prodit, Divitem illum *IN FLAMMA* ac *TORMENTIS* luere poenas intemperantiae & crudelitatis ſuae? Ita in Homil. XXIV. in Cap. VI. ad Epheſ. parem cum iſto Divite calamitatem obveniſſe dicit reliquis ſine poenitentia debitum naturae perſolventibus. *Magna eſt*, ait, *calamitas, hinc excedere HABENTES magna PECCATORUM ONERA. Nam in Inferno, inquit, quis confitebitur tibi? Illic eſt Judicium: non eſt tempus Poenitentiae. Quomodo flebat Dives, & nihil effecit? Quam multa dixerunt, qui Chriſtum non aluerunt? Sed tamen ABDUCTI SUNT IN IGNEM AETERNUM.* Gemina ſunt, quae habet in Homil. XXV. ad Populum Antiochenum. *Nondum in Infernum deſcendiſti, ubi nemo confitebitur. Nondum ſolutum eſt theatrum tuum, ſed adhuc es intra*

*tra ſtadium conſtitutus. Nondum eo deductus es, UBI DIVES TORQUETUR. Quum autem illo migraveris, horum neutrum utiliter facere poteris.* Pariter in Paraeneſi, ſive Epiſtol. V. ad Theodoretum lapſum, *Si quando*, ait, *Hinc Abierimus, nondum conſequuti vehementiſſimam Poenitentiam, manebit nos quiddam acerbius. Nam tum vel dentibus frendemus, vel plangemus, vel rogabimus infinita, ſed ne ſummo quidem digito paullulum quiddam refrigerii diſtillabit Ardentibus nobis.* Praeterea ſub finem Opuſculi de Virginitate ſcribit, non paucas e Virginibus, quod ſola caſtitate contentae in vitia prolapſae ſunt, *CRUCIARI IN GEHENNA, nam iſtas SEMPITERNIS FLAMMIS cetera vitia tradiderunt.* Ex Homil. XLII. in Cap. XV. Primae ad Corinth. ad poenitentiam nos urget, *donec habemus hoc parvum vitae viaticum; ne, ſicuti ille Dives, inutiliter illic lamentemur, Quum Exceſſerimus, & defleamus; fletus autem nihil nobis remedii afferat.* Plura non addo. Satis haec ſunt, ut intelligamus, Chryſoſtomum ad Animarum Poenas in altera Vita minime exegiſſe conſortium Carnis, neque diem poſtremi Judicii. Divinae vero benignitatis abundantiam & ille agnovit & depraedicavit Homil. XXXVI. in Cap. X. Matth. inquiens: *Non ad puniendum ſolum, verum etiam Multo Magis ad Bona Largiendum paratus eſt Deus.* Propterea ſi Improbi abſque mora in Supplicia detruduntur, Juſti quoque, minime exſpectato Corpore, ad aeterna Praemia convolent oportet. Et hoc reipſa eodem in loco teſtatur Chryſoſtomus, futuram Vitam & Juſtis, & Injuſtis ob oculos ponens, *ubi tam bonorum Praemia, quam malorum Supplicia reſervantur.*

Secundo, ubicunque res tulit, verbis minime dubiis ſcriptum reliquit, Animas Apoſtolorum & Martyrum, mox ut e corporeis vinculis evaſerunt, ad beatiſſimam in Caelis, & apud Deum, vitam evolaſſe: quod dogma conſtantiſſimum in Eccleſia Dei ſemper fuiſſe nemo neget. In encomio Sancti Martyris Ignatii ait, Eccleſias quaſque, per quas ille vinctus Romam ducebatur, mira conſolatione fuiſſe perfuſas, *cernentes Martyrem tanta cum alacritate ad mortem curvere, utpote qui AD REGNUM CAELORUM PROFICISCERETUR. Ac re quidem ipſa, ex promta illius hilaritate dicebant, eam non eſſe mortem, ad quam properabat, ſed peregrinationem quamdam & tranſitum atque aſcenſum in Caelum.* Tum de illo ſubdit: *Multo quidem mitiora cenſebat ora ferarum, quam Tyranni linguam. Nec immerito; ſiquidem haec ad Gehennam vocabat, illa autem ad Regnum mittebant. Quum igitur illic vitam poſuiſſet, immo vero in*

*Caelum profectus esset, reversus est deinceps Coronatus.* Ita in Lib. contra Gentiles, Sancti Babylae Martyris *Animam in Caelo* statuit. Non dissimilia profert in Sermon. IX. de Ascensione Domini, recitato in Aede Martyrum, ubi illorum *Animas in Caelis* esse affirmat. Laudationem quoque Sancti Martyris Juliani hisce verbis exorditur: *Si tales in terris honores* Martyribus *deferuntur, postquam excesserint ex hac vita: quales Coronae sanctis eorum capitibus IN CAELIS nectuntur? Si tanta est ante Resurrectionem Gloria, quantus post Resurrectionem erit splendor?* Heic, rogo, consiste, ut discas, quae Chrysostomo mens fuerit, quoties in tot aliis locis Resurrectionem, & praemia tunc Justis conferenda extollit. Ipsum habemus testem, multiplicem quoque *Coronam* ingentemque *Gloriam*, & quidem *in Caelis*, Martyribus conferri vel *ante* ipsam *Resurrectionem*. Augebitur sane in Resurrectione gaudium illorum, & gloria: verum & antea Beatitudine fruuntur. Quod etiam de Paulo Apostolo dixit idem Chrysostomus sub finem Homiliae XXXII. in Cap. XVI. ad Romanos, nos exhortans, ut patrocinium tanti Apostoli in Caelo degentis procuremus, *ne heic solum vocem Pauli audiamus, sed & illic, Postquam Discesserimus* (hoc est, statim ac Anima nostra Corporeis nexibus exsolvetur) *Athletam hunc Christi videre mereamur. Immo, si heic audierimus, & illic ipsum omnino videbimus, licet non e propinquo stantes* (neque enim par gloriae gradus nobis est sperandus). *Videbimus tamen prorsus prope apud Regalem Thronum splendentem. Ubi Cherubin Deum glorificant, ubi Seraphin volant, illic Paulum videbimus cum Petro in Sanctorum choro coryphaeum exsistentem & praesidentem, genuinaque illic dilectione fruemur.* Infra addit: *Paulus homo fuit, ex eadem nobiscum natura participans. Verum quoniam multum dilectionis erga Christum ostendit, Caelos ipsos transcendit cum Angelis constitutus.* Quo in loco, & quam Beatus jam sit Paulus, habes. Exspectat quidem, ut & nos consummemur, atque ut adveniat dies magna Domini, qua uti nos, ita & ipse Carnem suam recipiat, atque ampliori mercede donetur. Attamen & nunc in Beatorum Gloria sedet, *ante Thronum Dei*, & in coetu Angelorum atque Sanctorum: quod itidem Sanctus Joannes in Apocalypsi testatus fuit, ut vidimus. Quum vero Chrysostomus reliquorum Patrum more affirmet Homil. III. in Cap. III. vers. prim. ad Thessalonicens. & Homil XI. in Cap. VI. ad Hebraeos, varia esse Martyriorum genera, simul etiam, vel sine sanguine posse perveniri ad beatam illam sortem, ostendit.

Ter-

Tertio, etſi hactenus de Apoſtolis ac Martyribus tam grande praemium Chryſoſtomus depraedicavit, is tamen ne Confeſſores quidem, immo ne ceteros quidem Juſtos, ab eadem Gloria, quanquam in inferiori manſione, excluſit. In elogio Sancti Meletii Archiepiſcopi Antiocheni, qui ante quinque annos, *migraverat ad Jeſum, quem deſiderabat*, ait: poſtquam viſum Deo fuerat, ſanctum Epiſcopum *vocare ex praeſenti vita, eumque referre in chorum Angelorum*, orandum eſſe, ut nos ſuperſtites *obtineamus illic poſſe eſſe prope Beatum & Aeternum ejus Tabernaculum*. In altera quoque Oratione alterum illuſtrem Antiochenum Antiſtitem laudat, hoc eſt Sanctum Euſtachium, *qui in Caelum commigravit, & ad eum, quem deſiderabat, Jeſum profectus eſt; qui ad Locum pervenit turbarum expertem, unde dolor & aegritudo & gemitus abeſt: non illic mutationis eſt imago, non viciſſitudinis obumbratio* (nempe *apud Patrem luminum*, ut ait Jacobus Apoſtolus Cap. I. 17.) *ſed omnia fixa & immobilia, omnia firma & ſtabilita, omnia incorrupta & immortalia, omnia interitus expertia & aeterna*. Progrediamur nunc, a Chryſoſtomo percontaturi, ſit-ne ad illa Beatitudinis loca praecluſus, an apertus aditus reliquorum Juſtorum Animabus purgatis. Quid ille reſpondeat Homil. VIII. in Cap. II ad Philippenſ. accipe. *Non igitur lacrymis dignus eſt Juſtorum obitus, ſed laetitia. Si ipſi gaudent, gaudendum cum ipſis eſt. Abſurdum enim fuerit, gaudentibus illis, nos lugere. Gaude, quemadmodum Paulus, qui ita dicebat: Nihil mihi moleſti accidit, ſed etiam gaudeo ad Chriſtum abiens. Et vos gaudete, inquit, & congratulamini mihi. Gaudeamus igitur & nos, quum Juſtum viderimus interiiſſe. Nam diſceſſit laborum ſuorum Mercedem accepturus*. Qualis vero haec Merces? Chriſoſtomum audi in ſubſequenti Homil. XII. iſtis verbis nos ad bonum certamen heic certandum adhortantem. *Surſum ſpecta*, inquit, *ubi palma eſt. Heic palmae adſpectus auget ſtudium voluntatis; ſpes adimit laborum & moleſtiarum ſenſum. Longinquitas facit, ut brabium appareat exiguum. Quodnam illud eſt? Regnum Caelorum, Requies ſempiterna* (vide quid ſit Requies) *Gloria cum Chriſto, Hereditas, Fraternitas, Innumerabilia Bona &c. Si palma potitus in Caelum inveris, magno illic cum honore poteris incedere. Angeli te reverebuntur palmam illam ferentem &c. Deorſum quidem Jeſus te certare voluit, ſurſum vero Coronat. Non heic, ubi certamen, eſt etiam Corona illa, ſed in Splendido Loco*. Idem in ſubſequenti Homilia repetit, inquiens: *Paullulum laboremus, ut in omne aevum Requieſcamus. Cur non malumus heic vexari, ut ibi Requieſcamus?*

Idem repeto & ego, ut Lector luculente demum agnoſcat, quanta in nocte ſit Burnetus, qui quoties in ſacris Literis & apud Patres offendit *Requiem*, *Requieſcere*, atque horum ſimilia, nihil aliud intelligit, niſi ignobilem quamdam Somni ſpeciem, quo, ſi Superis placet, abſorbentur Juſtorum Animae poſt mortem. Idem eſſe *Requieſcere*, ac *Beatitudine frui*, ex apertis etiam Chryſoſtomi verbis conſtat. Ille propterea Oratione in verba Apoſtoli *de Dormientibus* Prim. ad Theſſalonicenſ. IV. lamentationes damnat in funere Juſtorum, inter alia ſcribens: *Si enim ſibi perſuaderent, in Vitam meliorem Juſtum introiiſſe, haud lugerent.* Eja, deinde ſubdit, *Deum gloria affice, quod cito in meliore ſtatu collocaverit. Deo gratias age, qui eum accepit. Sanctos ex hac vita decedentes, & ad majores Honores aſcendentes, bonis omnes verbis deducamus. Ibi eſt Paulus; ibi eſt Petrus; ibi univerſus Sanctorum chorus.* Quare vides, e felicitatis loco, ubi Apoſtoli Cum Chriſto ſunt, Cum Chriſto regnant, atque beantur, reliquos Juſtos minime excludi.

E ſacris etiam ritibus, quibus Juſtos in funere ſuis quoque temporibus Eccleſia proſequebatur, Chryſoſtomus alibi, hoc eſt Oration. IV. in Cap. II. ad Hebr. elicit deformitatem immoderate lugentium eorum mortem. *Dic mihi*, ait, *quid ſibi volunt clarae lampades? An non eos tamquam Athletas deducimus? Quid autem Hymni? An non Deum glorificamus & gratias agimus, quod Eum, qui exceſſit, jam Coronaverit? Convertere, Anima mea, in Requiem tuam, quoniam Dominus benefecit tibi, dicis: & lacrymaris?* Vis autem iterum ſcire, quaenam ſit haec *Requies?* Chryſoſtomum ipſum adi Hom. VI. in Cap. IV. ad eandem Epiſtolam, ubi *Sabbatiſmum* & *Requiem* ab Apoſtolo depraedicatam diſerte ſtatuit eſſe *Regnum Caelorum: Ingrediemur enim in Requiem, qui credidimus.* Beatiſſimum deinde ſtatum illum deſcribit omnium eloquentiſſimus vir, inquiens: *Revera eſt illa Requies, ubi aufugit dolor, triſtitia, & gemitus; ubi neque curae, neque labores, neque angor, neque metus animam percellens & quatiens, ſed ſolus Dei metus cum Voluptate. Omnia ſunt pax &c. omnia ſunt dies, omnia lux, omnia Splendida. Non poteſt, non poteſt capi ſatietas.* Tum aliis imaginibus uſus, pergit deſcribere Paradiſum, ejuſque ineffabilem Gloriam, *quando videbimus Regem, & aeterna SANCTORUM TABERNACULA FIXA IN CAELIS. Suſcipient enim, inquit, vos in aeterna Tabernacula. Quando videbis unumquemque reſplendentem pluſquam radii Solis, non ex aere & ferro, ſed ex illa Gloria, quorum fulgores non*

*poteſt*

*poteſt videre humanus oculus. Et haec quidem in hominibus*, (ideſt videbimus in Sanctis ante nos ad beata illa loca profectis.) *Quid vero dixeris multa Angelorum millia, Archangelorum &c. quorum pulcritudo omnem ſuperat intelligentiam?* Reliquos dimitto vivaciſſimos colores, quibus beatiſſimam illam Requiem, hoc eſt Beatorum Gloriam deſcribit; nam heic nos interpellat Apoſtolus, inquiens in eodem Cap. IV. ad Hebr. 11. *Feſtinemus ergo ingredi in illam Requiem.* Haec ad Hebraeos, jam Chriſti Religionem amplexos, dicebat Paulus: ſed & hiſce nos adhuc viventes alloquitur, ſingulos urgens, ut per opera virtutis ad tam nobile praemium, atque ad beatam Caelorum Requiem enitamur. *Curſu opus eſt* (ita in hunc locum ſcribit Chryſoſtomus) *eoque vehementi. Qui currit, nullum videt ex omnibus, etiamſi ingrediatur per prata, etiamſi per loca arida & aſpera. Qui currit, non aſpicit ad ſpectatores, ſed ad Praemium.* Verum dolendum eſt, immo indignandum, quod temporibus noſtris emerſerit in Britannia, qui quanquam Chriſtianam legem profiteretur, Apoſtolo tamen contraria diceret. Ejus quippe dogma eo recidit, ut Chriſti Fidelibus non in aurem inſuſurret, ſed palam ullo ſine pudore haec cantet: Quid *feſtinatis INGREDI IN ILLAM REQUIEM?* Feſtinate quantum vultis, contendite quantum poteſtis: non ingrediemini. Aditum illuc nequicquam ſperatis: adhuc obſtruſa ſunt oſtia fortiſſimo vecte. Feſtinarunt Apoſtoli: nihil ſolicitudinis omiſere tot Martyres, Confeſſores, & Virgines, ut illuc pedem inferrent. At jam Mille ſeptingenti & ultra fluxerunt Anni, atque hactenus nemini datum ſuit ingredi. Exſpectant adhuc illi: exſpectandum eſt & reliquis Juſtis. Niſi veniat dies magnus Domini, & conſummatio Saeculi, quae forſitan niſi poſt aliquot alia annorum Millia futura erit, nulla ſpes ſupereſt, in beatiſſimam illam Requiem intrandi. Ita Burnetus, qui etſi conceptis verbis haec non dicit, ſatis tamen per temerarium ſuum dogma dicit, ut unuſquiſque fatebitur. At quis Chriſti & Chriſtianae Reipublicae amator, non hominem exſecretur, aliud, quam Paulus Apoſtolus Chriſti, nos docere volentem, & pernicioſa hac doctrina eos remorantem, ac veluti irridentem, qui ſpe vicini praemii ſibi a Chriſto & Apoſtolis facta ſolicitati, alacres in itinere ſuae ſalutis feſtinant? At hujuſmodi Novatore parumper dimiſſo, Chryſoſtomi ſcholam rurſus adeamus.

Et is quidem portas Caeli minime Juſtis praecluſas oſtendit; verum illoſ-ne etiam (petis) ad Viſionem Dei admiſit? quod Catholica Eccleſia credit, Burnetus autem viſionibus tantum ſuis ſiſus negat.

negat. Utique admiſit, & non ſemel, admirabilis ille ſacrarum Literarum Interpres, & ſapientiſſimus Orator. In Homilia LXX. ad Populum Antiochenum haec habentur: *Non malum eſt mors: ſed malum ſi mortuus Tormentis tradatur. Neque rurſus eſt bonum mors; ſed bonum, ſi defunctus Saeculo, cum Domino Vivat. Peccatores, quum heic quoque ſuperſunt, ſunt omnibus miſerabiliores, quoniam Deum offendunt. At JUSTI, quum hinc quoque migraverint, FELICES OMNINO: AD CHRISTUM enim TRANSIERUNT. Juſti ſive heic, ſive ILLIC, CUM REGE SUNT, & ILLIC amplius & PROPINQUIUS, non per Introitum, non per Fidem, ſed FACIE AD FACIEM.* At inquies: minime certum eſt, ſit-ne Chryſoſtomi is Sermo. Centonem ex ejus Libris collectum, ſunt qui ſuſpicantur. Non abnuo. Sed & ipſi, qui dubitant, haec pertinere poſſe ad Chryſoſtomi Libros non dubitant. Et revera deſumta ſunt haec omnia ex Homil. III. in Cap. I. ad Philippenſes, uti quiſque intueri poterit. Quare nulla ſupereſt dubitatio, quin haec auctorem habeant Chryſoſtomum ipſum. Neque aliam fuiſſe illius mentem atque doctrinam, ex aliis documentis palam fiet. In Homilia ad Baptizandos ſunt ejus verba: *Non enim ad ſimplicem Gloriam ELEVARI SPERATIS; ſed AD IPSAM IMPERII POTESTATEM: immo nec ſimpliciter AD IPSUM IMPERIUM, ſed CAELESTE. Et ideo vos peto, ideo omni deprecatione vos poſco; ut quando AD illud REGNUM veneritis, mei memores eſſe velitis.* Tum propoſito exemplo Joſephi, in carcere ſeſe commendantis pincernarum principi, ſubdit: *Non vos Pharao, ſed Caelorum Dominus ad priſtinam patriam revocabit, & Hieruſalem Caeleſti reſtituet. Mementote igitur mei, QUANDO VOS illud SUSCIPIET REGNUM, quando REGALE vos proteget INDUMENTUM, quando purpura Dominico ſanguine tincta decorabimini, quando CORONAM Solis radiis ſplendidiorem SENTIETIS IN CAPITE. Talia enim illius Sponſi dona eſſe conſueverunt, quae noſtrum quidem meritum vincunt, ſed dantis ſunt congrua pietati. Et ideo VOS ante ingreſſum ſancti Thalami BEATOS APPELLO.* Hinc etiam diſcere potes antiquiſſimam Catholicae Eccleſiae praxim, quae ſe Sanctorum vita functorum precibus commendat. Si illi *in Regno:* ergo cum Rege, ergo in illius conſpectu. Et iſtud quidem *Regnum* Sanctis hinc decedentibus, non poſt innumeros Annos, ſed ſtatim, aut brevi ineundum, idem ſanctus Epiſcopus alibi ſatis ſignificat, in exordio videlicet Lib. III. de Providentia ad Stagirium Monachum, ubi eum hiſce verbis ſolatur: *Dic, oro, ſi quis te ad Regnum ter-*

*reſtre*

*reſtre & Imperium vocaret, atque ante Ingreſſum ejus Civitatis, in qua Coronandus eſſes, in ſtabulum divertere neceſſe eſſet &c. An non illa omnia, quaſi nihil eſſent, gaudio & ſpe Regni contemneres? Indignum foret, Aeterni Regni ſpe elatum atque erectum, & ad Caelos accerſitum, per ſingula, quae in diverſorio contingunt triſtia, decidere atque perturbari.* Tum ei in mentem revocat, Sanctos Patres, dum in corpore viverent, ſemper ſe ipſos reputaſſe & appellaſſe *Hoſpites & Peregrinos:* quod & nos facimus, a ſacris eruditi Literis; non enim habemus heic Civitatem manentem, ſed futuram inquirimus. Ita Apoſtoli, ita Patres, quia certi, ſe per miſericordiam Dei poſſe, poſt brevem hanc peregrinationem, ad Patriam, ad Regnum conſcendere. Quid nunc dicendum de Burneto, qui vel ipſos Apoſtolos tamdiu hinc ſublatos, ab ejuſmodi Patria adhuc arcet, & peregrinos etiamnum atque hoſpites, immo & in exſilio eſſe, temere profecto, jubet?

Rurſus autem Chryſoſtomus in Homilia de Militia ſpirituali, heic certandum monet, ſi coronam cupimus: *Chriſtus vires in agone dabit; & tu victorem Regem ſequeris*, atque *A MORTE TRANSIBIS AD VITAM AETERNAM; & ab hominibus injuriam paſſus, ad DEI GRATIAM transfereris: ET Sanctorum ANGELORUM CONSORTIO FRUERIS. Terra TE CIVEM non SUSCIPIET, ſed CAELUM. Non incolam te ſuſcipiet Mundus, qui perſequutus eſt; ſed ANGELI TE PORTANTES PRAESENTABUNT CHRISTO, & Amicus Dei vocaberis, & deſiderabilem laudem ex ipſius Domini voce audies: Euge, ſerve bone & fidelis &c. Percipies a Rege Caeleſti omnium bonorum communionem; & hymnum dicens, choris mixtus aeternis, & INTER ANGELOS ſanctos accinctus laetitia, REGALEM CORONAM PORTABIS IN CONSPECTU REGIS DOMINI: & coaeternalis Domino tuo factus, CUM ipſo AETERNAE BEATITUDINIS LARGITORE LAETABERIS.* Et ne quis putet, tantam praemii ubertatem unis Martyribus ab eo reſervari, audi, quam conſolationem ille adhibuerit in Paraeneſi ad Viduam juvenem in morte mariti. *Sin autem*, ait, *Vir tuus ad quietum, placidumque delatus eſt Portum, atque ad ſuum vere profectus eſt Regem: nullus heic lacrymis, ſed laetitiae locus eſt. Etenim haec mors non eſt mors, ſed migratio, ac domicilii mutatio a deterioribus ad meliora; a Terra ad Caelum; ab hominibus ad Angelos & Archangelos, atque adeo ad ipſum Archangelorum Dominum &c. Audiſti ſane en beato Paulo, quum ita diceret: Longe ſatius eſt Diſſolvi,*

*vi, & esse cum Christo &c.* Tum sub finem ejusdem Opusculi ait, male ejus viro fuisse futurum, si diutius vixisset: *Primum quidem tardius vidisset Caelum, & ea, quae in Caelis sunt &c. Nunc quidem confidimus Dei gratia, illum evolasse in locum Requietis, quod nullam ex iis culpis in se admiserit, quae a Regno Caelorum excludunt.* Haec eadem Catholici etiamnum dicunt de morientibus in Domino. Paria habet in Homil. XXXIII. in Cap. IX. Matth. ubi inter alia inquit: *Si vero Justi decesserunt, evaserunt jam e periculis, & tuti Supremam Beatitudinem Possident.* Sunt & ibi alia, quae brevitati consulens intacta dimisi. Et quaenam sit Gloria, quae Justorum Animas manet post mortem, idem Chrysostomus indicavit Homil. LVI. in Cap. XVI. Matth. ubi Dominum ita loquentem inducit: *Cur igitur reformidas, Petre, quum moriturum me audis? Videbis enim tunc me in Gloria Patris. Si vero ipse in Gloria ero, & vos similiter. Non enim praesens haec vita terminum vobis apponet, sed VERA BEATITUDO VOS SUSCIPIET.* Certe diem postremi Judicii non expectabit Dominus Jesus, ut sit in Gloria Patris. Ergo qui jam cum eo sunt, ejusdem Gloriae luce ac voluptate fruuntur. Ceterum quae hactenus congessi, majori in lumine collocabit ipsemet Chrysostomus Homil. VI. in Prim. ad Thessalonicens. Cap. IV. Agit ibi de Vidua, cui mors filium eripuerit, ac inter alia haec habet: *Cogitatione aperi Caeli portas. Disce eam, quae illic est, Regiam. Vide eum, qui illic est, Regem. Reputa, an ii, qui sunt in terra, possint esse clariores Filio tuo, qui Illic est. Et tunc suspira & ingemisce.* Tum de iis, qui in Caelesti Regia versantur, haec addit: *Non habent famulos, qui ipsos praecedunt, sed ipsos Angelos. Non assistunt Regi mortali, sed Immortali, Regi Regum, & Domino dominantium. Non habent circa lumbos zonam pelliceam, sed Gloriam illam ineffabilem* &c. Itaque tempus est, ut agnoscat Lector, quantam Chrysostomo injuriam inroget Burnetus, quando eum veluti suis somniis patrocinantem inducit. Nemo sane consolatorem in morte sua aut suorum, Britannum Novatorem adhibuisset, postquam is ne Apostolis quidem & Martyribus post tot Saecula licuisse dixit, pedem inferre in Beatam Caeli Regiam; ac tum eorum, tum ceterorum Justorum spem rejecit in postremum Judicii diem, a nobis fortasse per complura, & fortasse plurima Saecula adhuc remotum. Attamen heic aliqua praeter suum morem sinceritate usum fuisse Burnetum dissimulare nolo, quippe qui pag. 66. agnoscit, Chrysostomum *aliis in locis liberius sublimiusque loqui de hac Beatitudine interme-*

*termedia.* Sed quid ille? Ut haec cum ſua opinione conciliet, ſubdit: *Oratores inter perorandum, ſaepe incaleſcunt aliquantulum, neque ſingula verba in aurificis ſtatera ponderant. Quumque Sermones populares, aut Orationes funebres adornant, multae ſunt cauſſae, quae perorantem incitare poſſunt ad exaggerandam Felicitatem mortuorum in Domino; nullae vero ad diminuendam, praeter ipſius veritatis conſcientiam. Utile, eſſet ad conſolandum & erigendum animos contra vim mortis, praeſertim in ſubeundo Martyrio, ad excitandos affectus, & pietatem confirmandam, callide liberius loqui de proxima futura Sanctorum Beatitudine; ſed nulli conſilio, nullis uſibus inſerviret, frigidius quam par erat, & tenuius eamdem repraeſentare.* En egregiam ſolvendi hujus nodi rationem a Burneto excogitatam. Sed pudeat tandem Britannicam gentem, tam perditi conſilii, ac tam impudentis (ſit verbo venia) ingenii hominem in ſuo ſinu peperiſſe ac toleraſſe. Nam quid aliud perſuadere poſſunt illius verba, niſi ut jam credamus, nefas minime in Britannia cenſeri, aliquid tanquam dogma Eccleſiae credere, & nihilominus indoctum miſerumque Populum contraria paſcere doctrina, & ex ipſo ſacro ſuggeſto fallere nimis credulam Plebem? Deinde haec eo collineare nemo non videat, ut erga Sanctos Patres omnis exuatur reverentia, neque ullus amplius honor eorum non ſolum verbis, ſed ne moribus quidem habeatur, quando eos & mendacio, & impoſturis operam dediſſe in erudiendo grege ſuo deprehendamus. Quod ſacri Oratores in aliquo laudando interdum limites exacte non ſervent, venia illis plerumque neganda non eſt: quod etiam ſacri Miniſtri ſpem faciant de aeterna ſalute omnibus, qui in pace Eccleſiae & poenitentia diem ſuum obierunt, dum divina judicia in obſcuro ſunt; id ſemper licuit atque licebit. At ſibi fingere ac palam venditare Eccleſiarum Paſtores, qui doctrinam Fidei credant, Juſtorum & Injuſtorum Retributionem in fine duntaxat Mundi exſpectandam; & Populo interea venditent, Caelum patere Juſtis ante Reſurrectionem, atque in Infernas poenas ruere Improborum Animas: calumniatoris tantummodo facinus eſt, quod quiſque probus exſecretur, & confeſtim a veritate alieniſſimum ſentiat. Mentiri ſemper malum eſt: peſſimum vero & exſecrabile in Religionis negotio, uti Sanctus Auguſtinus nervoſa oratione non ſemel oſtendit. Proinde nemo tam indigne Sanctos Patres habet, quam qui illos & mendacii, & impoſturae in re tanti momenti inſimulat. Quidni ergo hoc etiam titulo deploratam ſentis Burneti cauſſam, cui opus fuit denigrare famam praeclariſſimorum Eccleſiae Patrum, ne

eos imaginationibus ſuis adverſantes Chriſtiana Reſpublica revereatur? Et ad Chryſoſtomum quod attinet, is non tantum in Sermonibus ad Populum, ſed & in ſcriptis ad ſingulares perſonas, eadem confirmavit dogmata, quae hactenus oſtendimus ab ipſo palam depraedicata. At inquit heic Burnetus: nonne ſtat, Chryſoſtomum multis in locis affirmaſſe, Juſtorum Animas hinc abeuntes *in Sinum Abrahae deferri?* Nomen iſtud *ſtatum beatitudinis intermedium, & Caeleſti inferiorem notat.* Hoc mihi in ſequenti Capite expendendum propono.

## CAPUT DECIMUMSEXTUM.

Sinus Abrahae *Chryſoſtomo idem cum* Regno Caelorum. *Ejuſdem varia, perſpicuaque loca, quibus Beata in Caelis vita non Martyribus tantum, ſed & ceteris Juſtis jam conlata firmatur.*

EXTRA controverſiam eſt, a Chryſoſtomo ſaepe mentionem factam *Sinus Abrahae*, in quem recipiantur Spiritus Juſtorum, quibus nihil reſtat purgandum in altera Vita. Immo is locum, in quo Abraham nunc degit, diſtinguere videtur a Regno illo, in quo poſt Reſurrectionem Juſti devehentur. Sed numquid *Sinus Abrahae* propterea apud Chryſoſtomum evaſit incognitus quidam carcer, & quidem ſubterraneus, in quem Burnetus conjecit tam Proborum, quam Improborum Animas, ubi ſecundum ejus ſomnia nunc quieſcunt, ſeu dormiunt, ignobili quadam *Inactione* languentes? Apage ejuſmodi deliramenta. Supra jam vidimus, veteres ſub nomine *Sinus Abrahae* poſt mortem divini Redemtoris noſtri deſignaſſe locum Beatitudinis, quo Juſti evolantes e Mundo deferuntur, locum perennis Gloriae & Felicitatis, ipſumque in Caelis, atque ante Thronum Dei, cujus beatifica Viſione fruuntur fortunatae illae Animae. Hanc ipſam Chryſoſtomo mentem fuiſſe, palam faciunt quaecunque hactenus ex illius Libris excerpſimus. Quum enim ille toties teſtatus fuerit, ad ineffabilem Gloriam, atque in Caeleſtem aulam, ſolutas Corpore Animas Juſtorum conſcendere, ſimulque eas excipi in Sinum ſuum a patre Abraham, in ea felicitate poſito: nonne manu tenes, nihil aliud hocce vocabulo ſignificatum fuiſſe, quam Beatitudinis Caeleſtis locum in domo Patris ſitum, in quo multae manſiones, hoc eſt jugis Gloria

& Fe-

& Felicitas, quanquam varia pro varietate meritorum? At quando quidem non idem esse Abrahae Sinum nunc a Sanctis inhabitatum, & Regnum in Corporum Resurrectione nobis promissum, interdum innuere videtur Chrysostomus: noveris, *Regnum* quoque ab illo appellari praesentem Sanctorum statum beatissimum in Caelis, eorumque gaudia in Caelesti Hierusalem; per alterum vero Regnum significari completam illam perfectamque Beatitudinem, qua totus homo donabitur in Resurrectione & supremo Judicio, quum videlicet Corpus, recepto pristino consortio, cum Anima & ipsum glorificabitur, Christus vero Regnum, ideſt omnes sua gratia bene usos, tradet Patri, regnaturus tamen in aeternum cum illo. Testem habeo Chrysostomum ipsum, cujus haec sunt verba Homil. XIV. in Cap. VIII. ad Roman. ubi locum Apostoli explicat, nempe *Adoptionem exspectantes*. Itaque scribit: *Quid ais, obsecro? nunc bonum hoc in spe reponis, qui scribas adoptionem ipsam exspectari oportere? Hoc igitur inductione corrigens, ait: Redemtionem Corporis nostri: hoc est, numeris omnibus ABSOLUTAM GLORIAM*. Ceterum ne nunc quidem, dum Corporis Redemtio exspectatur, ineffabili Gloria carere Sanctos, Chrysostomus ipse antea in illa ipsa Homilia innuisse videtur, proponens Apostoli verba: *Existimo enim, quod non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram Gloriam, quae Revelabitur in nobis;* ad quae magnus ille Orator atque Interpres: *Non dixit: ad futuram Requietem, sed quod majus est, ad futuram Gloriam. Etenim ubi Requies, ibi non omnino Gloria: ubi autem Gloria, ibi omnino Requies. Deinde posteaquam futuram illam dixit, ostendit ipsam Jam Esse; neque enim dixit: ad Gloriam, quae futura est, sed quae Revelabitur, tamquam quae quidem nunc sit, occultetur tamen adhuc*. Nimirum, adveniente novissimo omnium Judicio coram universo hominum genere Revelabitur Gloria, qua electi donati jam fuerant. Ad normam istorum scribit idem Chrysostomus Homil. XLVI. in Cap. XX. Actor. Apostol. Judicis aeterni verba referens: *Venite, inquit, in hereditatem: Possidete paratum vobis Regnum. Non dixit: Accipite, sed in hereditatem possidete: id quod in his, qui proprie possederunt, dicitur*. Clariora tamen poscis de Beatitate, nunc in Sinu Abrahae (quem nos *Paradisum* appellare consuevimus) Sanctis exhibita? Non pauca dabo, eaque ex ipso Chrysostomo excerpta.

Pauperem Lazarum in *Sinum Abrahae* ab Angelis post mortem deductum, dubitare nos non sinit Evangelica narratio. Monet etiam Dominus in Evangelio, non heic, sed in Caelis, a Deo petendam

nobis esse mercedem bonorum operum. Idcirco Chrysostomus Homil. XXI. in Cap. VIII. 1. ad Corinth. scripsit: *Qui autem INTEGRAS ILLIC EXIGIT CORONAS, exsistit longe admirabilior, sicut Lazarus ille, qui ILLIC OMNIA BONA RECEPIT.* Audin' *omnia Bona?* Exclude hinc Beatitudinem, si potis es. Rursus Chrysostomus Homil. II. ad Populum Antiochenum luculentius idem prodidit, in haec verba loquens: *Qui dixit: Divitibus hujus Saeculi; domonstravit, & alios futuri Saeculi Divites esse: qualis ille Lazarus erat, in praesenti quidem vita pauperrimus, in futura vero Dives; non auro & argento & ulla tali corruptibili & marcescibili materia affluens, sed ARCANIS ILLIS BONIS, QUAE NEQUE OCULUS VIDIT, neque in cor hominis ascenderunt. Hae namque verae divitiae & opulentia: quando & immarcescibilia sunt bona, & nullam capiunt mutationem.* Quid quaeso, deest *Sinui Abrahae*, ut immensae Beatitatis domicilium intelligamus, quando nihil ibi desideratur ex iis, quae de Regno Caelorum & Paradiso tum sacrae Literae, tum nos quotidie dicimus? In quincta quoque Homilia ad eosdem Antiochenos beatissimus Antistes, postquam Divitem crudelem, ceteroque Peccatores jam detrusos ait *in poenas intolerabiles*, atque *in tormenta sempiterna*, non vero dormientes adhuc, atque flammarum expertes, uti Burnetus commentus est, subdit: *Non ita Lazarus; verum digressus hinc, AETERNIS POTITUS EST BONIS IN ABRAHAE SINU GAUDENS.* Idem ille exemplum Divitis & Lazari refricat Homil. XLIX. ad eosdem Antiochenos. Tum sic argumentatur: *Numquid unum esse tibi videtur, in corruptibili Corpore & in mortali graviter torreri, deinde Coronari, & Post brevem illum languorem Immortalibus frui Deliciis: an contra Post brevem delectationem in infinitum torqueri?* Quo Justi atque Injusti post mortem deferantur, & hinc discimus. Quod si dubitas, an Chrysostomo sit tribuendus hic Sermo, quamquam certum illius auctorem stilus prodat: fateare saltem, nos a Graecis hanc Homiliam accepisse. Mature igitur animadvertere possis, quo in loco futura sit nobis nimia Burneti confidentia, scribentis pag. 50. *Patres* Graecos *generatim a partibus nostris in hac caussa stetisse non dubito.* Jam perspeximus, uberius etiam perspiciemus, quantum fallatur, aliosve fallere velit, qui haec jactitat. Neque secus de eodem Lazaro Chrysostomus loquitur in Opusculo, *Quod nemo laeditur, nisi a se ipso.* Ecce illius verba: *Quid autem & Lazarum? nonne aegritudo & ulcera & egestas ad Beatitudinem perduxit? & afflictio hujus Mundi, Coronas ei in Aeternum para-*

*paravit?* Et infra: *Anguſtiis rerum magis ſolidatus eſt, & hinc illi Coronae paratae ſunt, unde infelicior putabatur: inde ei Palma victoriae, inde Aeterna Remuneratio, unde cruciatus multiplicabatur & injuria. Fames illa Abundantiam praeparabat futurorum Bonorum: aegritudo illa Vitam conciliabat Aeternam.* Quid ſit *Vita Aeterna* in Evangelii ſermone, nihil eſt, cur ego commemorem. Haec autem paullo ante ſuum obitum, non in concionibus ad Populum, ſed privatis Literis ſcribebat Chryſoſtomus ad Olympiadem mulierem nobiliſſimam, in aerumnas graviſſimas conjectam. Et ea quidem ſcribebat, ut illi in mentem revocaret, quae Praemia ſtatim a morte operiri debeat Juſtus, perſequutionem paſſus propter juſtitiam. Eat nunc Burnetus, & *Sinum Abrahae*, perinde ac foret apud Sanctos Patres deſertus locus, deſpiciat. Chryſoſtomum quoque in Homiliis ad Populum veluti aeſtu Orationis abreptum venditet. Quam imperite, quam inique, nemo nunc non intelligit.

Sed ne funem longius producamus, Chryſoſtomus ipſe, quid ſibi eſſet *Sinus Abrahae*, Homil. XXII. in Cap. VIII. Matth. aperte ſignificavit, unum cum *Regno Caelorum* eundem faciens locum: ſi tamen locum appellare licet. Interpretatur ille Salvatoris noſtri verba: *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Iſaac in Regno Caelorum*, atque in hanc ſententiam loquitur. *Neque hac ratione tantummodo novum, ut videbatur, atque inauditum hunc dicendi modum lenit, verum etiam, quia CAELESTE REGNUM non ſuo nomine, ſed SINUM ABRAHAE appellavit &c.* En quid nomine *Sinus Abrahae* ſignificarint Sancti Patres, Regnum Caelorum, Regnum Beatitudinis, quo nunc Sancti fruuntur. Quod ſupra Cap. XII. aliis veterum teſtimoniis oſtendi, confirmatum heic vides. Confirmavit alibi & idem Chryſoſtomus, videlicet Homil. LXX. in Cap. XXII. Matth. ubi Angelicam Monachorum ſui temporis vitam deſcribit, haec inter cetera ſcribens: *De futuris ſemper philoſophantur, & quaſi alium quam nos orbem habitantes, quaſi in Caelum translati, atque ibi viventes, ſic de Caeleſtibus ſemper, de Sinu Abrahae, de Coronis Sanctorum, de Societate Chriſti diſputant: praeſentium autem nulla apud eos commemoratio, nullus ſermo eſt.* Quemadmodum nunc Sancti de Paradiſo, quo nomine Aeternam Vitam atque Beatitudinem deſignant, ſaepiſſime cum admirabili delectatione colloquuntur, ita illi de *Sinu Abrahae:* nam ſub hoc vocabulo paratum Juſtis Regnum, promiſſam Fidelibus Beatitatem prae oculis habebant, & votis atque operibus

ribus conquirebant. De iisdem propterea Monachis Homil. LIX. ad Popul. Antiochen. ſcribit: *Nec ullus audet dicere; ille mortuus eſt, ſed ille conſummatus eſt. Tum gratiarum actio, laetitia, gloria multa, unoquoque talem finem habere orante; ita a laboribus & certaminibus quieſcere; & VIDERE CHRISTUM.* Iſtam proinde ob cauſſam Homil. XXI. in Cap. IX. Actuum Apoſtol. idem ſanctiſſimus Orator oſtendens, nequaquam licere lacrymis proſequi morientes in Domino, ſed quidem Peccatores, ita loquitur: *Dic autem, oro, ſi ſedentibus nobis mittat Rex quemdam, vocans in Regna: plorandum-ne erit ac lacrymandum? Angeli e Caelo veniunt, illinc miſſi ab ipſo Rege, ut conſervum ſuum vocent: & tu ploras?* Et quidem beati, qui illic ſunt & erunt, quia, ut nuper vidimus, in *Societate Chriſti* ſunt atque erunt. Propterea Apoſtolus cupiebat *diſſolvi & eſſe cum Chriſto*. Ibi videre Jeſum, cum eo verſari, cum eo colloqui, Paradiſus eſt, & immenſa Felicitas. Neque meis tantum verbis heic loquor, ſed Chryſoſtomi, qui Hom. XV. in Prim. ad Timoth. Cap. V. hiſce nos hortatur: *Diligamus Deum, quaeſo, toto affectu cordis, non Gehennae metu, ſed deſiderio Regni. Quid enim, oro, Viſioni Chriſti conferendum eſt? nihil profecto. Quid aeque optandum, ac Bonis illis Aeternis & Immortalibus frui, quae nec oculus vidit, nec auris audivit &c.?* Ita Homil. XXIV. in Cap. VII. Matth. *Ponamus igitur*, ait, *adoleſcentem aliquem eſſe mirabilem, eumdemque & cunctis florere virtutibus, & totius tenere Orbis imperium. Quid non iſtius Patrem pati exiſtimatis libenti animo, ne talis Filii privetur converſatione? quod vero vel grande malum non eſſe ſubiturum, modo ut illum etiam videat, atque illius praſentia perfruatur? Hoc igitur de futura quoque Gloria cogitemus. Neque enim ſic filius patri, etiamſi virtutibus mille decoretur, deſiderabilis eſt atque mirabilis, ut Caeleſtium fructus Bonorum; & Diſſolvi, & Eſſe Cum Chriſto.* Perſpicua haec ſunt Chryſoſtomi verba de beatifica Viſione, qua Sancti in Caelo donantur; clariora tamen fient, ſi quae ille ſcribit Hom. LV. in Cap. XVI. Matth. acie mentis & oculorum contemplemur: *Quod lumen*, ait, *qui receperunt, iſta viderunt, & non ad Gehennam, ſed eo perveniunt, unde dolor & moeſtitia ſemper fugit &c. ubi Vita Aeterna, ineffabilis Gloria, inenarrabilis Pulcritudo, Majeſtas Regis inaeſtimabilis: ubi Bona illa ſunt, quae oculus non vidit &c. ubi Virgines, quae fulgidas habent veſtes, & omnes, qui nuptialem habent amictum, converſantur &c.* Adi etiam, ſi vis, illius Homiliam XII. in Cap. I. Joannis, ubi eſſe cum Chriſto, ejuſque Gloriam intueri,

Beati-

Beatitudinis culmen appellat. Vide insuper, quae idem scripsit Hom. VII. in Cap. IV. ad Hebraeos. Sunt haec illius verba: *Nunc est tempus doni. Nemo de spe desperet. Tunc est tempus desperationis, quando clausus fuerit thalamus; quando Rex fuerit ingressus ad videndos eos, qui accumbunt; quando SINUS PATRIARCHAE sunt accepturi eos, qui iis sunt dignandi: nunc autem nondum. Adhuc enim consistit theatrum, adhuc instat certamen, adhuc pendet Praemium.* Nisi qui ingenio sit hebeti, heic non videat, tempus mortis Christianis esse tempus Retributionis, sive ad Poenas, sive ad Praemia. *Thalamus* Nuptias significat, ad quas prudentes Virgines in Evangelio admittuntur, hoc est Beatitudinem in Caelis. *Ingressus Regis* ad convivium ad videndos discumbentes, innuit Supplicia inrogata homini nuptiali veste carenti. Ergo & ingressus in *Sinum Abrahae* non aliud indicat, nisi Beatitudinem eandem. Dum vivimus, certaminis tempus est, non Praemii. Ex quo vivere heic Justi desinunt, non amplius pendet Praemium, sed acquiritur. Ut paucis omnia concludam, ubicumque Chrysostomus de *Sinu Abrahae* de *sacro Vestibulo* loquitur, ita loca illa describit, ut nihil aliud nisi Beatitatis domicilium per eas voces intelligere cogamur. Atque heic addere juvat, *Sanctum Asterium* Amasenum Episcopum eisdem, quibus Chrysostomus, floruisse temporibus. Is vero Homilia in Divitem & Lazarum, a Combefisio edita, auctor est, *Sinus Abrahae* vocabulo non significari locum quemdam peculiarem, sed quidem gaudium beati Abrahae suscipientis Justos in Gloria, sive in Regno Caelorum. Nam & in altera Homilia adversus Avaros, Divitis ejusdem ac Lazari exemplum repetens, ait: *Byssus computruit, Regnum ad alium transivit.* Idem praeterea in Oratione de Sanctis Martyribus, eos laudat, uti *praeclare mortis titulo immortales effectos; vitae contemtu, perpetuo viventes, quippe sanguine suo Regnum sibi emerunt*, & omnes, infra ait, *in Angelorum collegium cooptatos*, quorum Gloria in Resurrectione omnibus apparebit.

Atque his visis, quid est, quaeso, quod Burnetus Sanctum Joannem Chrysostomum nobis obtrudit, veluti ab asserenda ineffabili Sanctorum Beatitate, antequam Corpora resurgant, alienum? Habemus sanctissimum Antistitem pleno ore in ejusmodi somnia & deliria insurgentem, & cum Catholicorum sententia plane concordem. Imponit ergo sibi (vellet & aliis) Novator Britannus, dum in eximii illius viri Libris mentionem offendens *Sinus Abrahae*, aut *sacri Vestibuli*, hisce tantum vocibus insistit, & nihil pensi habens, quid per illas signi-

significetur, inania ſua meditamenta ab iis confirmatum iri confidit. Quid ſit *Abrahae Sinus*, jam vidimus, nihil nempe a Regno Caelorum diverſum. Et quum *ſacrum* illud *Veſtibulum* alio nomine *Sinum* ipſum deſignet, quodnam ſomniis ſuis ſuffragium inde Burnetus exſculpat? In Templo Hieroſolymitano *Veſtibulum* intima pars illius fuit: Sancta Sanctorum in conſpectu illius erant: Sacerdotes *inter Veſtibulum & Altare* rem divinam faciebant, ut habetur Joelis Cap. II. 17. Porro ad inſtar hujus Templi figuratam novimus a divinis Literis Caeleſtem Regiam in beata Hieruſalem, quae in Caelis eſt. Ibi quoque *Veſtibulum*, ibi *Altare*, utraque praeſentia Dei & Agni glorificata. *Eſt Altare in Caelis (illuc enim preces noſtrae & oblationes diriguntur) & Templum, quemadmodum Joannes in Apocalypſi ait:* verba ſunt Sancti Irenaei Lib. IV. Cap. 34. ſeu 18. Ac propterea in divinis Myſteriis antiquiſſima Liturgia Romanae Eccleſiae rogat, ut vota preceſque Fidelium *in ſublime Altare tuum* deferantur. Idem habetur in Liturgia, quae Sancto Marco tribuitur. Sed & Chryſoſtomus ipſe ſatis alibi innuit, non aliud ſibi eſſe *ſacrum Veſtibulum*, quam *Regnum Caelorum*. Haec nimirum ſcribit Homil. XIX. in Cap. V. Matthaei. *Quomodo igitur, reſponde quaeſo, videbimus REGNUM FUTURUM? quomodo SACRUM illud MEREBIMUR ADIRE VESTIBULUM, qui ne Publicanis quidem ipſis invenimur meliores?* Ibi vero de Caeleſti Beatitudine agit vir ſanctus, *Praemia bonorum* enumerans, *ut eſt, Deum Videre, Regnum Accipere Caelorum, & In Dei Filios Adoptari, & Deo Similes Fieri &c.* Hoc idem antea tradiderat Homil. XV. verba Redemtoris interpretans: *Quoniam merces veſtra copioſa eſt in Caelis.* Inquit enim: *Tu vero, etſi per ſingulas Beatitudines Regnum audias repromitti, nequaquam moerore turberis. Etſi enim Retributiones ipſas differenter appellat, tamen profecto cunctas ad unum Caelorum Regnum adducit. Quando enim dicit: Et Lugentes conſolabuntur, & Miſericordes miſericordiam conſequentur &c. nihil omnino aliud niſi Caeleſte Regnum per haec cuncta deſignat.* Vidimus etiam Cap. XV. Burnetum loco illo abuti, ubi Chryſoſtomus ait, *Abraham & Paulum* adhuc *enſpectare mercedem.* Non aliud, quam Reſurrectionis Carnis, & Beatitatem numeris omnibus abſolutam, in poſtremo Judicio electis conferendam, verbis iis ſignificari jam monuimus. Sed numquid interea Apoſtoli Pauli Anima ſecundum Chryſoſtomum in Caelis Beatitate caret? Gerrae ac nugae. Quae multa hactenus ex eodem Chryſoſtomo produximus, Burneto os obſtruere poſſunt. Praeſtat tamen

men novis idem confirmare documentis. Sermone IV. in Cap. I. ad Philippenſ. Pauli verba, *Diſſolvi multo magis melius, & quid eligam, ignoro*, hiſce admirandus ille Orator excipit: *Quid ais? Quum hinc abiens AD CAELUM SIS MIGRATURUS, & CUM CHRISTO FUTURUS: ignoras, quid eligas?* En quo ſtatim a morte abitura erat Anima Pauli, & quocum futura. Quicunque ſapit, Beatitudinem heic intelligit: idque in praecedenti Sermone III. Chryſoſtomus ipſe, aperte ſuam mentem prodens, ſcripſerat, eundem Apoſtoli locum ſua oratione verſans & inquiens, ideo lucrum putari a Paulo mortem, *quoniam major mihi notitia Chriſti erit, & familiarius cum ipſo verſabor.* Proinde hinc deducit, lugendum eſſe Peccatorum obitum, non vero Juſtorum. *Nam illi quidem etiam dum vivunt, mortui ſunt. Hi vero etiam quum mortui fuerint, vivunt. Illi etiam dum heic ſunt, omnium elicere miſericordiam debent, quoniam Deum offendunt. Hi vero illuc tranſlati, Beati ſunt, quoniam ad Chriſtum profecti ſunt. Peccatores, ubi ſunt, procul a Rege ſunt: propterea lacrymis digni. JUSTI autem ſive heic, ſive IBI, CUM REGE SUNT: atque ibi quidem multo magis ac PROPIUS, non quaſi quodam interjecto Veſtibulo, non per fidem, ſed FACIE, inquit, AD FACIEM.* Itaque non exſpectat, ſed jam aſſequutus eſt Beatitudinem Paulus; neque is tantum, ſed & ceteri Juſti, quibus nihil in altera Vita expurgandum reſtavit. Nam & hoc Chryſoſtomus non ſemel agnovit, dum preces & oblationes pro defunctis faciendas ſuaſit. Subinde vero mirantem ſe exhibet divinus Orator, quare Paulus dubius ſit in eligenda morte, per quam tranſiturus erat ad vitam longe meliorem. *Ecquis*, ait, *mercator navi vectus, innumerabilium theſaurorum plena, ſi liceat ſubire portum & requieſcere: mari adhuc jactari malit? Ecquis athleta, quum liceat Corona potiri, adhuc certare poſtulet? Ecquis dux, qui a bello cum gloria & trophaeis liberari queat, & cum Rege in Regia quietus degere, ac deliciari: adhuc & ſudare praeoptet, & in aciem prodire?* Oſtendit Chryſoſtomus, recuſaſſe quidem Paulum apud Chriſtum eſſe, ut plures adhuc Animas Chriſto conquireret. Tu interim vide, quid ſit *Portum ſubire;* quid *Corona potiri;* quid *cum Rege in Regia degere.*

Scripſit etiam Paulus in Secunda ad Timoth. IV. *6. Ego jam delibor, & tempus reſolutionis meae inſtat. Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo REPOSITA EST MIHI CORONA JUSTITIAE, quam reddet mihi Dominus IN ILLA DIE juſtus Judex. Non ſolum autem mihi, ſed & iis, qui dili-*

*gunt Adventum ejus*. Quandonam tam glorioſo Athletae reddenda eſt *Corona* iſta *juſtitiae?* Mox ut Anima e Corpore abierit, inquit Chryſoſtomus Homil. IX. in Secund. ad Timoth. Cap. 4. nam *in illa Die* reſpicit diem *Reſolutionis:* quod & Theophylactus cenſuit Enarrat. in Cap. I. ad Philippenſes. Neque tanta Felicitas uni Paulo reſervata. Ejus quoque participes erunt, quum e vita exceſſerint, Juſti ceteri, *qui diligunt adventum* Chriſti. Et qualis hic *adventus?* Non poſtremum, ſed primum indicari his verbis Chryſoſtomus ſcribit Homil. LXVI. in Cap. XIX. Matthaei. Quamobrem in praelaudata Homil. IX. Paulum loquentem inducit: *Non ergo dolendum eſt, quod proficiſcor percepturus Coronam, quam imponat capiti meo Dominus Jeſus Chriſtus. Non ſolum autem mihi, ſed & omnibus, qui diligunt adventum ejus. Ex his*, ſubdit ſanctus Interpres, *item illum erigit verbis: nam ſi omnibus, multo magis Timotheo. Non ait, & tibi, ſed, omnibus: multo magis & tibi.* Tum explicat, quid ſignificet diligere adventum Chriſti, & praeter alia hoc ait: *Qui illius adventum diligit, omnia faciet, ut ANTE UNIVERSALEM illum SINGULARIS fiat ad eum QUIDAM SALVATORIS ADVENTUS.* Viden', ut non ſolemnem tantummodo Adventum Domini in fine Mundi Chryſoſtomus admittat, ſed alios etiam ſingulares, nobiſque ignotos, in morte videlicet noſtra, ut ſupra & ego monui? Vellem praeterea, Burnetus animadvertiſſet (ſaltem aequus Lector animadvertat) quae idem Chryſoſtomus Homil. V. ad Popul. Antiochen. ſermocinatur. Saepe is contra terrorem mortis auditores ſuos armat, idque ſemper facit, ibique praeſertim, ſpe vicinae Felicitatis, inquiens: *Quid enim grave mors habet, dic mihi? Num quod te CELERIUS AD tranquillum PORTUM, & pacatam illam TRANSMITTIT VITAM? Tot exſpectans BONA, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt: ad fruendum differs & negligis & torpes?* At ille adulabatur, ideſt mentiebatur: fortaſſis & heic Burnetus repoſuiſſet. Sed ſi quis hiſce armis adverſus Chryſoſtomi auctoritatem uteretur, peto ego, num dignus in poſterum foret, qui Britannicae gentis magiſterium aſſumeret? Et Religionem, & Libros, & meditationem quamlibet abjiciamus oportet, ſi Sanctorum calumniatorem, ſi Pyrrhoniſtam audire volumus, eique fidem adhibere. Ego haec amatoribus tantum veritatis, juſtiſque rerum judicibus propoſita volo. Pergit deinde Chryſoſtomus dicere in eadem Homilia: *Paulus vero propter praeſentem gemebat vitam, & Romanis ſcribens Capite octavo dicebat, quod creatura congemiſcit, &*

*nos*

*nos ipſi ſpiritus primitias habentes gemimus. Et haec dicebat, non condemnans praeſentia, ſed futura deſiderans. Guſtavi, inquit, gratiam, & non fero Dilationem. Aſcendi in tertium Caelum: vidi Gloriam illam ineffabilem: vidi Aulas ſplendidas: didici, quibus heic immoratus Bonis caream; propterea gemo. Dic etenim mihi: ſi quis te in Regias duxiſſet aulas, & de parietibus aurum undique fulgens, & omnem alium ornatum tibi demonſtraſſet: poſtea te inde in Pauperis cellam induxiſſet; & Poſt Breve Tempus in Regias reducturum illas, & Perennem ibi Manſionem ſe tibi Daturum Promiſiſſet: numquid non deberes affici deſiderio, & vel ipſos paucos dies aegre ferre?* Ergo *poſt breve tempus* tum Paulo, tum ceteris Deo in juſtitia fideliter militantibus, *Regia Caeleſtis* conceditur; & nihilominus a beatiſſima illa ſede Paulum adhuc excluſum dictitat, & Chryſoſtomum teſtem Burnetus appellat. Ad haec Apoſtolus in Secunda ad Timoth. I. 12. ait: *Scio, cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt, Depoſitum meum ſervare in illum diem juſtus Judex.* Burnetus pag. 40. *Depoſitum* ſudies. Quod etiamſi accipiamus, nihil nobis officiat; nam ἀφῦαι εἶναι *eſſe*, nobis *Beatitudinem* ſonat, idque tot loca Patrum hactenus congeſta evincunt. Verum ne, quaeſo, Burnetus ſibi aduletur, veluti ſumens certam ejuſmodi interpretationem. Norunt enim Eruditi, alia ſignificare *Depoſitum* illud apud veteres & recentiores divinorum Librorum Interpretes. Chryſoſtomo praeſertim *Fides* & *Praedicatio* per illud vocabulum deſignari creditur. Ad haec idem ſanctus Doctor Homil. XVI. in Cap. IX. ad Roman. Apoſtoli verba explicans, cupientis *Anathema eſſe a Chriſto* pro fratribus, ait: *Ac ſi diceret, vel ſi liceret, vellem ab eo Choro ſeparari atque alienari, qui Chriſtum circumdat, non ab ipſius amore &c. Sed & illa Fruitione & Gloria privari ſuſtinuerim, ut ne Dominus meus convicio afficiatur.* Infra addit: *Quomodo Anathema ſe ipſum a Chriſto eſſe precaretur? Mors enim ejuſmodi illum magis Choro conjungebat, cooptabatque, qui Chriſtum circumdat; tum efficiebat, ut Gloria illa perfrueretur.*

Sunt & alia Chryſoſtomi loca, quae in praecedentibus Capitibus protuli. Superſunt & alia complura, quae, ne nimius ſim, dimitto. Nam quid ultra moror? quando is in Homilia de Sancto Philogonio, quid ipſe crederet, quid etiam nobis credendum ſit, luculentiſſime propoſuit. Lectorem non taedeat accipere, quae in hanc rem is longo ſermone perſequutus eſt. *Maximopere*, inquit, *gratulor hujus Sancti felicitati, quod, quamquam translatus eſt, atque hanc,*

*quae apud nos est, Civitatem reliquit: tamen in alteram transiit Civitatem, nempe Dei, ac digressus ab hac Ecclesia, ad illam pervenit, quae est Primogenitorum descriptorum in Caelis; & relictis hisce festis transiit ad celebritatem Angelorum. Etenim quod & superne sit Civitas, Ecclesia, ac Celebritas, audi Paulum dicentem* (Hebr. XII. 22.) *Accessistis ad Civitatem Dei viventis, ad Hierusalem Caelestem, & Ecclesiam Primogenitorum descriptorum in Caelis, & ad innumerabilem Angelorum frequentiam.* Cur vero Apostolus *Panegyrim*, sive *frequentiam*, beatissimum illum locum appellarit, hisce aliis verbis explicat. *Non solum autem ob multitudinem Virtutum Caelestium, verum etiam ob abundantiam Bonorum, ac juge Gaudium & Laetitiam, Panegyrim, hoc est totius multitudinis Coetum appellat totam illam Vitam.* Petisne, an praeter Angelos tanta ibi felicitate fruantur Animae quoque Justorum? respondet Chrysostomus: *Spiritus Justorum perfectorum* (eorum scilicet, quibus nihil restat luendum & purgandum in altera Vita) *Animarum virtutes, vitaeque festa facta, per omnes Caelos vivunt, quovis auro pretiosiores; tum brabia, certaminum Praemia, aliaque innumera Bona, reposita iis, qui recte fecerint.* Quod si cupis rescire, quos complectatur beatus ille Coetus, quid Chrysostomus subdat, accipito. *Ad haec*, ait, *ibi est multitudo congregatorum, longe tum copiosior, tum honoratior. Neque enim constat ex viris urbanis indigenisque; sed illic sunt Angelorum infinita millia; illic sodalitia Prophetarum; alibi Martyrum chori; Apostolorum ordines; cunei Justorum; omniumque, qui fortiter rem gesserunt, varii Coetus.* At nihil hactenus, inquias, Sanctus Orator de Visione beatifica dixit, quam Ecclesia Catholica Fideles suos sperare jubet. Neque hoc ille omisit: pergit enim dicere: *Jamque id sane majus est omnibus, quod in media Frequentia* (sive Coetu) *versatur horum omnium Rex. Etenim ubi dixisset, ad innumerabilium Angelorum Frequentiam, subjecit: Et ad Judicem universorum Deum. Quis unquam vidit in Panegyrim prodeuntem Regem? Heic quidem nemo vidit. ILLIC autem QUI ADSUNT, PERPETUO VIDENT, quatenus ILLUM Videre licet, NON SOLUM PRAESENTEM, VERUM ETIAM SUAE GLORIAE SPLENDORE CONDECORANTEM UNIVERSUM COETUM.* De felicitate perpetua beatae illius Civitatis alia is addit, & narrationem hisce concludit: *Ad hanc Beatam Requiem transiit Beatus Philogonius*, Episcopus Antiochenus, nimirum circiter Annum Christi CCCXXI. ad Caelestem Patriam a Deo accitus. Cuinam ergo post tantam lucem

cem ſperet in poſterum Burnetus ſe perſuaſurum, tamdiu in ſua ſomnia inclinaſſe eximium Eccleſiae Catholicae Doctorem Chryſoſtomum? Jam vidimus, jam tenemus ipſum cum Catholicis in quaeſtione iſta concordem. Quare ad ea, quae reſtant, progrediamur.

## CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

*Fruſtra Sancti Auguſtini auctoritatem ad ſuae opinionis patrocinium Burnetus contorquet. Diſſolutae objectiones ex ipſo petitae. Compluribus ejus locis Romanae Eccleſiae doctrina de Beatitudine Sanctorum ſolidata atque illuſtrata.*

*Sancti* quoque *Auguſtini* auctoritatem in medium profert Burnetus. Si illi fides pag. 71. Sanctus Doctor *communiter Piorum omnium Animas (ſaltem ſi Martyres excipias) extra Caelum, & extra Gloriam, in ſecretis receptaculis detinet uſque ad Reſurrectionem & Diem Judicii; ut ex his infra locis, ſi per otium conſulas & conferas, manifeſto patebit. Expoſ. in Pſalm. XXXVI. verſ. 10. ad illa verba: Adhuc puſillum &c. Enchirid. ad Laurent. Cap. 118. Geneſ. ad literam Lib. XII. Cap. 35. De Civitat. Dei Lib. XII. Cap. 9. Retractation. Lib. I. Cap. 14. Confeſſion. Lib. IX. Cap. 3.* Ita Britannus Scriptor, ſe onere levans producendi verba Auguſtini. Producam ego; neque committam, ut in me Lector ſinceritatem deſideret, quam in Burneto optaſſem. Nam etſi fatear, Auguſtinum in praeſenti quaeſtione jejunum interdum, circumſpectumque non leviter fuiſſe, immo diu fluctuaſſe; nihil tamen ille poſuit, quo ſententia Catholicae Eccleſiae quicquam labefactetur; immo multa habet, unde eadem confirmetur. Sunt ejus verba Enarrat. in Pſalm. XXXVI. Serm. I. v. 10. *Ergo longe ſit Dies Judicii, quando erit retributio Injuſtorum & Juſtorum. Tuus certe dies ultimus longe abeſſe non poteſt.* In Enchiridii Cap. 118. ait: *Haec ſunt vertia bona ſpei hominis: in quibus ſi pia perſeverantia quiſque proficiat, poſtrema pax reſtat, quae poſt hanc vitam in Requie Spiritus, deinde etiam in Reſurrectione Carnis implebitur.* Poterat Burnetus addere, quae ſanctus Doctor fuerat praefatus Cap. 109. ejuſdem Enchiridii, videlicet: *Tempus autem, quod inter hominis mortem, & ultimam Reſurrectionem interpoſitum eſt, Animas abditis rece-*

*receptaculis continet, ſicut unaquaeque digna eſt vel Requie, vel Aerumna, pro eo quod ſortita eſt in Carne, quum viveret.* Praeterea Lib. XII. Cap. 35. de Geneſi ad literam ſcribit: *Quid opus eſt Spiritibus Corpora ſua in Reſurrectione recipere, ſi poteſt iis etiam ſine Corporibus ſumma illa Beatitudo praeberi?* Tum Lib. XII. Cap. 9. de Civitate Dei in haec verba loquitur: *Cujus pars, quae conjungenda immortalibus Angelis ex mortalibus hominibus congregatur, & nunc mortaliter peregrinatur in terra; vel in eis, qui morte obierunt, ſecretis Animarum receptaculis, ſedibuſque Requieſcit.* Quae ex Lib. I. Cap. 14. Retractationum Auguſtini deducenda monet Burnetus, omnium quoque oculis exhibeo. De ſupremae Beatitudinis loco agit ibi ſanctus Epiſcopus. *Et Angeli quidem ſancti*, ait, *quod ibi ſint, nulla quaeſtio eſt: ſed de ſanctis hominibus, utrum ipſi ſaltem dicendi ſint, jam in illa poſſeſſione conſiſtere, merito quaeritur. Jam enim Corpore quidem corruptibili, quo Anima aggravatur, exuti ſunt: ſed adhuc exſpectant etiam ipſi Redemtionem Corporis ſui, & Caro eorum requieſcit in ſpe; nondum in futura incorruptione clareſcit.* Denique Lib. IX. Cap. 3. Confeſſionum, de Nebridio ad plures jam profecto cum Deo colloquens, haec habet: *Quem non multo poſt converſionem noſtram Carne ſolviſti; & nunc ille vivit in Sinu Abraham. Quidquid illud eſt, quod illo ſignificatur Sinu, ibi Nebridius meus vivit, dulcis amicus meus, tuus autem, Domine, adoptivus ex liberto filius.* Haec ex Auguſtino Burnetus. Poterat & alia id genus ex magni illius viri Libris excerpere. Sed quid demum ex iis confeciſſet, non video. Homini huic quidquid ſublucet, gemma eſt: ſed penitius intueri opus eſt, ne pro gemma cryſtallum quandoque ſumatur. Itaque curae mihi erit, ut, quae revera fuerint Sancti Auguſtini placita in ejuſmodi quaeſtione, palam fiant.

Et primo, ſi quicquam in ejus Libris occurrat, unde videatur Sanctus Epiſcopus ad Reſurrectionem uſque differre Juſtorum atque Injuſtorum Retributionem: velim, ſemper meminerit Lector, olim ipſum opinioni Millenarii Regni adhaeſiſſe. Nos hac de re ille monuit candore ſibi familiari Lib. XX. Cap. 7. de Civitate Dei, uti ſupra vidimus Cap. V. Quare nil mirum foret, ſi aliquid ei exciderit, opinioni huic conforme, quam poſtea ipſemet ejuravit atque impugnavit. Non recedat hoc, inquam, velim e Lectoris memoria. Secundo, Auguſtinus ea ſaltem principia ſtatuit, unde per juſta conſectaria ſequatur Catholicorum ſententia. Videlicet ille, praeter ſolemne atque univerſale Judicium in fine Mundi a Filio Dei habendum,

dum, agnoſcit etiam ſingularia illa & occulta Judicia, in ſingulorum morte ab ipſo Chriſto habita, per quae aut Praemium, aut Poena Animarum hinc abeuntium decernitur. Hoc idem, uti ſupra Cap. VI. animadvertimus, tradidere pariter Hieronymus & Joannes Chryſoſtomus. En Auguſtini verba Lib. II. Cap. IV. de Anima & ejus origine. *Nam illud, quod Rectiſſime & valde ſalubriter Vincentius Victor credit, Judicari Animas, quum de Corporibus exierint, antequam veniant ad illud Judicium, quo eas oportet jam redditis Corporibus Judicari, atque in ipſa, in qua heic vixerunt, Carne torqueri ſive gloriari: hoc ita ne tamdem ipſe neſciebas? Quis adverſus Evangelium tanta obſtinatione mentis obſurdit, ut in illo Paupere, qui poſt mortem oblatus eſt in Sinum Abrahae, & in illo Divite, cujus in Inferno cruciatus exponitur, iſta non audiat, vel audita non credat?* Fieri non poſſe Burnetus cenſet, ut quiſquam puniatur, aut praemio donetur, niſi Judicium praeceſſerit: hoc autem ille ſibi fingit tantummodo in conſummatione Saeculi futurum. Burneti falſam opinionem, immo & temeritatem, jamdiu redarguit Auguſtinus, uti evidens in ſacris Literis ſtatuendo, *quum de Corporibus exeunt*, Animas a Deo judicari. Tertio, in ea ſententia ſemper fuit magnus iſte Theologorum dux, homines in peccatis ex luce hac decedentes, in Inferorum poenas & tormenta e veſtigio detrudi. De Divite gloriante Lucae XII. 19. ob fortunarum copiam, cui Deus dixit: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te*, loquitur ſanctus Doctor Sermon. 178. Cap. 3. inquiens: *Tale in quemquam Dei verbum, Judicium eſt. Numquid enim Deus Stultis daturus eſt Regnum Caelorum? Quibus autem non eſt daturus Regnum Caelorum, quid eis reſtat, niſi poena Gehennarum? Conjicere hoc videmur. Aperte hoc Manifeſteque videamus. Nam & ille Dives, qui induebatur purpura & byſſo, mortuus eſt, & ſepultus; & quum apud Inferos in Tormentis eſſet, levavit oculos ſuos &c.* Ita Lib. XX. Cap. I. de Civitate Dei: *Homines plerumque aperte, ſemper occulte, luunt pro ſuis factis divinitus Poenas ſive in hac vita, ſive poſt Mortem.* Rurſus Lib. XII. Cap. 32. de Geneſi ad Liter. ſcribit, Improborum Animas, quum de Corpore exeunt, ferri *ad Loca Poenalia, ad Infernales Poenas.* Idem repetit in Lib. de Vera Religione Cap. 52. & Enarrat. in Pſalm. LVII. num. 17. & Quaeſtion. Evangelic. Lib. II. Quaeſt. 38. ut alia loca praeteream. Qui haec ſtatuit, non ſolum admittit ante ſupremum Adventum Domini Judicium quoddam peculiare Animarum in morte hominum, ſed etiam urgere nimium deinceps nequit Apoſtoli

ſtoli locum Secund. ad Corinth. V. 10. ſcribentis: *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria Corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Non poteſt, inquam, urgere verba haec, quaſi ad Reſurrectionis, poſtremique Judicii diem Poena Injuſtorum ſit differenda. Nam aut Pauli verba interpretari opus eſt de occulto tribunali Chriſti, ſive de ſecreto in morte hominum illius Judicio, quemadmodum ea interpretatur idem Sanctus Auguſtinus Enarrat. in Pſalm. XXXVI. Sermon. III. num. 13. aut ſi ad ſupremum Judicium pertinent, indicare duntaxat poſſunt, coram omnibus tunc *Revelandam* fore damnationem & Poenas, in quas antea Injuſti incurrerant; ſive Poenas haſce non tunc inchoandas, ſed tantummodo augendas atque complendas; aut denique de unius *Corporis* poena aut gloria tunc inchoanda locum illum eſſe intelligendum. Quod ſi Peccatores, mox ut hinc emigrant, Poenas luunt: neceſſe eſt, ſicuti jam oſtendi Cap. VI. ut viciſſim ad Praemia perveniant Juſtorum Animae, minime exſpectato Corporum ſuorum contubernio. Et quod *de Revelatione* dixi, non temere dixi. Sanctus Petrus in Epiſtol. I. Cap. I. 5. commemorat *Salutem, paratam Revelari in tempore noviſſimo.* Tum Cap. IV. 13. addit: *Gaudete, ut & in Revelatione Gloriae ejus gaudeatis exſultantes.* Profecto non in fine Mundi exordium capiet Gloria Chriſti Redemtoris; ſed quod antea erat, Revelabitur. Sunt & alia vocis hujus exempla in divinis Libris. Propterea de Martyribus Auguſtinus poſtquam Sermon. CCCVI. Pauli verba attulit Roman. VIII. 18. *Non enim condignae ſunt paſſiones ad futuram Gloriam, quae Revelabitur in nobis,* haec ſubnectit: *Sed donec Reveletur, abſcondita eſt. Et quoniam abſcondita eſt, ideo Viſi ſunt oculis inſipientium mori. Sed numquid, quia abſcondita eſt, etiam Deo abſcondita eſt, apud quem pretioſa eſt? Ideo pretioſa eſt in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.* Liceat heic addere, Sanctum quoque *Iſidorum Peluſiotam*, celebrem inter Graecos Patres, & iiſdem, quibus Auguſtinus, temporibus inter mortales verſatum, Lib. IV. Epiſtol. 63. animadvertiſſe, non fruſtra *Revelari* adhibitum fuiſſe ab Apoſtolo Roman. VIII. 18. quum ait: *Exiſtimo, quod non ſunt condignae paſſiones hujus temporis ad futuram Gloriam, quae Revelabitur in nobis.* En Iſidori verba: *Non ſine cauſſa vero dixit, quae Revelabitur; videlicet ut oſtenderet, Eſſe quidem eam Gloriam Nunc quoque, ſed Occultari, dum exſpectat victorum ac triumphatorum labores.* Quarto, uti vides, ineffabili Beatitudine Martyres donatos poſt mortem Auguſtinus ſemper cenſuit: quod

etiam

etiam tot teſtimoniis ſupra congeſtis oſtendimus creditum ſemper fuiſſe in Eccleſia Dei. Proinde is Sermon. CCLXXX. ait: *Reſolutae hic vinculis Animae Martyrum poſt labores periculoſi certaminis, Thriumphis Angelicis exceptae atque refectae ſunt, ubi non eis dicitur: Implete, quod juſſi; ſed, Accipite, quod promiſi. Qua nunc jocunditate ſpiritaliter epulantur! Quam ſecuri in Domino, & quam ſublimi Honore gloriantur, quis terreno docere poſſit exemplo?* Ita Sermon. CCLXXIII. *Illi acceperunt pro temporali ſalute Aeternam Coronam, ſine fine Immortalitatem.* Tum Sermon. CCXCVIII. Paulum inducit cupientem *Diſſolvi & eſſe cum Chriſto*, tum addit: *Gratulabatur, quod iſta vincula eſſent aliquando ſolvenda. Solvenda vincula carnalium membrorum, accipienda indumenta & ornamenta aeternarum virtutum. Securus ponebat Carnem, Coronam accepturus. Felix mutatio, ſancta migratio. Quam beata Manſio! Fides eam videt, nondum oculus: quia nec oculus vidit, nec auris audivit &c. Tempus, inquit, reſolutionis meae inſtat. Bonum certamen certavi &c. de cetero ſupereſt mihi Corona juſtitiae. Merito feſtinas, merito te immolandum eſſe laetaris: ſupereſt enim tibi Corona Juſtitiae.* Paria quoque profert Sermone CCCXXXI. inquiens de Martyribus: *Quia Chriſtum non negaverunt, tranſierunt de hoc Mundo ad Patrem. Quaeſierunt Chriſtum confitendo: tenuerunt moriendo. Magno itaque lucro perdiderunt animas ſuas, foenum perdentes, Coronam promerentes. Coronam, inquam, promerentes, & Vitam ſine fine tenentes.*

Certum quoque putabatur in Eccleſia Dei, Martyrum beatas Animas ad videndum Deum conſcendere. Neque id praetermiſit Auguſtinus. Sunt ejus verba in Sermon. CCCIII. de Sancto Laurentio Martyre: *Clauduntur oculi in perſequutionibus, ſed patet Caelum. Mors infertur, ſed Immortalitas ſequitur. Occiſo Mundus eripitur, ſed reſtituto Paradiſus exhibetur.* (quid heic Auguſtino ſit *Paradiſus*, animadverte). *Vita temporalis extinguitur, ſed Aeterna reparatur. Quanta eſt dignitas, & quanta ſecuritas exire hinc laetum, exire inter preſſuras & anguſtias glorioſum; claudere in momento oculos, quibus Homines Videbantur & Mundus; aperire eos ſtatim, ut Deus Videatur, etiam feliciter migrando. Quanta velocitas? Terris repente retraheris, ut Regnis Caeleſtibus reponaris?* Si poſt praefulgidum hunc locum de Martyrum Beatitate alia adtexerem e Sancti Auguſtini Libris excerpta (quod nullo labore praeſtare poſſem) chartam inutili merce onerare mihi viderer. Quid? quod & ipſe Burnetus diffiteri auſus non eſt, quin Auguſtinus agnoverit conlatam ſtatim a morte

Beatitudinem fortiſſimis illis Chriſti Athletis, eorumque Animas in Regnum Caelorum illico convolaſſe. At hoc poſito, quiſquis argumentandi leges novit, videre ac fateri cogitur, non ita interpretanda eſſe quaedam Scripturarum loca, quaſi ante ſupremum diem Domini, ſive ante Judicium univerſale, nulla ſit Juſtorum & Injuſtorum Retributio. Nunc etiam ipſis a Deo aut Praemium confertur, aut Poena inrogatur; ſed nobis haec Retributio ignota atque occulta eſt. In conſummatione Saeculi coram omnibus juſtum Dei Judicium, factum in morte hominum, *Revelabitur*, & ſolemni perpetuaque ſententia a Chriſto confirmabitur. Quod ſi de Martyribus hoc factum credis, de ceteris vero Juſtis dubitas: hanc etiam tibi dubitationem Auguſtinus evellet. Is enim cum aliis Sanctis, quos ſupra eduximus, plane concors, Martyrii dignitatem & meritum, quanquam inferioris gradus, in iis quoque agnovit, qui Deo fideliter famulantes Mundum vincunt, atque in pace Eccleſiae moriuntur. Vide illum Sermon. IV. *Semper*, inquit, *Coronaberis*, *& Martyr hinc exies*, *ſi omnes tentationes Diaboli ſuperaveris*. Idem repetit in Sermon. CCLXXXVI. itidem in CCCXXVI. atque, ut alia loca omittam, hoc in primis ab eo depraedicatum habes in Sermon. CCCIV. alias 37. de Diverſ. *Chriſtum*, ait, *ſequuti ſunt Martyres ſancti*, *uſque ad effuſionem cruoris*; *ſequuti ſunt*, *ſed non Soli*. *Non enim*, *poſtquam illi tranſierunt*, *pons inciſus eſt*; *aut poſtquam ipſi biberunt*, *fons ipſe ſiccatus eſt*. *Quae enim ſpes Fidelium bonorum*, *qui vel ſub foedere conjugali jugum Matrimonii caſte & concorditer ducunt*; *vel ſub continentia Viduali domant carnis illecebras*; *vel etiam ſanctitatis apicem celſius erigentes*, *& in nova Virginitate florentes*, *ſequuntur Agnum*, *quocumque ierit? Quae iſtis*, *inquam*, *quae omnibus ſpes eſt*, *ſi non ſequuntur Chriſtum*, *niſi qui pro ipſo ſanguinem fundunt? Perditura eſt ergo filios ſuos*, *quos tanto foecundius*, *quanto ſecurius*, *tempore pacis enixa eſt mater Eccleſia? Abſit. Habet*, *habet*, *fratres*, *habet hortus ille Dominicus non ſolum Roſas Martyrum*, *ſed & Lilia Virginum*, *& Conjugatorum Hederas*, *Violaſque Viduarum* &c. Quod ſi das, Martyrum Animas in Caeleſtem Beatitudinem jam raptas, idque negas Confeſſorum, Virginum, & reliquorum Juſtorum Animabus, quamvis in hac vita aut poſt mortem purgatis (nam & Auguſtinus quoque purgationem Animarum in altera vita agnovit) dic, quaeſo, quid obſtet, quominus aeque ac Martyres iſti recipiantur in Caelum? Si iis, qui Chriſtum confitentur coram Hominibus, aeterna Vita ac Viſio beatifica Dei promiſſa fuit: nonne Dominus, ſi

non

non paris ponderis, certe ejuſdem generis Gloriam & Beatitatem pollicitus fuit Pauperibus ſpiritu, Mitibus & Mundis corde? Fortaſſis inſtas, & ais: Victoribus iis, & tanta pro Deo perpeſſis, Corona ſtatim confertur. Ceteris quoque dabitur, ſed non tam cito. Exſpectent interea in loco quietis, in Requie, in Somno, dum ſonet ultima tuba: tunc & ipſi in Reſurrectionem vitae, in immenſam Gloriam tranſibunt. At ego tibi reponam, quae Auguſtinus differebat Sermon. CCXCIV. Cap. 6. adverſus Pelagianos, Vitam quidem aeternam parvulis non baptizatis perperam concedentes, Regnum vero Caelorum incongrua opinione negantes: *Quid offendit Juſtus, dic mihi, ut non intret in Regnum Caelorum, ut ſeparetur a ſorte Sanctorum, ut ſit exſul a ſocietate Angelorum? Videris enim tibi miſericors, quia non ei aufers Vitam: damnas tamen, quem ſeparas a Regno Caelorum. Damnas: non eum percutis, ſed in exilium mittis. Nam & qui exſulant, vivunt; ſi ſani ſunt, in doloribus corporis non ſunt; non torquentur, non carceris tenebris affliguntur. Haec illis ſola poena eſt, non eſſe in Patria. Si amatur Patria, magna Poena. Si autem non amatur, pejor eſt cordis Poena. Parvum malum eſt in hominis corde, qui Societatem non quaerit Sanctorum, qui non deſiderat Regnum Caelorum? Si non deſiderat, poena eſt de perverſitate: ſi autem deſiderat, poena eſt de fraudata caritate. Sed ſi, quod vis, parva ſit poena: & ipſa parva magna eſt, ſi nulla culpa eſt. Haec defende juſtitiam Dei. Quare vel parva poena infligitur innocenti, aut in quo nullus amplius invenitur reatus?* Quam vellem, haec conſideraſſet Burnetus, antequam Catholicae Eccleſiae ſententiam impugnandam ſibi ſumſiſſet; antequam in exſilium tam diuturnum, tamque incerti temporis, detruſiſſet Sanctos, & Juſtos, quotquot ab exordio Mundi ad noſtra uſque tempora Religio ſancta peperit. Sed quod ille infelicis gloriolae cupiditate ſeductus contemſit, alii Chriſti Fideles diligentius conſiderent, neque a Novatore ſucum ſibi fieri patiantur.

Repetamus nunc, quae ex ipſo Auguſtino nobis objecit idem Burnetus. Si is in Enarrat. in Pſalm. XXXVI. *diem Judicii* commemorat, *quando erit Retributio Injuſtorum & Juſtorum*, haec ideo ſanctus Doctor, non ſecus ac alii Sancti Patres, dicit, quia tunc Juſtis & Injuſtis plene retribuetur: & tunc ſolum integro homini Praemium aut Poena ſolemni Judicio Chriſti Domini decernetur. Interim tamen Animae aut plectuntur in Inferis, aut gaudent cum Chriſto in Caelis. In eadem ipſa Enarratione Sermon. II. Divitis Evan-

gelici Animam Auguſtinus ſtatuit in *Gehennae ignibus*. Tum tribulatis animos addit, quia *brevis eſt labor, brevis temporalis tribulatio tua: qua finita venies ad Felicitatem infinitam. Pauci dies ſunt tota vita hominis: quo labore tranſacto, veniet Regnum Aeternum, veniet ſine fine Felicitas.* Immo & eodem in loco, ubi *diem Judicii* nobis in mentem revocat, ait Animas Juſtorum poſt depoſitam Corporis ſarcinam tranſire ſtatim in *Requiem* & *ſinum Abrahae:* de quo infra ſermo nobis futurus eſt. Interim habe, in eodem Opere fateri Auguſtinum, praeſentem Sanctorum jam vita functorum Beatitudinem in Caeleſti Hieruſalem. Nam Enarration. in Pſalm. CXIX. ad ea verba: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt*, haec ſcribit: *Incolatus peregrinatio eſt. Incola dicitur, qui habitat in terra aliena, non in Civitate ſua. Fratres mei, quum peregrinatur homo, inter meliores vivit, quam in Patria ſua forte viveret. Sed non ſic eſt, quando de illa Hieruſalem Caeleſti peregrinamur &c. Non ſic eſt Patria ILLA HIERUSALEM, UBI OMNES BONI. Quicumque inde peregrinatur, inter Malos eſt; nec recedere a Malis poteſt, niſi quum redierit ad Societatem Angelorum, ut ibi ſit, unde peregrinatur. IBI OMNES JUSTI ET SANCTI, qui FRUUNTUR VERBO DEI ſine lectione, ſine literis. Quod enim nobis per paginas ſcriptum eſt, PER FACIEM DEI ILLIC CERNUNT.* Quum in Cap. 118. Enchiridii memoratur Auguſtino *poſtrema Pax, quae poſt hanc vitam in Requie Spiritus, deinde in Reſurrectione etiam Carnis implebitur*, neſcio quid exſculpere inde poſſit Burnetus. Immo illic ſub nomine *Pacis*, ſatis ſanctus Doctor Beatitatem Animarum deſignat, eoque magis, quum *Requiem Spiritus* ait; hac enim voce idem ſignificare conſueverunt veteres, & Auguſtinus in primis. Tractatu XXVI. in Joann. num. 16. ad illa verba: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet Vitam Aeternam*, haec adnotat: *Et ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Ut habeat interim ſecundum SPIRITUM VITAM AETERNAM IN REQUIE, QUAE SANCTORUM SPIRITUS SUSCIPIT. Quod autem ad CORPUS, NEC ejus VITA AETERNA FRAUDETUR, ſed IN RESURRECTIONE noviſſimo Die.* Quid ſignificet *Vita Aeterna*, norunt omnes in ſacris Literis periti. Qui ergo dicit heic *Pacem*, & *Requiem in Reſurrectione Carnis impleri*, nihil aliud dicit, niſi Beatitudinem, jam in Anima inchoatam, compleri deinde ac perfici, reſumta & tunc primum beatificata Carne. Dixerat etiam Auguſtinus ibidem Cap. 109. *Animas abditis receptaculis contineri, ſicut unaquaeque digna eſt*

vel

*vel Requie, vel Aerumna.* De *Receptaculis* infra agemus. Interim vides, Animas hinc emigrantes, vel *in Requiem* deferri, vel *in Aerumnam*, hoc eſt ad loca Beatorum, vel ad poenas Inferorum. Eadem repetit Auguſtinus Lib. XII. Cap. 9. de Civitat. Dei, quum ait, *Juſtos, qui mortem obierunt, ſecretis Animarum Receptaculis Sedibuſque Requieſcere. Requieſcere*, quum de Juſtis ex hac vita profectis ſermo eſt, nihil aliud eſſe, niſi Beatitatem Juſtorum, non ſemel ſupra oſtendimus. Hoc in Caelo futurum eſt, non in exſilio. *IBI erit SANCTIFICATIO NOSTRA* plena, *UBI CUM DEO ſine fine REQUIESCEMUS*, inquit idem Auguſtinus Sermon. 251. Capit. 7.

Ad haec e Libro Primo Cap. 14. Retractation. Burnetus, ut ſupra vidimus, quaedam ſancti Doctoris verba in ſuae opinionis patrocinium adferebat. Liceat mihi integrum locum illum producere, ut quae ſit Auguſtini mens, Lector quiſque mecum diligentius exploret. Scripſerat in Lib. de Utilitate credendi, Cap. 3. *Duae ſunt enim perſonae in Religione laudabiles. Una eorum, qui jam invenerunt, quos etiam Beatiſſimos judicari neceſſe eſt. Alia eorum, qui ſtudioſiſſime & rectiſſime inquirunt. Primi ergo ſunt in Poſſeſſione. Alteri in Via, qua tamen certiſſime pervenitur.* Veritus ſanctus vir, ne quis putet, *Beatiſſimum* quemquam a ſe dici in hac vita, haec adnotat: *In his verbis meis, ſi illi, QUI JAM INVENERUNT, quos IN ipſa POSSESSIONE eſſe jam diximus, ſic accipiantur BEATISSIMI, ut non IN hac VITA, ſed in EA, QUAM SPERAMUS, ET AD QUAM per Fidei viam TENDIMUS, ſint: non habet iſte ſenſus errorem. IPSI enim judicandi ſunt quod quaerendum eſt Inveniſſe, qui JAM IBI SUNT, quo nos quaerendo & credendo, ideſt viam Fidei tenendo, cupimus pervenire.* Jam nos tenemus, Auguſtino teſte, negarl non poſſe Beatiſſimum Vitae ſtatum iis, qui poſt hanc Vitam eo pervenerunt, quo nos adhuc per Fidem tendimus. Scribit deinde, tantum Felicitatis nemini mortalium dari in hac vita: *Neque enim, quod ait Apoſtolus, Videmus nunc per ſpeculum in aenigmate; & Nunc ſcio ex parte: non cernitur mente. Cernitur plane, ſed Beatiſſimos nondum facit. Illud autem BEATISSIMOS FACIT, quod ait: TUNC autem FACIE AD FACIEM. Qui hoc invenerunt, ipſi dicendi ſunt IN BEATITUDINIS POSSESSIONE conſiſtere, ad quam ducit via Fidei, & quo credendo cupimus pervenire.* Hactenus haec adverſus Burnetum militant. Quae ſubſequuntur, e praelaudato Lib. I. Cap. 14. Retractationum depromta, ille

pro

pro ſe adſumit: *Sed quinam*, addit Auguſtinus, *ſint illi Beatiſſimi, qui jam ſunt in ea Poſſeſſione, quo ducit haec vita, magna quaeſtio eſt. Et Angeli quidem ſancti quod ibi ſint, nulla quaeſtio eſt. Sed de Sanctis Hominibus jam defunctis, utrum ipſi ſaltem dicendi ſint in illa Poſſeſſione conſiſtere, merito quaeritur. Jam enim Corpore quidem corruptibili, quo Anima aggravatur, exuti ſunt; ſed adhuc expectant etiam ipſi Redemtionem Corporis ſui, & Caro eorum requiſcit in ſpe: nondum enim in futura incorruptione clareſcit. Sed utrum ad contemplandam cordis oculis Veritatem, ſicut dictum eſt, Facie ad Faciem, nihil ex hoc minus habeant, non hic eſt locus diſputandi.* Quid hinc nobis deducendum ſit, Burnetus tacuit. Nunquid enim per haec improbari ab Auguſtino Catholicae Eccleſiae ſententiam? Neutiquam ſane; nam etſi minime in hoc loco affirmat, Sanctos *in Poſſeſſione* eſſe *Beatitudinis* illius, qua procul dubio fruuntur *Angeli*, non negat tamen, quin ibi ſint, aut eſſe poſſint. Ipſemet contra, tam ſaepe Martyres in beata illa ſede poſitos dixit, ut ſi ſecus ſentiret heic, ſibimet ipſi palam contradiceret. Sed quid velit hiſce verbis Auguſtinus, aperiam ego. Alterum ejuſdem ſancti Doctoris locum laudavit Burnetus, veluti ſuae opinioni perutilem, videlicet e Lib. XII. Cap. 35. de Geneſi ad literam, ubi petit, *quid opus ſit Spiritibus Defunctorum Corpora ſua in Reſurrectione recipere, ſi poteſt eis etiam ſine Corporibus ſumma illa Beatitudo praeberi?* Haec, & non plura, Burnetus, inde excerpſit, reliqua Lectorum oculis ſubducenda ratus, ne ſuae cauſſae officerent. Sed quando is in tanti momenti rebus ſinceritate caret, non verum quaerere, ſed Lectorem fallere velle omnino videtur. En integrum Auguſtini locum. Praedixerat, ille, non immerito appellari poſſe *Paradiſum* ſedem, ubi ſunt *Animae Beatorum*, hoc eſt Regnum Caeleſte, in quo Animae beantur. Tum ſubdit: *Sed ſi quem movet, quid opus ſit Spiritibus Defunctorum Corpora ſua in Reſurrectione recipere, ſi poteſt eis etiam ſine Corporibus ſumma illa Beatitudo praeberi, difficilior quidem quaeſtio eſt, quam ut perfecte poſſit hoc ſermone finiri. Sed tamen MINIME DUBITANDUM eſt, raptam HOMINIS a Carnis ſenſibus MENTEM, ET POST MORTEM ipſa Carne depoſita, tranſcenſis etiam ſimilitudinibus corporalium, NON SIC VIDERE POSSE INCOMMUTABILEM SUBSTANTIAM (Dei) UT ſancti ANGELI VIDENT; ſive alia latentiore cauſſa, ſive ideo quia ineſt ei naturalis quidam appetitus Corpus adminiſtrandi: quo appetitu retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud ſummum Caelum,*

quam-

*quamdiu non subest Corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat.* Libros de Geneſi complevit Auguſtinus eodem ferme tempore, quo Retractationes ſcripſit; ac proinde tum heic, tum ibi eandem quaeſtionem propoſuit, atque heic pro ſuo modulo diremit. Scilicet is concedit, Juſtorum Animas, non exſpectata Reſurrectione Corporis, Caeleſti Beatitudine donari: verum non eam plenam abſolutamque arbitratur, qualis demum erit, quum priſtinam ſocietatem cum Carne recipiet. Neque Viſionem Dei Juſtorum Animabus negat; ſed & iſtam ait nondum perfectam eſſe poſſe, neque parem illi, qua nunc Angeli fruuntur, ſed tum futuram, *quum Anima hoc Corpus, jam non animale, ſed per futuram commutationem ſpiritale, receperit, Angelis coaequata, Perfectum habebit naturae ſuae modum, obediens & imperans, vivificata & vivificans, tam ineffabili facilitate, ut ſit ei Gloriae, quod ſarcinae fuit.* Itaque non ſolum nihil ex hoc loco laeditur, ſed inde roboratur Catholicae Eccleſiae dogma, quae lubens agnoſcit, augendam Animae Beatitatem in Caelis, quum glorificata etiam Caro in illius conſortium redibit. Auguſtinus vero in aliis bene multis locis ſenſit, in ipſa Reſurrectione & glorificatione Carnis ſitum eſſe apicem Beatitudinis, reſervatae mortalibus in Caelis.

Inquit praeterea Burnetus, ab Auguſtino in Lib IX. Cap. 3. Confeſſionum, ſtatui Animam Nebridii amici ſui ad plures profecti *in Sinu Abrahae.* En *abdita* quoque & *ſecreta Animarum Receptacula*, quae ſupra ab eo commemorata vidimus. Diu tamen eſt, perſpectum a nobis fuiſſe, Burnetum nudis inſiſtere vocibus. Ut autem dignoſcat, quid haec vocabula ſignificent, nulla ei cura ineſt. At Lector in Auguſtini Libris minime hoſpes, nullo negotio intelliget, per *Sinum* quoque *Abrahae* (quo nomine *Receptacula* illa deſignantur) locum Beatitudinis in Caelis ab ipſo indicari. Nam quamvis interdum ſanctus Doctor *Caelum, Paradiſum*, & *Sinum Abrahae* diverſa loca cenſuiſſe videatur, attamen a nullo ex iis caeleſtem Beatitudinem & Viſionem beatificam Dei excluſit. Nuper ille Lib. XII. Cap. 35. de Geneſ. ad Liter. fatebatur, Animas Juſtorum nunc intueri *incommutabilem ſubſtantiam Dei*, utique in Caelo: ſed non perfecte; tum vero perfectam evaſuram eſſe Viſionem, quum una cum Carne glorificata Spiritus *perget in illum ſummum Caelum.* Ergo Beatarum Animarum Manſiones omnes in Caelis ſunt, ſed non omnes in Caelo ſummo. Apud Deum, atque in Domo Patris illae beatam vitam degunt; ſed tum in culmine Beatitatis erunt, quum Reſurrectio

ctio continget. Animum adverte ad eum ipſum Confeſſionum locum. Hoc idem evidenter ibi Auguſtinus tradit, dum ait; *Quidquid illud eſt, quod illo ſignificatur Sinu, ibi Nebridius meus vivit. Nam quis alius tali Animae locus? Ibi vivit, unde me multa interrogabat homuncionem inexpertum. Jam non ponit aurem ad os meum; ſed SPIRITALE OS AD FONTEM TUUM, & bibit quantum poteſt Sapientiam pro aviditate ſua, SINE FINE FELIX. Nec ſic eum arbitror inebriari ea ea, ut obliviſcatur mei, quum tu, DOMINE, QUEM POTAT ILLE, noſtri ſis memor.* Quid ſit, *inebriari* in altera Vita, habes Auguſtinum ipſum explicantem Enarrat. in Pſalm. XXXV. num. 14. ad verſ. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae*, quum ſcilicet *Facie ad Faciem* Deus a Sanctis conſpicitur. Ergo Nebridius quidem *in Sinu Abrahae*, ſed *ſine fine Felix*, hoc eſt infinite Beatus, quia ad *Fontem vitae* inebriatur, & *Facie ad Faciem* Deum intuetur. Non ergo excuſandae Burneti artes, qui loco illo Confeſſionum utitur ad ſubſtruendam ſui aedificii molem; ſed reliqua celat, unde molem ipſam, aeream plane, dejici manifeſte conſpicimus. Neque heic tantum Sanctus Auguſtinus ſuam mentem aperuit. In Opuſculo, ſive Sermon. de Diſciplin. Chriſtian. Tom. VI. edition. Benedictin. inquit: *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus. Quidquid ergo eſt, quod exhorres in morte, omnino non exhorreas, ſi eos imitaris. Id age, ut Bonam Vitam habeas; & quaecumque occaſio fuerit, ut exeas de hoc Corpore, EXIS AD REQUIEM, EXIS AD BEATITUDINEM, QUAE NON HABET timorem, nec FINEM.* En rurſus quid ſit *Requies*, videlicet *Beatitudo*, eaque ſine *Fine*. Pergit Auguſtinus, idem confirmare exemplo Inopis illius, *quem contigit mori, & efferri ab Angelis in Sinum Abrahae*, ac propterea *in Beatitudinem* illam, *quae non habet Finem:* Ad iſta pertinet, quod idem Beatus Doctor praeterea habet Enarration. IV. in Pſalm. XXX. num. 8. ubi ait: *Abſcondes eos in abſcondito Vultus tui. Qualis eſt Locus iſte? Non dixit: Abſcondes eos in Caelo tuo: Non dixit: Abſcondes eos in Paradiſo. Non dixit: Abſcondes eos in Sinu Abrahae. Multis enim nominibus Loca futura Sanctorum in Scripturis ſanctis poſita ſunt. Vileſcat totum, quidquid praeter Deum eſt. Qui nos tuetur in loco Vitae hujus, IPSE POST ISTAM VITAM SIT LOCUS NOSTER. ERGO ERIMUS IN VULTU DEI ABSCONDITI.* Sive ergo locum Caelorum appelles *Caelum*, ſive *Paradiſum*, ſive *Sinum Abrahae*, Juſti ibi erunt *in vultu Dei abſconditi*. Et quando? *Poſt iſtam Vitam;* non vero, uti Burnetus excogitavit,

vit, poſt extremum Judicium. Infra quoque eadem haurias ab Auguſtino ſcribente: *Proteges eos in Tabernaculo tuo. Quod eſt Tabernaculum? Eccleſia hujus temporis. Tabernaculum enim ideo dicitur, quia adhuc in hac Terra peregrinatur. Tabernaculum enim habitaculum eſt militum in expeditione poſitorum. Pugna in expeditione peregrinus, ut ſalvus factus in Tabernaculo, GLORIOSUS RECIPIARIS IN DOMO. Erit enim IN CAELO DOMUS TUA AETERNA, ſi modo bene in hoc Tabernaculo vixeris.* Viden', ubi Tabernaculum ſit, habitaculum peregrinantium? *In hac Terra.* E Tabernaculo ſecundum Auguſtinum pergitur ad *Domum*, & quidem *Aeternam;* non vero in alterum Tabernaculum extra hanc Terram, quale foret deſerta illa habitatio, in quam Britannus Scriptor Juſtorum Animas detrudit. Atque heic praeterire nolo, Sanctum Hilarium praeceſſiſſe Auguſtino in ejuſmodi ſententia. Explicans ille Pſalmum XIV. *Domine, quis habitabit in Tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in Monte ſancto tuo:* ſtatuit, *Tabernaculum eſſe Eccleſiam*, in qua *prior eſt habitatio. Chriſtum* vero eſſe *Montem*, in quo *poſterior eſt Requies. Primus gradus ad Caeleſtia aſcendentibus, habitare in hoc Tabernaculo. Ex eo in Montem aſcenſus.* Ad hunc myſticum Montem, ſubdit ille, *poſt habitationem Eccleſiae ſcanditur; in illo IN DOMINI SUBLIMITATE REQUIESCITUR; in illo cum Angelorum choris, quum & nos ſimus Dei Civitas, ſociabimur.* Aliud ergo neque Hilarius, neque Auguſtinus domicilium juſtorum perfectorum poſt mortem agnoſcunt, niſi *Caeleſte*, ubi *cum Angelorum choris in Domini ſublimitate Requieſcitur.*

Praeterea Sanctus Auguſtinus, an inter *Paradiſum*, & *Sinum Abrahae* diſcrimen intercederet, decernere minime auſus eſt. *Utrum Sinus ille Abrahae* (ſunt ejus verba in Epiſt. CLXXVII. olim 57. ad Dardanum) *ubi Dives impius, quum in tormentis eſſet Inferni, Requieſcentem Pauperem vidit, vel Paradiſi cenſendus vocabulo, vel ad Inferos pertinere exiſtimandus ſit, non facile dixerim. In Pauperis morte, vel Requie non ſunt Inferi nominati: ſed Contigit* (*inquit*) *mori Inopem illum, & auferri per Angelos in Sinum Abrahae. Deinde ardenti Diviti dicit Abraham: Inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt, tamquam inter Inferos, Sedeſque Beatorum. Non enim facile, alicubi Scripturarum, Inferorum nomen poſitum invenitur in bono.* Tum addit, veri perquam ſimile eſſe, Paradiſum, & Abrahae Sinum ſub duobus nominibus idem ſignificare; nam *generale Paradiſi nomen eſt, ubi Feliciter Vivitur.* Propterea Enarrat. in Pſalm. XXXVI.

Sermon. II. num. 7. *Paradiſum* ſine haeſitatione appellat locum, in quem ab Angelis ulceroſi Pauperis Anima devecta fuit. Ubinam vero *Paradiſus?* Si Burnetum audimus, extra Caelos, extra Regnum Caelorum, ignotis in locis, fortaſſe ſub terra. Bene tamen cecidit, quod jamdiu errorem hunc infectatus eſt Auguſtinus Lib. II. Cap. 10. de Anima & ejus origine. Infantibus ſine ſacro lavacro morientibus pollicitus fuerat Vincentius Victor *Paradiſum, non tamen ut Caeleſte inducantur in Regnum, praecipue quia multas Manſiones apud Patrem ſuum Dominus profitetur.* Ad iſta quid reſpondeat Auguſtinus, accipe. *Cernis hominem*, inquit, *Paradiſum, atque Manſiones, quae ſunt apud Patrem, a Regno ſeparare Caelorum, ut etiam non baptizatis abundent Loca Sempiternae Felicitatis. Nec videt, quum iſta dicit, ita ſe nolle baptizati cujuſpiam parvuli Manſionem a Caelorum Regno ſeparare, ut ipſam Dei Patris Domum, vel aliquas partes ejus, inde ſeparare non timeat. Neque enim Dominus Jeſus in univerſitate creaturae, vel in qualibet univerſitatis parte, ſed in Domo Patris mei, dixit, Manſiones multae ſunt. Quomodo ergo erit in Dei Patris Domo non baptizatus, quum Deum patrem habere non poſſit niſi renatus?* En ubi ſtatuat Auguſtinus *Paradiſum: in Regno Caelorum.* Ibi multae *Manſiones:* & quidem *in Domo Patris mei*, inquit Dominus; & quidem loca unaquaeque ineffabilis Beatitatis, quanquam diverſi gradus, diverſae claritatis, pro diverſitate meritorum, quia ſingulae manſiones *in Domo Patris*. Proinde ſanctus idem Doctor infra Lib. III. Cap. XI. ad ipſum Vincentium Victorem ſcribens, ait: *Noli credere, nec dicere, nec docere: aliquas Manſiones eſſe extra Regnum Dei, quas eſſe Dominus dixit in Domo Patris ſui; ſi vis eſſe Catholicus. Neque nunc opus eſt, quaerere, atque differere, utrum Regnum Dei, Regnumque Caelorum, cum aliqua differentia ſit intelligendum, an res una ſit duobus appellata nominibus. Manſiones autem aliquas conſtitutas in Domo Dei ſeparare a Regno Dei, quam ſit a veritate devium, puto, quod jam intelligas.* Infra Cap. XIII. *Errorem* rurſus appellat, quo Vincentius Victor *a Regno Dei Paradiſum ſeparare audet.* Porro alibi, hoc eſt Lib. II. Quaeſtion. Evangelicar. Quaeſt. 37. ſanctus idem Auguſtinus magnifice de *Sinu Abrahae* loquitur in haec verba: *Sinus Abrahae, Requies Pauperum beatorum, quorum eſt Regnum Caelorum, in quo Poſt hanc Vitam recipiuntur.* Immo is infra ſub Lazari nomine ſignificari poſſe Dominum ipſum putat, haec inter alia ſcribens: *Jam Sinus Abrahae intelligitur Secretum Patris, quo poſt paſſionem reſurgens aſſumtus eſt*

Do-

*Dominus*. Reliqua ibi vide, ut demum percipias, quum Auguſtinus de *Receptaculis*, de *Sinu Abrahae*, de *Manſionibus* loquitur, ſemper de locis ſempiternae Beatitudinis loqui, & quidem in Caelo poſitis, atque in Domo Patris: quod etiam rurſus inculcavit Tractat. LXVII. in Joannis Evangelium.

Et quanquam magnus Hipponenſis Antiſtes non ſemel ſenſiſſe videatur, *Regnum Dei*, aut *Caelorum*, non idem eſſe cum *Paradiſo*, atque in eo tantum Regno, quum Reſurrectio advenerit, ſperandam eſſe numeris omnibus abſolutam Beatitatem, perfectamque Dei Viſionem: ne puta, viſum fuiſſe ipſi Paradiſum ac Sinum Abrahae expertem Beatitudinis, Viſioniſque & Praeſentiae Dei. Id ſupra oſtendimus. Id rurſus confirmatum eo. In eo ipſo Libro XII. Geneſ. ad liter. quem nobis Burnetus fruſtra oppoſuit, auctor eſt Auguſtinus Cap. 32. Animam, quum de Corpore exit, non ad Corporalia, ſed Incorporalia Loca ferri, ſive *Poenalia*, ſive *Quietis atque Gaudiorum. Neque enim*, ait ſubſequenti Cap. 33. *Abraham, vel ille Pauper in Sinu ejus, hoc eſt, in ſecreto Quietis ejus, in doloribus erat, inter quorum Requiem, & illa Inferni Tormenta legimus magnum chaos firmatum; ſed nec apud Inferos eſſe dicti ſunt*. Tum Cap. 34. poſtquam dixit, *Paradiſum* dici poſſe *Tertium Caelum*, quo raptus fuit Apoſtolus, addidit: *Quanto magis ergo POST HANC VITAM etiam SINUS ILLE ABRAHAE PARADISUS DICI POTEST, ubi jam nulla tentatio, ubi tanta Requies poſt omnes dolores vitae hujus? Neque enim & LUX IBI non eſt propria quaedam, & ſui generis, & profecto MAGNA &c.* Haec etiam infra adtexit: *Quapropter Animae illius Latronis, cui dixit: Hodie mecum eris in Paradiſo, non utique Inferos praeſtitit, ubi Poenae ſunt peccatorum: ſed aut illam REQUIEM SINUS ABRAHAE; non enim alicubi non eſt Chriſtus, quum ipſe ſit Sapientia Dei, adtingens ubique; aut illum PARADISUM, ſive IN TERTIO CAELO, ſeu ubicumque alibi eſt, quo poſt Tertium Caelum eſt raptus Apoſtolus; ſi tamen non aliquid unum eſt diverſis nominibus appellatum, UBI SUNT ANIMAE BEATORUM*. Si vero nomine Tertii Caeli ſummum illud Caelum intelligimus, ubi Anima *ipſam Dei ſubſtantiam, Verbumque Deum ineffabiliter valeat videre & audire: non incongruenter arbitramur, & illuc eſſe Apoſtolum raptum, & ibi fortaſſis eſſe Paradiſum omnibus meliorem, & ſi dici oportet, Paradiſum Paradiſorum*. Ita nempe in divinis Libris occurrit etiam *Caelum Caeli, & Caeli Caelorum*. Haec Auguſtinus, qui concordi ſententia Tractat. XCI. in Joann. Evangel.

de Domino Paradiſum promittente Latroni ait: *Secundum id, quod homo erat, Anima ejus ipſo die futura erat in Inferno, Caro in Sepulcro. Secundum autem id, quod Deus erat, utique & in Paradiſo erat. Et ideo LATRONIS ANIMA, a priſtinis facinoribus abſoluta, & illius munere jam BEATA, quamvis ubique ſicut ille eſſe non poterat; tamen etiam ipſo die cum illo IN PARADISO ESSE POTERAT, unde ille, qui ubique ſemper eſt, non receſſerat. Propterea nimirum non ei ſatis fuit dicere: Volo, ut, ubi ego ſum, & illi ſint; ſed addidit Mecum.* Nihil profecto intelligit, qui non intelligit, Auguſtinum firmiſſime credidiſſe, beatum illum Latronem adductum fuiſſe in locum inaeſtimabilis Beatitudinis, in quo ſpeciali modo Divinitas praeſens, ſimulque viſibilis eſſet. Quid enim novi, aut ſingularis Beatitatis pollicitus illi fuiſſet unigenitus Dei Filius, ſi non alia *in Paradiſo* foret praeſentia Divinitatis, quam quae ubique *in univerſitate creaturae eſt*, nullis mortalium oculis ſpectabilis? Idem quoque factum de Stephano Protomartyre ſcribit Auguſtinus Sermon. CCCXIX. alias 51. de Diverſ. ubi illum dicentem inducit: *Domine Jeſu, accipe Spiritum meum. Feciſti me victorem, recipe in triumphum. Dic Spiritui meo. Intra in gaudium Domini tui. Hoc eſt enim: Accipe Spiritum meum. Sed Spiritum illius quo accepit Jeſus? In quam Manſionem, in quod Caelum Caeli? quis comprehendit? quis explicat? Vis audire compendio? Audi ipſum Chriſtum: Pater, volo, ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum. Eſſe, ubi eſt Chriſtus, quae poteſt comprehendere cogitatio? Cujus ad hoc explicandum ſufficit ſermo?* Atque heic obiter animadverte, non aliter in his duobus locis Auguſtinum interpretari, quam ego ſupra Cap. III. fuerim interpretatus, verba Domini in Evangelio Joann. XVII. 24. Rurſus autem, quid ſit *eſſe cum Chriſto* in altera vita, edifſeruit Theologorum coryphaeus Auguſtinus Enarrat. in Pſalm. XLVIII. Sermon. I. num 10. ubi de Evangelico Epulone in ignem, & Mendico in Sinum Abrahae devecto ait: *Sic deſideravit ille guſtare de digito, quomodo ille micas de menſa Divitis. Sed illius labor finitus eſt, & illius vita finita eſt. Labor hujus in aeternum. Vita illius in aeternum. Non heic habemus vitam, qui forte heic laboramus in terra: & non ſic erimus poſtea. ERIT enim VITA NOSTRA CHRISTUS IN AETERNUM.*

Sed nunquid unus ille Evangelicus Pauper, nunquid Martyres tantum ad beatam in Caelis vitam deducuntur? Nunc ſciſcitari juvat ab ipſo Auguſtino. Is Sermon. XIV. olim 110. de Tempor. pau-

pauperem ſuperbientem, atque haec dicentem nobis exhibet: *Noſtrum genus eſt, cui debetur Regnum Caelorum; non illi generi, qui induuntur purpura & byſſo, & epulantur. Talis enim erat ille, ante cujus januam jacebat pauper ulceroſus &c.* Tum eloquentiſſimus Antiſtes tumorem iſtius caſtigat, non negando, quin ferantur in Caelum pauperes, ſed pauperes ſpiritu, quales etiam poſſunt eſſe divites. *Quid inflaris*, ait, *& non imitaris? Ego, inquit, pauper levor in Sinum Abrahae. Si ſuperbis contra eos, qui habent pecuniam, & negas eos ad Regnum Caelorum pertinere; quum in eis inveniatur humilitas, quae in te non invenitur: non times, ne tibi, quum mortuus fueris, dicat Abraham: Recede a me, quia blaſphemaſti me?* Et heic habes nullum diſcrimen ſtatui inter *Sinum Abrahae*, & *Regnum Caelorum*; pariterque Auguſtini tempore communem fuiſſe ſententiam, non differri ad conſummationem Saeculi Beatitudinem, praeeunte Lazari exemplo. Eos quoque infantes, qui poſt ſuſceptum Baptiſmum e vivis abeunt, beatifica Dei Viſione donari, ſcribit Auguſtinus Lib. I. Cap. XIX. de Peccator. merit. quum ait: *Verumtamen ſi percepto Baptiſmo de hac vita emigraverit, ſoluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo Lumine Veritatis, quod incommutabiliter manens in aeternum, JUSTIFICATOS PRAESENTIA CREATORIS ILLUMINAT.* Locum ſupra nobis objecit Burnetus ex Libris Auguſtini de Civitate Dei petitum, ubi *ſecreta Animarum Receptacula* memorantur. Sed quam inaniter nudis ille vocibus in ſuae opinionis praeſidium utatur, haſtenus palam factum eſt. Ex non obſcuris, ſed clariſſimis ſancti illius viri, ex Opere ipſo depromtis, poterat Britannus Scriptor ediſcere, quae fuerit Auguſtini ſententia de Juſtorum Animabus corporeo nexu ſolutis. Sub nomine *Mille Annorum* ſcribit ille Lib. XX. Cap. 9. de Civitat. Dei, ſignificari a Joanne Apoſtolo in Apocalypſi tempus Eccleſiae ad finem uſque Mundi. Tum inquit, *piorum Animas mortuorum* non ſeparari *ab Eccleſia, quae etiam nunc eſt Regnum Chriſti*. Addit infra: *Quamvis ergo cum ſuis Corporibus nondum, jam tamen eorum ANIMAE REGNANT CUM CHRISTO, dum iſti Mille Anni decurrunt. Unde in hoc eodem Libro Apocal.* XIV. 13. *& alibi legitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo & jam dicit Spiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis; nam opera illorum ſequuntur illos. Regnat itaque cum Chriſto nunc primum Eccleſia in vivis & mortuis. Propterea enim, ſicut dicit Apoſtolus Roman.* XIV. 9. *mortuus eſt Chriſtus, ut & vivorum & mortuorum dominetur.* At quoniam Joannes dixerat de Martyri-

tyribus: *Regnaverunt cum Jesu mille Annis:* Auguſtinus ſcribit, non de iis tantum haec enuntiari, verum & de reliquis in Domino morientibus. *Ideo*, inquit, *tantummodo Martyrum Animas commemoravit, quia ipſi praecipue Regnant mortui, qui uſque ad mortem pro veritate certaverunt. Sed a parte totum, etiam ceteros mortuos intelligimus pertinentes ad Eccleſiam, quod eſt Regnum Chriſti.* Atque haec ſatis jam eſſe poſſunt, ut Lectori dubitatio omnis eripiatur, an cum Eccleſiae Catholicae doctrina concors abierit immortalis ille Eccleſiae Doctor. Pauca tamen adhuc adjicere mihi liceat. Sub finem Enarration. in Pſalm. XXXVIII. interpretatur Auguſtinus verba illa Davidis: *Remitte mihi, priuſquam abeam;* atque inter cetera ait: *Reſpexit ergo BEATAM illam REGIONEM, BEATAM PATRIAM, BEATAM DOMUM, UBI PARTICIPES SUNT SANCTI VITAE SEMPITERNAE ATQUE incommutabilis VERITATIS: & timuit extra ire, ubi non eſt eſſe; ibi deſiderans eſſe, ubi eſt Summum eſſe.* En quo in loco nunc ſint, & quanta Beatitudine Sancti fruantur. Ac propterea intelligis, quid ſibi velit idem Auguſtinus, quum patrem, cui mors unum e filiis ſurripuit, hortatur, ut eleemoſynas pro illo eroget, Sermon. X. alias *96.* de Tempor. num. 20. ubi ita differit: *Mortuus eſt, ſed praeceſſit ad Deum; pars ipſius pauperibus debetur: illi debetur, ad quem perrexit. Qua fronte venturus es ad filium tuum, qui praeceſſit, cui praecedenti non mittis partem ſuam in Caelum? An non poteſt mitti in Caelum?* In eodem argumento iterum verſatur Auguſtinus Sermon. LXXXVI. olim XLIII. de Diverſ. Cap. X. *Chriſtianum*, inquit, *filium amiſiſti. Non ergo amiſiſti, ſed praemiſiſti. Mittatur ergo illi, quo praeceſſit ille: ad rem ſuam venire non poteſt. Res ejus ad eum ire poteſt. Vide cum quo ſit. Si in Palatio militaret filius tuus, & amicus Imperatoris fieret, & diceret tibi: Vende ibi partem meam, & mitte mihi; numquid invenires quid reſponderes? Modo cum Imperatore omnium Imperatorum, & cum Rege omnium Regum, & cum Domino omnium Dominorum Eſt Filius tuus: mitte illi &c.* Haec doctrina Auguſtini eſt, non qualem phantaſia Burneti ſibi finxit, non qualem is propinare nobis cupiebat, ſed qualis etiamnum ab Eccleſia Catholica cuſtoditur. Quod ſi quando videatur Auguſtinus ad Reſurrectionem referre deſtinata Juſtis a Deo praemia: ſtatuendum eſt, aut illi haec excidiſſe, quum Millenarii Regni opinione tenebatur, quam poſtea ejuravit; aut nihil aliud ipſum indicaſſe, niſi culmen Beatitudinis illius, qua Anima cum Corpore tunc in Regno Dei donabitur. Abſolu-

solutiſſimam hanc Felicitatem in conſummatione Saeculi Sanctis promiſſam, cui tamen praeceſſit Animae Juſtae Beatitudo, & Improborum poena in Inferorum igne, nos quoque agnoſcimus. Agnovit & Auguſtinus, cujus ſunt verba Tractat. XLIX. in Joann. Evangelium: *Habent ergo Omnes Animae, ut ex hac occaſione inſtruam Caritatem veſtram, HABENT OMNES ANIMAE, QUUM DE SAECULO EXIERINT, diverſas receptiones ſuas. Habent GAUDIUM BONAE; MALAE TORMENTA.* Quale ſit hoc *Gaudium*, qualia *Tormenta*, nos hactenus abunde perſpeximus. *SED QUUM FACTA FUERIT RESURRECTIO, & BONORUM GAUDIUM AMPLIUS ERIT, & MALORUM TORMENTA GRAVIORA: quando CUM CORPORE torquebuntur.* Atque ex his tandem intelligis, quid ille ſignificet, quum Enarr. in Pſalm. 149. ait: *Quaere, qualis ſit qui moritur, quo poſt mortem iturus eſt, non unde de vita exiturus.* Non inquit, *poſt ſupremum Judicium*, ſed *poſt mortem*. Poſſem & plura alia ex Auguſtini Libris excerpta exhibere; ſed haec ſatis ſuperque.

## CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

*Neque Gelaſius Cyzicenus, neque Theodoretus Catholico Dogmati adverſantur, immo adſtipulantur. Quid ſit* Conſummatio *&* Conſummari *in ſacris Literis, quum de Animabus ſeparatis a Corpore agitur. Exploſum fragmentum Graeci Scriptoris, quem Cajum, aut Hippolytum nonnulli ſuſpicantur. Andreae, & Arethae Caeſarienſium Epiſcoporum, atque Oecumenii ſententia a Catholica minime diſcors. Theophylactus cum ipſa plane concors. Quid ſenſerit Euthymius Zigabenus. Graeculi quidam, & Armenii a Majorum dogmate declinantes.*

BURNETUM pag. 50. jactantem vidimus, neque dubitantem, quin *Patres Graeci generatim a partibus ſuis in hac cauſſa ſteterint*. Hactenus hominem injurium veritati deprehendimus. Quae is ſubinde adtexit de Graecorum recentiorum Libris mutuatus, quanta poſſumus brevitate expendamus. *Gelaſii Cyziceni* Hiſtoriam de Concilio Nicaeno Lib. I. Cap. 23. laudat, quod ibi Macarius Epiſcopus Hieroſolymitanus dixerit, Philoſopho exponens incarnationem Verbi, Chriſtum deſcen-

descendisse εἰς Ἅιδην, *in Haden*, sive *in Infernum*, *ut similis nobis fieret per omnia:* quae verba non Gelasii, sed Burneti sunt. Gelasius quidem haec habet, ab eodem Burneto producta: *Descendebamus nos post mortem ad Inferos. Suscepit Christus & hoc, descenditque sponte ad eos: non tamen detentus, sicut & nos, sed descendit tantum. Non enim erat subjectus morti, sed mortis dominus. Quumque solus descendisset, cum multis rediit.* Atqui ne forcipe quidem adhibita aliquid pro se hinc exsculpet Burnetus. Id tantum Gelasius in conficta illa concertatione Macarii cum Philosopho tradidit, scilicet Prophetas & Justos ante Christum mortuos fuisse: *& eorum nemo*, subdit Gelasius, *se ipsum a potestate mortis redimere potuit.* Venit *Salvator omnium*, atque nos redemit. Nos ante Christi adventum post mortem descendebamus ad Inferos, ibique erant Prophetarum & Justorum Animae. *Ad eos descendit* Christus; *quumque solus descendisset, cum multis rediit.* Itaque non solum nihil habet Gelasius contra Catholicorum sententiam; sed etiam eidem suffragium praebet, innuens, Patrum antiquorum Animas per adventum Christi ab Inferis liberatas, atque una cum eo deinde in Caelum ascendisse: quae veterum valde communis sententia fuit. *Theodoretum* quoque in aciem trahit Burnetus in Commentar. ad Cap. XI. 40. Epistol. ad Hebr. ubi exponens Apostoli verba, scilicet: *Hi omnes testimonio Fidei probati, non acceperunt repromissionem, ut non sine nobis consummarentur*, in haec verba loquitur: *Eorum ergo fuerunt tot & tanta certamina: sed ii tamen Coronas nondum acceperunt. Exspectat enim universorum Deus aliorum certamina, ut soluto stadio, omnes, qui victoriam fuerint assequuti, simul victores renuntiet, & remuneretur.* Non dissimilia ad hunc locum tradiderat sanctus Joannes Chrysostomus, quem exscripsisse, ut in aliis solet, heic etiam videtur Teodoretus. Attamen supra meridiano Sole clarius vidimus, a Chrysostomo statui, multisque in locis confirmari sanctarum Animarum Beatitatem in Caelis, antequam Corpora in Resurrectione recipiant. Quid ergo sibi vult Theodoretus? quid Chrysostomus? Non aliud, quam quod Apostolus. Is profecto in aliis locis, quae supra adduximus, Beatitatem Animarum, quae post mortem cum *Christo* sunt, sive *praesentes sunt ad Dominum*, satis expressit. Sed nondum *Consummatio*, nondum plena & perfecta *Corona* advenit. Hanc in fine Mundi tum nos, tum Justi ante nos vita functi, exspectamus, & largiente Deo consequemur. Videlicet tunc Caro recepta glorificabitur: tunc totus Homo Coronabitur. Atque ad hunc ipsum sensum nos ducit vis ipsius vocabuli

Con-

*Conſummatio*. Neque enim aliud eſt Graecum verbum Τελειῶ, ſive *Conſummo*, niſi manum alicui rei poſtremam dare, ut nos vulgo dicimus; hoc eſt perficere, ſive ad perfectionem adducere, quod jam bene inchoatum fuerat. Eruditi tamen Interpretes abundant, quibus videtur dici ab Apoſtolo reſervata hujuſmodi Τελείωσις, ſive *Conſummatio*, non poſtremo Judicio, ſed novi Teſtamenti temporibus; nam ante Chriſtum nemo ad Caeleſtem Gloriam admittebatur. Neque ſuis fundamentis caret eorum interpretatio. Chryſoſtomus vero, Theodoretus, ac alii ipſam referunt ad omnium hominum Reſurrectionem: quo tempore jam inchoata & percepta in Caelis Beatitudo cum Carne reſumta perficietur. Hanc autem eſſe Chryſoſtomi, aliorumque mentem, ſexcentis poſſem locis evincere. Nam ex antiquis Patribus nemo ferme eſt, qui non agnoverit, ſaltem Martyres *Coronam* in Caelis a Deo conſequi, mox ut e Saeculo emigrant. Saepe id profeſſus fuit Chryſoſtomus: profeſſus eſt & Theodoretus. Libro VIII. de curand. affect. Graecor. haec ejus verba ſunt: *Si Caelum ſedes illorum eſt, qui Pie vixerunt: hunc profecto finem ſui curſus & Martyres jam Conſequuti Sunt. His enim magis piuſ eſſe nihil poteſt*. Infra addit: *Ideoque majori ſorte merito perfruuntur Martyres, qui nunc a cunctis late mortalibus honores ampliſſimos ferunt, & Aeternis ſunt inſigniti Coronis*. Agnoſcit ergo Theodoretus occultas illas *Coronas*, quibus Deus Animas Sanctorum poſt Corporis mortem donat in Caelis. Propterea *Spiritus conſummati* memorantur ab Apoſtolo in Caeleſti Hieruſalem. Sed nondum conſummatus ibi totus Juſtus, quia plenior Corona e Reſurrectione exſpectanda eſt. Alibi eadem innuit Theodoretus, videlicet Lib. III. Cap. XV. Eccleſiaſtic. Hiſtor. ubi glorioſum finem deſcribit Juventini & Maximi Martyrum ſub Juliano Apoſtata, haec inquiens de impio Auguſto: *Gravibus illos, atque acerbis tormentis excruciatos, hac vita privavit; immo, ut verius dicam, infelicitate illius temporis liberavit, eiſque Victoriae Coronas procuravit*. Ita Cap. XVI. ſubſequenti, Valentinianum poſtea Imperatorem, quod Juliani impia ſacrificia fuerit averſatus, *Utrumque Regnum conſequuturum fuiſſe* aſſerit, Terrenum videlicet atque Caeleſte. Vitam quoque Sancti Theodoſii Antiocheni Abbatis deſcribit Theodoretus in Philotheo Cap. X. atque hunc ait morientem *migraſſe ad Choros Angelorum*. In eodem etiam Libro Cap. VIII. ipſum audi de Sancto Aphraate Anachoreta loquentem: *Ea*, inquit, *nunc quoque benedictione fruar, utpote qui credam eum vivere, & una cum Angelis choros ducere, & majori, quam olim, apud*

*Deum uti fiducia. Nunc enim, depoſito onere perturbationum animi, ut athleta Victoria potitus, fiducia & libera loquendi facultate utitur Apud Agonothetam.* Qui heic *Agonotheta* dicitur, ſive certaminum moderator, & victorum Munerator, Chriſtus Dominus eſt, cujus praeſentia nunc fruitur, & a quo praemia victoriae ſanctus ille Anachoreta recepit, ideoque *una cum Angelis* in Caelo tripudiat atque laetatur. Vide infra Cap. XXV. hujuſce Diſquiſitionis meae, pari phraſi uſum Nicephorum Gregoram in Vita Sancti Codrati Martyris. Denique Theodoretus in praelaudato Cap. VIII. ita in rem noſtram loquitur: *Ac generoſae quidem TRIUMPHANTIUM ANIMAE CAELUM OBAMBULANT, & incorporeorum SPIRITUUM CHORIS INTERSUNT &c. Urbes & pagi horum APUD univerſorum DEUM utentes interventu, divina per ipſos munera conſequuntur.* I nunc, & ſi potes, Theodoretum in ſomnia Burneti conſentientem tibi perſuade. Si jam Martyres *acceperunt repromiſſionem*, eorumque Animas, *Aeternis inſignitas Coronis*, Caeleſtis Beatitudo accepit: ergo Apoſtoli locum interpretari opus eſt *de repromiſſione Reſurrectionis*, quam Sancti nondum acceperunt, ἵνα μὴ χωρὶς ἡμῶν τελειωθῶσι, hoc eſt, *ut non ſine nobis conſummarentur.*

Commemoratur etiam Burneto pagin. 56. vetus fragmentum Graeci Auctoris (ſive ille ſit *Cajus*, ſive alter perantiquus Chriſtianus) ab Hoeſchelio primum editum in Notis ad Bibliothecam Photii Codice XLVIII. Ibi Ἅιδης *Hades*, *ſubterraneus Locus* appellatur, in quem tum Juſtorum, tum Injuſtorum Animae deducuntur, diverſa tamen domicilia ſortientes. Amoenum videlicet Juſtis conceditur, *Sinus Abrahae* ab aliis appellatus. Improbis inferius habitaculum, terroribus plenum, adſignatur. Eo in loco uſque ad Reſurrectionem continentur omnium Animae. Ita in eo fragmento. Apud Hoeſchelium *Joſepho* Hebraeo, a Dodwello autem per conjecturam *Cajo* Presbytero Romano tribuitur, quemadmodum ſuſpicatus quoque fuerat Photius de altero pari Opuſculo. Denique Stephanus le Moyne, & Joannes Albertus Fabricius in editione Operum Sancti Hippolyti Epiſcopi & Martyris, fragmenti hujus Auctorem opinati ſunt eundem *Sanctum Hippolytum*. Sed quicunque is Auctor fuerit, apud amantes veri Theologos nullius ponderis futura eſt illius auctoritas, non ea ſolum de cauſſa, quod nihil certi habeamus, Cajus-ne, an Hippolytus, an quiſquam alius, haec literis conſignarit; ſed etiam, quod Viſionarium & fabuloſum Scriptorem heic habeamus, utpote qui Receptacula illa Animarum, earumque varia officia tam graphi-

eis

cis coloribus nobis pingit, perinde quasi ea loca suis ipse oculis lustrasset. Nemo hujusmodi Scriptorum institutioni se tradat. Quod pares fabulae in Opusculo *de Antichristo* occurrant, propterea non facile Eruditi Hippolyto Martyri illud tribuendum putant. Eoque minus hoc illi tribuendum est, quod Evangelio adversetur, Divitem Epulonem Igni jam traditum asserenti, quum in hoc Opusculo expertes adhuc flammarum Injusti dicantur. At nos immortalitatem Animae accipimus quidem, & certa fide tenemus: Poenas quoque Improborum in Inferis jam inchoatas credimus; Justorumque Praemia amplectimur, sed *sub terra* negamus. Certiorem nempe habemus Apostolicum sermonem, quo hac in re fides nostra innititur; nam Justi *cum Christo sunt;* & Sancti, dum heic degunt, cupiunt *peregrinari*, idest separari *a Corpore*, *& praesentes esse ad Dominum*. Ad evidentiam vero supra ostendimus, communem fuisse sententiam, vel primis Ecclesiae Saeculis, Martyrum Animas in Caelum, atque ad Deum, ex hac vita emigrare. Neque ab ea Sanctum Hippolytum deviasse par est credere: quod nunc, nisi tot ejus Libri periissent, facile, ut reor, dignosceremus. Praeter haec vidimus, *Sinum Abrahae* non *Locum* esse, quum vocabulo illo designetur consortium cum Abraham patre credentium; & siquidem pro Loco accipere velis, ineffabilis certe Beatitudinis Locum esse dicendum, quem non *sub terra*, sive *in Inferis* quaeras, sed rectius in Caelis; & quem nemo tenebricosum carcerem, ut Pseudo-Hippolytus ille somniavit, sed admirabili luce recreatum credat. Atque heic animadvertas velim (quod supra praetermisi) *Sinum Abrahae* ab eximio Doctore Ecclesiae Chrysostomo reputatum fuisse Regnum ipsum Caelorum. Homilia nempe XXVII. in Cap. VIII. Matth. interpretatur sanctus ille Antistes Domini verba: *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in Regno Caelorum;* atque ita loquitur: *CAELESTE REGNUM non suo nomine, sed SINUM ABRAHAE appellavit.* Et infra: *Adeo Patriarchas & Abraham admiratur ac laudat, ut SINUS EORUM ultimum BONORUM OMNIUM FINEM arbitretur ac praedicet.* Sed ubinam mentio Sinus Abrahae in verbis Domini? Subintelligitur: idem quippe sonat *cum Abraham*, atque *in Sinu Abrahae*. Caussam rei minus peritis exponam. Sacris in Literis sub tropica imagine opipari Convivii describitur Aeterna Beatitudo in Caelis. Dominus Jesus Luc. XXII. 29. *Et ego*, ajebat, *dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, Regnum; ut edatis & bibatis*

*ſuper menſam meam in Regno meo*. Et in Apocalypſ. XIX. 9. *Beati, qui ad Coenam nuptiarum Agni vocati ſunt*. Idem quoque ſignificat *Recumbere cum Abraham:* nam convivae *Accumbere* & *Recumbere* ad menſam dicebantur. Honoratior locus principi convivii deferebatur. Qui propius illi aſſidebat, ſive in lecto ad menſam jacebat, hic *in Sinu* illius *Recumbere* phraſi apud veteres nota dicebatur. Ita Joannes Apoſtolus *ſupra pectus Domini in Coena Recubuit:* quod idem eſt, ac ſi dicas, *in Sinu Domini recubuit*. Quae de hujuſmodi more apud veteres, etiam Ethnicos, adnotarunt Eruditi non pauci, & praeſertim Grotius, Hammondus, Varenius, & Clericus, omitto. Quare quum dicitur Lazarus *in Sinum Abrahae* ab Angelis deportatus, nihil aliud ea phraſi ſignificari credendum eſt, niſi ad Convivium Caeleſte illum fuiſſe devectum, in quo apud Abraham ſtatio non mediocris honoris decreta illi fuit. Itaque non *ſub terra* Sinus *Abrahae* locandus, ſed *in Regno Caelorum*, ibi nempe, ubi ipſa veritas Chriſtus pronuntiavit, Ethnicos etiam ad Fidem converſos accubituros eſſe *cum Abraham*. Propterea ante Chryſoſtomum Caeſarienſis Epiſcopus Euſebius *Sinum Abrahae* in nuper laudato Matth. Cap. VIII. 11. invenit, eoque nomine Beatorum Felicitatem in Caelis indicari ait: En ejus verba Lib. XIII. Cap. 10. Praeparation. Evangelic. ubi Apoſtoli auctoritate utitur: *Si terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvitur, aedificationem ex Deo habemus, domum non manu factam, Aeternam IN CAELIS*. Et *peregrinantes* (ſive migrantes) *a Corpore, verſamur* (ſive habitamus, aut habitatum imus) *cum Domino. Uti etiam in eum ſperantibus promiſſum eſt, qui* (ΕΪΣ ΚΟΛΠΟΥΣ) *IN SINIBUS ABRAHAE, ISAACI, & JACOBI REQUIESCENT, atque in ceterorum Prophetarum, Juſtorumque conſortio, qui inter Hebraeos Deo cari fuerunt, IN BEATA VITA longum aevum degent*. Ecce ubi nobis quaerendus, nobis ſperandus eſt *Abrahae Sinus*, non autem in Pſeudo-Hippolyti ſomniis.

Suo quoque agmini Burnetus pag. 56. adjungit *Andream* & *Arethan Caeſarienſes Archiepiſcopos*, qui Commentarios in Apocalypſin ſcripſere, non ſemel typis traditos. Arethas autem, qui Andreae Praedeceſſoris ſui totum ferme Opus expilavit, haec ſcribit: *Hades eſt regio nobis inconſpicua, ſive nos latens, & noritiam fugiens, quae Animas noſtras hinc emigrantes excipit*. Is deinde ad Cap. VI. ejuſdem Apocalypſeos de Animabus ſub Altari clamantibus ait: *Propter haec Mundi conſummationem expetere Sancti videntur, quoniam exſpectare atque moram ferre jubentur uſque ad fratrum ſuorum mortem,*

ne

*ne ante illos, juxta divinum Apoſtolum conſummentur. Candidae autem Stolae virtutum ſplendorem, qui illuſtris in illis exſiſtit, inſinuant. Quo circumfuſi, etiamſi promiſſiones nondum adepti ſint, eorum tamen bonorum ſpe, quae ſpirituali oculo jam contemplantur, ab omni interim materia craſſa liberati, merito laetantur, in Sinu Abrahae pacate requieſcentes. Multorum enim Sanctorum ſententia eſt, unumquemque virtutis cultorem, Locum factis ſuis dignum poſt hanc vitam ſortiri, ex quo de gloria ſibi preaparata certam conjecturam facere valeat.* Non abſimilia legas in Andreae Commentariis. Neſcio, an magnum aliquid ſe attuliſſe putarit Burnetus, quum Scriptores hoſce Graecos pro ſe laudavit. Illos Coccius, & alii quidam floruiſſe Saeculo poſt Chriſtum natum Sexto ſunt arbitrati. Caveus, Dupinius, & alii, homines incertae aetatis cenſuerunt. Et merito ſane. Quod etiam ſubodorari poſſumus ex Cap. LII. Arethae, ubi *Babylonem magnam* appellat, non Romam veterem, ſed novam, *Conſtantinopolim* videlicet, *in qua olim colebatur juſtitia. Nunc autem in ea homicidae habitant, ex mutua conventione, dum cives Laici Eccleſiaſticis aequari contendunt, & ne aequales quidem fieri contenti ſunt &c.* Haec hominem produnt, qui inclinante Graecorum imperio ſcribebat. Atqui pluribus conjecturis Oudinus adductus cenſet, Andream Saeculo Nono, & Photii temporibus vixiſſe. Sed quo revera tempore inter mortales verſatus fuerit Arethas, diligentia atque eruditio Cl. V. D. Bernardi de Montfaucon Benedictini e Congregatione Sancti Mauri, nos edocebit; qui Lib. IV. pag. 275. Paleograph. Graecae, Codicem Graecum venerandae antiquitatis commemorat, in Regis Chriſtianiſſimi Bibliotheca adſervatum, & *ſcriptum manu Baanis Notarii Arethae Archiepiſcopi Caeſareae Capadociae, Anno Mundi* 6422. ideſt *Anno Chriſti DCCCCXIV.* Iis igitur temporibus vixit & ſcripſit Arethas Caeſarienſis, ac proinde non Saeculo Sexto, ſed Decimo, ſed poſt Schiſma Photianum. Porro aevo illo quidam e Graecis coeperunt ceteris ſuae Sectae erroribus hunc etiam adjicere, contendentes nimirum contra majorum ſuorum, immo contra Catholicae Eccleſiae ſententiam, Juſtorum Animas non recipere repromiſſionem, ſive mercedem laborum, niſi in conſummatione Saeculi. Quid hoc quaeſo ad nos? Non a Graeculis quibuſdam recentioris aevi, ſed ab antiquis & inſignibus Eccleſiae Patribus, atque a vetuſta Traditione petenda nobis eſt de ſtatu Animarum doctrina. Ceterum nihil moror, an Arethas *Haden* appellarit *Regionem nobis ignotam, atque inconſpicuam*, nam & ſupra vidimus, idem fuiſſe traditum a Tertulliano,

Lactan-

Lactantio, & aliis, ſupra quorum tamen opinionem praevaluiſſe ſemper oſtendimus Eccleſiae Catholicae ſententiam. Accedit, quod ille hoc nomine non Carcerem, non Locum quendam deſignavit ſub terra ſitum, ſed quidem *vitae ſtatum incorporeum & inviſibilem Animarum*, uti nonnulli alii inter veteres cenſuerunt. Neque dicere auſus eſt, in eo deſiderari praeſentiam Chriſti Domini, qua Sanctos poſt mortem frui Apoſtolus ſignificavit. Quae vero Andreas & Arethas ſcripſere ad Cap. VI. de exſpectata a Sanctis *Conſummatione* Saeculi, ut & ipſi cum fratribus *conſummentur* ſecundum Apoſtoli verba: jam non ſemel monuimus, referenda eſſe ad Corporis Reſurrectionem, conſummatamque Gloriam, quam Juſti poſt ſupremum Judicium Carne quoque adipiſcentur. Neque aliter ii ſenſiſſe videntur, niſi diſcordes ipſos a ſe ipſis velimus. Nam ad Andream quod attinet, is Cap. X. ait: *Thronum in Caelo poſitum vidi. Per hanc autem ſedem, Chriſti in Sanctis Requies deſignatur: ſiquidem in illis veluti in throno quodam inſidet.* Et infra: *Per haec oſtenditur, Thronum Dei nihil fere aliud eſſe, quam Regnum Dei, jocundamque in eiſdem Sanctis Requiem. Cernit autem in Regno illo Seraphin &c.* Tum Cap. LX. *Martyribus*, ait, *judicandi poteſtas data eſt, per quam Daemones, ut noſtris oculis videmus, judicare non deſinunt, uſque ad praeſentis Saeculi conſummationem Glorificati cum Chriſto.* Sub finem quoque Libri dilucidius ait in Apocalypſi demonſtrari, *quomodo Martyres cum Chriſto Regnent, Beatitudinemque etiam ante Antichriſti adventum obtineant.* Ergo *Repromiſſio*, exſpectanda duntaxat in fine Mundi, Gloriam tantummodo redivivae Carnis indicat, aut additamentum & complementum Beatitatis, quo tunc Juſti, Anima & Corpore ſimul conjunctis, donabuntur. Tradit etiam Caeſarienſis ille Andreas Cap. XLII. *Beatos* eſſe non omnes, ſed illos duntaxat, *qui in Domino moriuntur*, & Deo placuerunt. *Talium namque ex Corpore exitus veram a laboribus Requiem adfert. Quod autem ex operibus naſcitur, illud immarceſcibilium Coronarum, glorioſorumque Praemiorum cauſſa exſiſtit.* At, inquies, Scriptor hic Cap. XVII. de Sanctis ſub Altari quieſcentibus, in haec verba loquitur: *Interim uſque ad fratrum ſuorum mortem, ne ante illos juxta Apoſtolum conſummentur, moram iſtam patienter ferre jubentur. Splendore tamen circumfuſi, etiamſi promiſſorum bonorum hereditatem necdum adepti ſunt*, Ita ſane. Verum, quae ſubſequuntur, animadverte. *Eorum itaque*, ait, *bonorum ſpe, quae ſpiritali oculo nunc contemplantur, ab omni interea craſſitudine exuti, merito Laetetur, necnon in*

*Abrahae*

*Abrahae Sinu pacate Requieſcere feruntur.* Quid vero ſit Sinus Abrahae Scriptori huic, is nobis edicat. Deſcribit ille Cap. LVI. myſticas Agni nuptias, hoc eſt Beatorum vitam ac delicias in Caelis; atque inter cetera inquit: *Quum varia & magna futuri Saeculi ſint Bona, quae omnem mentem & cogitationem multis partibus ſuperant, illorum uſus & participatio variis multiſque nominibus exprimitur. Quandoquidem praeter incomparabilem Gloriae, Splendoriſque magnitudinem, Beatorum merces aliquando Regni Caeleſtis nomine deſignatur. Nonnumquam vero, quod Bonorum omnium copia, quae numquam deficiunt, affluat, & eſculentorum ſpiritalium omnium apparatu abundet, Paradiſus vocatur. Quandoque autem Sinus Abrahae appellatur, ea forraſſis de cauſſa, quod vita defuncti ibi fortiantur Requiem. Interdum denique Thalami & Nuptiarum vocabulo inſinuantur &c.* Verbis-ne meis indiget Lector, ut intelligat poſt haec, quid in ſuperiori loco Andreas ſignificet, quum ait, Sanctos nunc *in Abrahae Sinu pacate Requieſcere?* Rurſus vero, niſi ipſum velis foediſſime ſibimet ipſi contradicentem, fateri cogeris, nihil adverſari praeſenti Juſtarum Animarum Beatitati, quod ab ipſo dicitur, ſcilicet nondum Sanctos *Repromiſſionem*, ſeu *Hereditatem* accepiſſe. Et praecipue poſtquam ipſe in Praefatione dixit, Anagogicum Scripturarum ſenſum convenire *in homines vitali hac luce perfunctos, in quibus Carnis ſenſu motuque perfecte ſubjugato, ſolus Spiritus Regnum obtinet.*

Quod vero pertinet *ad Aretham*, vix alia illi mens fuiſſe potuerit, quum is Andreae Commentarios in ſuum paene transfuderit. Et profecto Cap. X. ad Apocalypſeos verba; *Et abjicientes Coronas ſuas*, IV. 10. haec ille adnotat: *Coronas miſiſſe ante thronum, victoriam prae ſe ferr, quemadmodum & nunc videre eſt in iis, qui vincunt certamina. Eſt porro inſigne Regni Corona. Quid igitur aliud iſti, Coronas ſuas ante Thronum mittendo, indicant, quam quod certum ac verum Regnum, & contra omnes obtentam victoriam, Deo ſuper omnia referunt? dicentes: Tibi, Domine, ab omnibus gloria debetur &c.* Qui haec ſcribit, num ſuſtinere in poſterum poterit, Animas Sanctorum nunc in *Hade* (ſi locum hunc extra Caelum ſtatuas) concludi, ibique Gloriam exſpectaturas, uſquedum tandem adveniat in gloria Judex vivorum atque mortuorum? Non eſt mihi Graecus hujus Scriptoris textus, ut diligentius expendam, quae is addit ad verba, nuper a Burneto producta. Certe in verſione, aliequi parum concinna, Maximi Florentini Monachi, edita Tom. IX. Bibliothecae Patrum, iſta ſubſequuntur: *Non oportet eos, qui libere*

*& cum*

*& cum ſplendore fiducialiter Chriſtum confeſſi ſunt, lugere. Ob quam etiam confeſſionem e corruptibili hoc Mundo exire viriliter ſubſtinuerunt, quique Nunc ad Vitam Incorruptibilem & Jocundam appulerunt, perinde ac ſatietate hujus accepta, evulſionem ex ſatietate acceperint.* Tenebroſa ſunt poſtrema haec, uti & ſubſequentia, quae propterea praetergredior, aliiſque in Graeco textu expendenda relinquo. Ad haec Arethas Cap. XXII. ad illa verba: *Et ſteterit ſuper Altare*, inquit: *Altare hoc Chriſtus eſt, in quo omnis adminiſtratoria* (deſt Angelorum) *Sanctaque* (nempe Sanctorum) *conſiſtit Synodus, ac Martyrum victimae offeruntur.* Atque hinc diſce, quid ſit apud Arethan, *ſub Altari*. Et revera *Altaris* nomine deſignatum Dominum, non pauci alii tradiderunt. Tradidit etiam Andreas Caeſarienſis, de quo nuper egimus. Tum Cap. XXXIX. ad verba: *Hi ſunt, qui ſequuntur Agnum*, Martyres laudat praelaudatus Arethas, inquiens: *Qui proprii ſanguinis effuſione, hac ratione, ut ab ipſo poſſideantur, aſſequuti ſunt. Enimvero quemadmodum Gloriae Manſiones variae ſunt, ita & Supplicii. Propterea etiam dictum eſt, unumquemque propriam accipere Mercedem ſecundum laborem ſuum.* Lucidiora ſunt, quae idem Scriptor ſub finem Cap. XLII. differit ad illa verba: *Amodo jam dicit Spiritus. In hunc modum*, ait, *conſtructio eſt facienda. Spiritus dicit: Scribe, amodo, perinde ac certantes inungens, pollicitatione videlicet, quod ceſſatura ſint ea, quae illis laborioſa ſunt; ipſi vero Bona illa Ineffabilia aſſequuturi ſunt. Simul atque enim e medio ſublati fuerint labores, Operum Retributio inducetur.* Ergo ſtatim poſt mortem agnovit Arethas *Retributionem*, hoc eſt Praemium & Gloriam Juſtorum. Gemina idem Scriptor tradidiſſe videtur Cap. LV. ubi ait: *Quod vero poſt Lamentationem converſio facta ſit ad Laetitiam, nequaquam eorum, qui in Mundo ſunt, Canticum eſt; ſed Caeleſtium* (utpote deleto jam loco, *ubi eis decertare contigerat*) *qui in typo victoriae Corona redimiti fuerant, ſive Prophetae, ſive Apoſtoli, ſive Sancti, ſeu Pontifices, & ſi quis alius ſupereſt eorum Coetus, qui Deo placuerint, Gaudii numquam expungendi deinceps participes facti ſint, indefeſſa & tranquilla Apud eum digni habiti Vita, qui numquam non juſte judicare novit, hoc eſt, laborum Rependere Praemia.* Praeterea Cap. LXI. de Sanctis loquitur Dei amicis, qui *ex quo neque capti ſunt, neque per impudentiam, neque per operâ mala inſigniti, merito cum Chriſto & vixerunt, & Regnarunt, idque uſque ad conſummationem.* Quei ergo contra nos proferatur Scriptor iſte, non aſſequor. Demum accipe quid Archiepiſcopus idem Caeſarien-

rienſis (ſi tamen idem eſt) in Oratione, a Surio edita ad diem XV. Novembris, dixerit de Sanctis Martyribus Samona, ac ſociis. *Conjuncti ſunt cum Angelis. Tranſierunt ad Agonotheten* (ideſt certaminis Arbitrum) *Chriſtum, ſudore adhuc ſanguineque ob exhauſtos in ſtadio labores, certaminaque madentes. Porrigit eis dexteram egregius Muneravius, ſuoſque Athletas in Aeternis Tabernaculis collocat. Sed quae ſunt haec? Nempe ubi, quod ſuum eſt, unicuique Praemium pro merito Tribuitur. Et cujuſmodi hoc, ſcire forſaſſe deſideras? Ejuſmodi nimirum, cui ſimile nullum tam ante Legem, quam in Lege quis poſſit oſtendere &c. Talis beatis viris curſus fuit; tantus labor; hujuſmodi in terris periculum; hujuſmodi Praemia celeberrimorum horum laborum.* Si idem eſt Arethas iſte cum eo, qui Apocalypſin interpretatus eſt, ipſum fatentem habemus, Martyrum Animas ad beatificum Chriſti Domini adſpectum deductas, Praemio donatas, poſitaſque jam in aeternis Tabernaculis. Quod ſi alter eſt, Presbyter tamen ejuſdem Caeſarienſis Eccleſiae, aetate junior, nihilo ſecius inde diſcimus, quae ſententia vigeret in Eccleſia illa de Beatitate Sanctorum.

Ad *Oecumenium* quod attinet, is Graecus Auctor, & quidem incertae aut inferioris aetatis fuit. Quod & ipſe Apoſtolos *irremuneratos noſtram exſpectantes miniſtrationem* dixerit, Apoſtoli locum ad Hebr. XI. 39. prae oculis habens, Burnetus illius auctoritate utitur. Sed ſupra non ſemel oſtendimus (ſemperque repetendum eſt) *Conſummationis* vocabulo deſignari Reſurrectionem Carnis, & abſolutam perfectamque Beatitudinem, quam quilibet Juſtus exſpectat, quum tamen interim Sanctorum Animae in Caelis Beatae requieſcant. Et ſane Oecumenius ipſe in Cap. IX. ad Hebr. agnoſcit *in Paradiſo*, atque in Caeleſtibus deliciis jam partam piorum Spiritibus Beatitatem, quum veteres Patres a Chriſto in Caelum devectos affirmat. *Theophylactus* quoque accedat, qui, uti Burnetus poſt tot alios animadvertit, eundem Pauli locum exponens, ſcripſit, *nondum Sanctos aſſequutos eſſe Caeleſtium Bonorum promiſſiones*. Norunt Eruditi, floruiſſe & ſcripſiſſe Theophylactum Achridiae Archiepiſcopum circiter Ann. Chriſti MLXX. atque adeo poſterioris aetatis Auctorem eſſe, & in Graecorum Schiſmate enutritum: quare ſi ejus auctoritati multum deferre nollemus, nefas minime foret. Quanquam & ipſe nihil aliud tradidit, niſi quod nuper innuimus de Carnis Reſurrectione, & perfecta plenaque Sanctorum Gloria ad poſtremi Judicii diem reſervata, quo Corpora Animabus ſociabuntur. Nam quae ibi Theo-

philactus adnotat, e Chrysostomo pro more depromsit, a quo jam vidimus apertissime tradi Animarum Beatitatem, etiamsi nondum advenerit Corporum Resurrectio. *Non dixit* (verba Theophylacti sunt) *ut non Coronarentur, sed ut non Consummarentur. Proinde tunc Perfecti videbuntur. Praeterea jam Nunc arrhabonem & pignus Honoris habent. Unde enim eis potestas esset, ut succurrere queant invocantibus se? unde ipsis, quod fiduciam intercedendi habent?* Propterea idem Theophylactus Enarrat. in Cap. VIII. ad Roman. illam appellat *Perfectam Gloriam, quae est in incorruptibilitate Corporis*. Laudatur etiam Burneto alter ejusdem Scriptoris locus ad Cap. XXIII. Luc. ubi Christus Latroni Paradisum pollicetur. En Theophylacti verba: *Latro igitur Paradisum assequutus est, non autem Regnum Caelorum; assequetur autem, quando & ceteri omnes, quos Paulus enumeravit. Interea Paradisum habet impraesentiarum, spiritalis quietis Regnum.* Sed justa causa succensendi Burneto est, qui in hoc etiam loco suis Lectoribus illudit, dum Theophylacti mentem, & quae pluris facienda erant apud illum, perverso consilio praetermittit. Haec enim ex aliorum tantummodo opinione Scriptor ille retulit; sed quaenam postea sententia sibi probetur, deinde aperit, inquiens: *Haec quidem multi saepe numero dixerunt. Dicendum autem est, IDEM ESSE REGNUM CAELORUM ET PARADISUM. Nihil prohibet ergo, & Dominum vera dicere & Paulum. Nam Latro quidem est in Paradiso, hoc est in Regno, & non solus ipse, sed etiam Omnes, quos enumerat Paulus. Alioquin non frueretur perfecta Bonorum participatione. Nam sicut condemnati, in Regnis non sunt, sed in custodiis clausi tenentur in deputatis poenis; honorabiles vero & in Regna ingrediuntur, & nunc in eis versantur: deinde quum venerit tempus distributionis Regalium donorum, illa assequuntur; ita & Sancti, tametsi nondum Perfecte Bonis fruantur, jam tamen in locis lucidis & fragrantibus, & Regiis denique Tabernaculis, etiamsi distributionem Regiorum Bonorum nondum Perfecte assequantur. Ita & Latro in Paradiso fuit, etiamsi nondum Perfecte acceperit, ut ne absque nobis Perfectus, sive Consummatus sit. Et hoc opinor Verissimum omnium. Paulus autem Promissionem dicendo, Integram Felicitatem posuit. At illam nondum Integram acceperunt; & sunt in Regno ac Paradiso.* En lucidissime expressam Catholicae Ecclesiae sententiam. En ut hic locus superiorem Arethae, Oecumenii, atque ipsius Theophylacti locum explicat. Quare laudet qui potest Burnetum haec dissimulantem, ac satis prodentem, quanti apud se esset Veritatis amor. Praeterea

terea Theophylactus Enarrat. in Cap. V. Secundae ad Corinthios, locum Apostoli: *Audentes autem & scientes, quoniam, dum sumus in Corpore, peregrinamur a Domino &c.* eadem ratione interpretatur, qua & nos supra faciendum ostendimus; ideſt: *Valde desideramus exuere Corpus hoc, atque esse cum Domino. Non dixit, desideramus Immortalitatem adsequi; verum, quod praestantius est, cum Domino esse. Id enim plus est, quam Immortalitas.* Ita Enarrat. in Cap. I. ad Philippens. exponens Pauli locum; *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum*, ait: *Christum confitetur sibi esse Vitam. Mori autem lucrum est, quia tunc apertius cum ipso versabor. Lucrum itaque mihi praebebunt, festinantes me ex hac vita ejicere, Christo, qui est vita mea, me allegantes &c.* Quod si Theophylactum consulimus Enarrat. in Cap. XVI. Luc. quid sit *Sinus Abrahae*, continuo assequemur; inquit enim: *Sinum autem Abrahae vocant complexionem*, sive *comprehensionem*, (τὴν περιοχὴν) *Bonorum, quae reposita sunt Justis, qui a tempestate hujus mavis ingrediuntur in Portus Caelestes: quoniam & in mari Sinus appellamus loca portubus & quieti apta.* Hanc sententiam a Gregorio Nysseno in Lib. de Anim. & Resurrect. didicit Theophylactus. Eandem quoque tenuit alter Graecus Scriptor Theophanes in Homil. VIII. ubi Sinum Abrahae non corporaliter accipiendum esse, sed quidem *bonum Animae statum, in quo Verbum* (scilicet Christus divina sua praesentia) *Justos reficit ac recreat. Itaque Immensorum Bonorum demonstrationem Sinus nomine indicat, ad quem omnes, qui vitae hujus navigationem cum virtute conficiunt, postquam hinc solverunt, velut ad tranquillum Portum Animas appellunt.* En ergo quam infaustis avibus ad Theophylactum se contulerit Burnetus, ut inde suffragium somniis suis peteret; & quam nullo jure Graecos Scriptores jactitarit veluti in suis castris militantes. Habemus heic praeter alios hactenus productos Theophylactum a nobis stantem, cui Theophanem quoque adjungendum cernimus.

*Euthymii Zigabeni* Graeci hominis Commentarios ad idem Cap. XXIII. Lucae, Burnetus subinde laudat, ubi Scriptor ille haec habet: *Latro ignorans, quod esset ejus Regnum, non ad determinatum aliquid & cognitum fecerat petitionem; sed solum per hujusmodi petitionem precabatur, ut Bonum aliquod consequeretur. Christus vero sciens ejus intentionem, promisit quod illi omnium optatissimum videbatur. Noverat enim Latro Paradisum e doctrina Mosaica. Et tunc quidem dedit ei conversationem in Paradiso, tamquam arrhabonem Regni sui, quod est fruitio ineffabilium ac aeternorum Bonorum, quae*

*oculus non vidit, &c. Nondum enim quisquam Justorum accepit promissionem, veluti magnus docuit Paulus. Postmodum vero & hoc tradet Regnum tempore universalis Retributionis.* Floruit Euthymius, ut omnes norunt, Anno Christi MCXVI. temporibus scilicet illis, quibus nemo sane nostrum veram Ecclesiae doctrinam expiscatum eat in Graeciam, posthabitis venerandis veterum Saeculorum Patribus. Graeculi tunc post Schisma a Romana Ecclesia factum, in varias opiniones secedebant, suae quisque mentis arbitrium, non vero antiquam Ecclesiae Traditionem sectantes. Atque heic res poscit, ut aliquid innuam de eorum placitis ad statum Animarum pertinentibus. Erant enim inter eos, qui puram putam Burneti opinionem induisse videntur, Justis Beatitudinem tunc solum conferendam rati, quum quisque mortalium ad visibile Christi tribunal adstabit. Apud Canisium, atque in Tomo XXVII. Bibliothecae Patrum, editum habemus Anonymi Tractatum contra Graecos, Constantinopoli elaboratum Anno Christi MCCLII. in aedibus Fratrum Praedicatorum, tunc dominantibus Latinis. *Opinio eorum est*, scribit ille Anonymus, *quod neque in Paradisum bonae, neque in Infernum ante diem Judicii vadant Animae reproborum. Sequentes quemdam hujus Haereseos inventorem Archiepiscopum quondam Caesareae Cappadociae, Andream nomine* (de quo nuper egimus) *qui dicit, propria Corpora praestolari, ut cum eis, cum quibus bona vel mala commiserint, retributiones similiter factorum recipiant. Qui etiam ad confirmandam suam opinionem erroneam, auctoritatem Apostoli ad Hebraeos pro se introducunt, qua dicitur: Et hi omnes non receperunt repromissionem &c.* Ejusmodi errorem Anonymus ille impugnat, prolata auctoritate Chrysostomi, atque Athanasii, quem postremum putat auctorem Quaestionum ad Antiochum. Deinde vero miratur, quei potuerint Graeci illi deficere a majorum suorum sententia, quum vel in ipsis Templorum suorum picturis Angelos exhiberent, deferentes Animas Sanctorum in Caelum. *Unde*, subdit, *quomodo nunc ad tantam dementiam devenerint, ut dicant, defunctos nec Paradisi perfrui gaudiis, nec cruciatus Infernales pro varietate meritorum sustinere, nescimus, sed solum mirari possumus. Praesertim quum de hoc Populi aures repleant in Ecclesiis in officio suo frequentato. Dicunt enim de Martyribus sic: „ Famosissimi Martyres, vos terra non absorbuit, vel occultat, sed Caelum Susceptit; & intus existentes Ligno Vitae Remunerati estis: apud Christum intercedite „ &c. Item: „ Vos, qui pro Verbo passi „ estis usque ad mortem Athletae, Animas quidem habetis in Caelis „*

in

*in manu Dei „ &c. Item in eodem officio talia cantantur: " Chorus Sanctorum invenit fontem Vitae, Januam Paradisi „ &c. Item: " Per vos, qui praedicantes Agnum Dei, occisi estis ut oves, & ad „ Vitam, quae sine senio est, & Sempiternam transpositi estis. Hunc „ enim Agnum attentius, Martyres, petite, debitorum solutionem nobis „ impetrantes. „ Item in officio mortuorum talia pro Defunctis orant: Dona Requiem, Deus, famulis tuis, & ordina eos in Paradiso: ubi „ chori Sanctorum sunt, Domine, & Justi fulgent in Gloria. „ His ita se habentibus, quis eorum potest excusari de ignorantia?* Haec ille Anonymus. Suspicio tamen mihi oborta est, an is intime satis in illorum Graecorum opinionem penetrarit. Vix enim fieri potest, ut adeo impudenter ii abjecerint omnium ferme Theologorum doctrinam, qui concordes ab initio Ecclesiae ad nostra usque tempora tradiderunt, Improborum Animas post hanc vitam in eum Flammarum ac Tormentorum locum detrudi, in quo Divitis Evangelici Animam cruciari exploratum habemus; & glorioſos Martyrum Spiritus Beata Vita in Caelis donari. Nihil fortassis aliud Graeci illius aevi sentiebant, quam quod alii Scriptores, ut saepe vidimus, crediderunt, videlicet desiderari adhuc a Sanctis integram illam Beatitudinem, quae Justos in die Judicii manet.

Affinia tamen, immo pejora, sensit ante aliquot Saecula Armeniorum gens, Christi olim nomen professa. Catalogum errorum, quibus ille Populus imbutus fuerat, Benedicti XII. Papae cura scriptum circiter Annum Christi MCCCXXXV. publici juris fecit Dominicus Berninus Tom. III. pag. 508. Histor. Haeres. Ibi inter alia num. 7. haec leguntur: *Item quod dicti Armeni dicunt, quod Animae hominum adultorum, qui mortui sunt, vel morientur post Christi passionem, vadunt in aere, vel in terra, quae est juxta Paradisum terrestrem, vel alibi, ubi Deus ordinat ipsas manere, usque ad diem Judicii, sive sint Christiani, sive non. Nulla tamen Anima ipsorum vadit ad Infernum, vel Paradisum Caelestem, vel Terrestrem, usque ad dictum tempus Judicii &c. Item quod Armeni dicunt, quod animae puerorum baptizatorum, & Animae multum perfectorum hominum post generale Judicium intrabunt in Regnum Caelorum, ubi carebunt omni malo &c. Non tamen videbunt Dei essentiam, quia nulla creatura eam videre potest: sed videbunt claritatem Dei, quae ab ejus essentia manat, sicut lux Solis emanat a Sole, & tamen non est Sol. Et in dicta visione dictae claritatis erunt diversi gradus, ita quod perfectius dictam claritatem videbunt Angeli, quam quicumque hominum: &*

Pro-

*Prophetae & Apoſtoli*. Denique num. 9. haec ibi ſcripta leguntur: *Item de pueris non baptizatis, & de non perfecte juſtis hominibus, qui ſcilicet non pervenerunt ad perfectionem Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum, dicunt Armeni, quod poſt generale Judicium ibunt ad Paradiſum terreſtrem & non caeleſtem, ubi carebunt omni moleſtia corporali, & delectabuntur inter Ligna Paradiſi &c.* Si & hiſce Theologis uti in rem ſuam velit Burnetus, per me liceat. Sapientes profecto viri minime utentur. In tot errores ea gens declinavit, ut ſana Eccleſiae dogmata minime ſint inde ſperanda. Vide duas Invectivas Magni Armeniorum Catholici Iſaac adverſus ſui Populi errores, Anno, ut creditur, MCL. conſcriptas, atque a Combefiſio editas in Auctario Patrum Tomo I. Invaluit praeterea in aliorum Graecorum poſterioris aevi Libris altera opinio, Animas ſcilicet Juſtorum *in Paradiſum* recipi, at *Paradiſum* ſitum eſſe extra *Regnum Caelorum:* in quod poſtremum tantummodo immittentur, quum Chriſtus Judex in majeſtate veniens ad eos dixerit: *Poſſidete paratum vobis Regnum*. Opinionis hujus, a nonnullis de beato Latrone loquentibus propoſitae, mentionem fecit Theophylactus, uti nuper vidimus, eamque veluti ab ipſo Theophylacto adoptatam arripuit Burnetus: immerito tamen. Neque enim *Paradiſum* a *Regno* Scriptor ille ſejunxit. At Euthymius in eam conceſſiſſe videtur. Quod etiamſi demus, nihilo tamen ſecius inde continuo non ſequitur, Euthymium aſſentiri Burneti phantaſmatis. Nam ſive is in Caelo atque in Regno Caelorum *Paradiſum* ſtatuat, ſive illinc ipſum excluſerit: certum eſt, ſecundum Euthymii mentem *Paradiſum* fuiſſe Locum deliciarum, atque admirandae Felicitatis. Neque Loco illi Beatitatem defuiſſe, verba Domini perſuadent, dum Latroni dicit: *Mecum eris*. Propterea Euthymius addit: *Sed quomodo dixit: Hodie Mecum eris in Paradiſo? Quia tamquam Deus, qui replet univerſa, ubique ſimul erat, & in Sepulcro, & in Inferno, & in Paradiſo, & in Caelo*. Quod Dominus pollicitus fuit, inquiens: *Mecum eris*, idem ſignificat atque illud Apoſtoli, *Eſſe cum Chriſto*, & *Praeſentes eſſe ad Dominum*. Tu-ne beatam negabis Animam, quae poſita in deliciis Paradiſi, divina Chriſti praeſentia & Viſione illic perfruatur? Eundem quoque Scriptorem adi, ubi de Divite & Paupere Evangelico differit Cap. LIX. in Lucam, ubi ait: *Peccatores quidem Juſtorum vident fruitiones, quo magis doleant, videntes quibus privati ſunt Bonis*. Addit, *diviti additamentum Suppliciorum eſſe, videre Lazarum in tot Bonis*. Adfert etiam Gregorii Dialogi, ideſt Magni,

verba,

verba, ubi de Juſtis ſcribit: *Non dolent, quamquam compatientes ſint: tunc enim fugit ab eis dolor, moeror, ac gemitus, ut pure Laetentur.* Quibus coloribus Beatitudo Caeleſtis delineatur Apocalypſ. XXI. 4. Qui ergo ex ipſis Graecis *Paradiſum* a *Regno Caelorum* diſtinguere videntur, non ab hoc Beatitudinem Animarum Paradiſo adimunt, neque ipſum extra Caelum, neque extra Regnum locant, uti paullo antea nos edocuit Theophylactus. Nempe beatam Juſtorum vitam ante Judicium extremum nonnulli ſtatuebant in Paradiſo Caeleſti; integram vero & plenam Beatitatem in fine Mundi eis conferendam ſub nomine *Regni Dei* deſignare conſueverunt. Atque hoc idem Euthymius fortaſſis indicavit antecedenti Cap. L. in Lucam, ubi de Patrefamilias oſtium claudente agit. *Ipſe Chriſtus*, ait, *Paterfamilias intelligitur. Domus autem Regnum Caelorum. Per hoc ergo quod ſedet, & amicos Recipit, ſignificatur uſque ad Mundi conſummationem exſpectare, & eos, qui digni ſunt, Recipere. Per hoc vero, quod ſurgit, & oſtium claudit, finis Mundi denotatur.* Neque omittendum quod ipſe Euthymius ſcribit Cap. LVIII. in Matth. ubi ad Lucae verba: *Ideo & vos eſtote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis venturus eſt;* inquit: *De proprio autem fine dicunt quidam, quod unoquoque Chriſtiano moriente adeſt Dominus cum ſanctis Angelis, quando etiam rationem reddit Anima.* Quibus verbis confirmatam vides interpretationem, quam ſupra ad eum locum adhibuimus, & quam Theophylactus quoque laudat. Demum quaecunque fuerit Euthymii ſententia, nihil noſtra intereſt ſcire, quando brevi demonſtraturi ſumus a praeſtantiori veterum Graecorum, immo & recentiorum choro, non differri uſque ad finem Mundi Beatitatem Animarum Juſtarum: a quorum ſententia veri non videtur ſimile, Euthymium virum doctum diſceſſiſſe.

CA-

## CAPUT DECIMUMNONUM.

*Bernardi Claraevallenſis peculiaris opinio de Beatitudine Sanctorum. A qua tamen is receſſit. Catholicae ſententiae luculentus & ipſe adſertor plurimis in locis.*

ESTAT nunc *Sanctus Bernardus*, grande Eccleſiae Gallicanae ornamentum, quem poſtremum Sixtus Senenſis, Cardinalis Bellarminus, & alii, denique vero Burnetus, uti diſcordem a Catholicae Eccleſiae ſententia exhibuerunt. Ejus verba accipito. Sermone III. de omnibus Sanctis: *Adverteris*, inquit, *ni fallor, tres eſſe ſanctarum ſtatus Animarum. Primum videlicet in Corpore corruptibili. Secundum ſine Corpore. Tertium in Beatitudine conſummata. Primum in tabernaculis; ſecundum in atriis: tertium in domo Dei.* Et infra ſubdit haec alia: *In illam beatiſſimam Dei domum Animae nec ſine nobis intrabunt, nec ſine Corporibus ſuis, ideſt nec Sancti ſine plebe, nec Spiritus ſine Carne.* Sermone Quarto exponens Apocalypſeos verba: *Vidi ſub Altare Animas interfectorum*, haec habet: *Interim ſub Chriſti humanitate feliciter Sancti quieſcunt, in quam nimirum deſiderant etiam ſancti Angeli proſpicere, donec veniat tempus, quando jam non ſub Altari collocentur, ſed exaltentur ſuper Altare. Sed quid dixi? Numquid humanitatis Chriſti Gloriam non dicam hominum, ſed vel Angelorum aſſequi quis poterit, nedum ſuperare? Quonam igitur modo ſuper Altare dixerim exaltandos eos, qui nunc ſub Altari quieſcunt? Viſione utique & contemplatione, non praelatione. Oſtendet enim tunc nobis Filius, ut pollicitus eſt, ſemetipſum, non in forma ſervi, ſed in forma Dei. Oſtender etiam nobis Patrem & Spiritum Sanctum, ſine qua nimirum viſione nihil ſufficeret nobis.* Haec Bernardus: cujus ſane opinio de Humanitate tantum Filii Dei interim ab Animabus Juſtorum ſpectanda, peregrina cuicunque videbitur. Neque enim quiſquam antiquorum hactenus nobis occurrit, qui talia tradiderit. Verum ubi Lector non unum aut alterum Scriptorum locum, a ceteris avulſum (quae Burneti conſuetudo fuit) adſumat, ſed & reliqua colligat, & ſimul conferat: tunc eorum mens & conſilium probe elucebit. Id & nos experiamur: quo facto liquebit, ut ſpero,

nihil

nihil praeſidii Burneto collocandum fuiſſe in Sancti Bernardi verbis. Et primo praeclariſſimus Claraevallenſis Abbas diſerte teſtatur, ſecundum peculiarem Opinionem ſuam ea ſe proponere, quae nuper legimus: ſcilicet neutiquam contendens, hanc eſſe certam, eoque minus eſſe hanc Eccleſiae mentem. *De Altari illo Caeleſti* (inquit in exordio ejuſdem Sermonis IV.) *tempus eſt, ut jam dicamus, quod de eo nobis ſentire datum eſt, ſine praejudicio ſane, ſi cui forte aliter fuerit revelatum.* Et infra: *Altare ipſum, de quo nobis habendus eſt ſermo, ego pro meo ſapere nihil aliud arbitror eſſe, quam Corpus ipſum Domini Salvatoris.* Non ergo haec ſtata Bernardi ſententia. Quicunque ad ſacras Literas interpretandas ſe confert, nunc unam, cras alteram expoſitionem praefert; atque alias ſubinde etiam, ſi opus eſt, excogitat: ſed non ita comparatus eſt, quum de caliginoſis locis differere cogitur, ut firmiſſime in una conſiſtat; reliquorum vero ſententias ita veneratur, ut eas anteferri poſſe ſuae non dubitet. Itaque non plus deferendum opinioni Bernardi, quam ipſe voluerit: eoque minus cenſendum eſt, fuiſſe hanc ſententiam Eccleſiae, quum ſingularem ſuam ipſemet aperte appellarit. Tunc autem pendente adhuc poſtremo hac de re Eccleſiae decreto, nefas minime erat, quam quiſque vellet, opinionem tueri. Secundo, ne ipſe quidem ſanctus Abbas Beatitudinem Animabus Juſtis negavit tempore ipſo decurrente inter eorum mortem, & Reſurrectionem Corporum. Nam *Abrahae Sinum*, in quo *praeſens Sanctorum Requies*, ſine dubitatione credendum ait ſitum *in luce multa*, atque *in Caelo*. Addit, intueri ibi Sanctos *Humanitatis Chriſti Gloriam, in quam nimirum deſiderant Angeli ipſi proſpicere*. Paria dixerat Serm. I. in eodem Feſto omnium Sanctorum, de Chriſto inquiens: *Totus deſiderabilis, in quem non ſolum Populi, ſed & ipſi quoque Angeli ſancti deſiderant proſpicere. Nimirum hae ſunt deliciae Angelorum.* Vide heic, quanti effet Bernardo, Chriſti nunc in Caelis beatiſſimi Viſio atque Conſpectus. Infra quoque addit: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum Videbunt. Beati plane, & omnino Beati, qui Videbunt, in quem deſiderant Angeli proſpicere, quem Videre Vita Aeterna eſt.* Quibus verbis habuiſſe prae oculis Bernardus videtur Salvatorem dicentem Joann. XVII. 24. *Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ſum Ego, & Illi ſint Mecum, ut videant Claritatem meam, quam dediſti mihi.* Idem eſt *Claritas* atque *Gloria:* hanc autem conſpicere *Beatitudo* eſt. Atque hanc ipſam Beatitudinem rurſus agnovit Bernardus Sermon. II. in Sanctorum Animabus ad Caelum transla-

tis; nondum tamen perfectam neque consummatam dicit (quod & nos fatemur); exspectanda quippe consummatio est post Resurrectionem Carnis. Sunt haec ejus verba: *Operae pretium puto de communi Sanctorum omnium Felicitate, in qua Beata jam Requie perfruuntur, & futura, quam praestolantur, Consummatione, sermonem facere &c.* Propterea infra inquit: *Consummato militiae tempore gaudium habent Sancti etiam in spiritu suo &c. Conversatio nostra IN CAELIS est. Verumtamen non sic nostra, sicut ipsorum. Ipsorum enim substantia IBI est; nostra autem desideria. Ipsi per PRAESENTIAM, nos per memoriam IBI sumus.* Itaque de Sanctis vita functis testatur dictum a Joanne in Apocalyps. XIV. 13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur &c. Licet non plenam, habent tamen laetitiam multam in corde suo, donec veniat dies illa, qua implebit eos laetitia cum vultu suo &c. Quanta est Felicitas eorum, quam immensa Laetitia! Longe aliter afficiuntur in hujusmodi meditationibus, & multo amplius delectantur, quam nostra aut cogitatio capere, aut explicare queat oratio. Audi enim, quomodo laboret Propheta inculcans & multiplicans verba, nec tamen sic digne magnificare valens quod intendit: Quam magna, inquit, multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te! Quid tamen addidit? Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum. Est ergo multitudo dulcedinis* (in praesenti videlicet Justorum Gloria) *quae abscondita est, Magna quidem, & Magna Valde, necdum tamen Perfecta; quoniam in manifesto Perficietur, non in abscondito, quando non sub Altari requiescent Sancti, sed super thronos tamquam Judices residebunt.* Perfectionem igitur caelestis Felicitatis statuit Bernardus in resumtione Corporis glorificandi, quum tamen interim ineffabilis Gloria non desit Justorum Animabus. *Neque enim* (ait ille Sermon. III.) *praestari decet integram Beatitudinem, donec sit homo integer, cui detur. Acceperunt tamen Justi jam singulas stolas; sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur & nos. Stola prima ipsa est, quam diximus, Felicitas & Requies Animarum; secunda vero Immortalitas & Gloria Corporum.* Propterea addit, Sanctos exspectare *Carnem*, quia *ipsorum sine ea compleri Laetitia, perfici Gloria, consummari Beatitudo non potest. Adeo siquidem viget in eis desiderium hoc naturale, ut necdum tota earum affectio libere pergat in Deum.* Haec ex Augustino Bernardus. Quae is deinde subdit, Visionem Dei ipsis Animabus concessam indicare videntur. *Unde*, ait, *& beatus Joannes, qui multa nobis de eo statu, in quo feliciter beatae Animae Requiescunt, per spiritum reseravit.*

*ravit. Sine macula, inquit, ſunt ante Thronum Dei. Sine macula, inquam, ſed necdum ſine ruga, donec veniat dies, quum ſibi gloriosam Chriſtus exhibebit Eccleſiam.* Confer iſta cum Burneti opinione, quae Sanctorum Animas ad vilem ſomnum & *inactionem*, eamque neſcio quibus in latibulis extra Caelum damnat; atque an cum illo Bernardus faciat, extemplo decernes.

Quod tamen praecipuum eſt, perpenſo accuratius hocce argumento, ſimulque conlatis tot aliis ejuſdem ſancti viri locis, neceſſe eſt decernere, aut non eam, quae primo adſpectu videtur, fuiſſe Bernardi opinionem, aut ipſum ab ea meliori conſilio receſſiſſe. Eum quippe alibi, immo & in ipſis Sermonibus de Feſto omnium Sanctorum, habemus cum Eccleſiae Catholicae doctrina omnino concordem. De *Martyrum praerogativa* loquitur ille Sermon. I. de eodem Feſto. Hos ſine mora in Caeleſtem Beatitatem immiſſos, in Eccleſia Dei creditum ſemper fuiſſe, ad ſatietatem uſque oſtendimus. Non alia fuit Bernardo ſententia, qui de iis a Domino pronuntiatum ait. *Gaudete in illa die & exſultate: ecce enim Merces veſtra Copioſa eſt in Caelis.* Immo Bernardus tantae etiam ſortis participes facit voluntariam paupertatem pro Chriſto amplexos. *Verumtamen*, inquit, *quid ſibi vult, quod eadem promiſſio facta eſt Pauperibus & Martyribus, niſi quia vere Martyrii genus Paupertas voluntaria eſt? Beatus vir, ait Propheta, qui poſt aurum non abiit &c. Denique propterea Pauperibus pariter & Martyribus Regnum Caelorum promittitur, quia paupertate quidem emitur, ſed in paſſione pro Chriſto ABSQUE OMNI DILATIONE percipitur.* Tum Sermon. V. de eodem Feſto Martyres primo commemorat, *qui poſt multos agones jam NUNC TRIUMPHANT IN CAELIS CORONATI.* Duplex etiam Sanctorum genus agnoſcit, e quibus alii verſentur in Caelo, alii adhuc in terra decertent; *alii quidem ſecundum Conſummationem Sancti vocentur, alii juxta ſolam adhuc praedeſtinationem.* De poſtremis dictum ait: *Timete Dominum, omnes Sancti ejus.* De jam Conſummatis, & in patriam receptis ſubdit: *Longe aliter Beati, in quibus jam perfecta Caritas foras miſit timorem; nec jam timent ambulantes in viis, ſed laudant potius habitantes in Domo, ſicut idem ait: Beati, qui habitant in Domo tua, Domine: in ſaecula ſaeculorum laudabunt te;* Hoſce autem tuto laudari poſſe inquit: *ſiquidem non eſt quod laudare vereamur veriſſime certiſſimeque laudabiles: non eſt, quod glorificare cunctemur ſic ABSORPTOS IN GLORIA, ut noſtra omnino nequeant laudatione moveri.* Eos quoque ita *in laudem Creatoris intentos*

*tos & exentos, in quo nimirum* TOTA EIS REPOSITA EST BEATITUDO, *ut mutuis numquam vacare laudibus possint*. Infra eloquentissimus, simulque Dei amantissimus Abbas, prae oculis, ut reor, habens Sancti Cypriani Opusculum de Mortalitate, nos urget ad conquirendum in beatissima illa vita Sanctorum consortium. *Conversatio nostra*, inquit, *in Caelis est; verumtamen non sic nostra, sicut illorum. Ipsorum enim substantia ibi est; nostra autem desideria. Ipsi per Praesentiam; nos per memoriam ibi sumus. Quando & nos addemur ad Patres nostros? quando essentialiter praesentabimur eis? Hoc enim primum desiderium, quod in nobis Sanctorum memoria vel excitat, vel incitat magis, ut eorum tam optabili societate fruamur, & MEREAMUR CONCIVES ET CONTUBERNALES ESSE SPIRITUUM BEATORUM, misceri coetui Patriarcharum, cuneis Prophetarum, senatui Apostolorum, Martyrum exercitibus numerosis, Confessorum Collegiis, Virginum choris: IN OMNIUM denique colligi & collaetari COMMUNIONE SANCTORUM*. Haec Bernardus, admirandi ingenii vir raraeque sanctitatis, antiquis Patribus aetate longe minor, merito autem & eloquentia illis profecto aequandus. Sed percontaris-ne, an Sancti in Caelo degentes, beatifica Dei Visione donentur? Aures eidem Bernardo praebe, qui infra ait, quaerendum nobis esse Deum in jejunio & fletu; non ita vero Sanctis, qui jam *transierunt ex hoc Mundo ad Patrem; nam de illis dictum fuit: Justi epulentur in Conspectu Dei & delectentur in laetitia & exsultatione. Qui nondum Justus est, nonnisi in jejunio & fletu Eum reperiet. JUSTUS autem, qui JAM CONSPECTUM MERUERIT, non qui adhuc vivat ex fide, in laetitia & exultatione*. Pergit infra dicere: *Equidem utrisque est Caput unum, sed non uno modo membris omnibus exhibetur. Quibusdam enim ostenditur caput hirsutum spinis, inclinatum in Cruce, ut humilientur pariter & compungantur. Quibusdam glorioſum apparet, ut ab ipso glorificentur, ut in ipso glorientur, facta ei similia, QUEM VIDENT, SICUTI EST*. Num clariora de sententia illius documenta desideras?

Neque suspicio alicui oboriatur, tribui a Bernardo tam grandem praerogativam Martyribus unis. De reliquis etiam Sanctis id ille certissimum censuit. Anno Christi MCXLVIII. hoc est quatuor aut quinque ante ipsius Bernardi obitum Annis, ad meliorem vitam pertransiit in Claraevallensi Coenobio Malachias Episcopus in Hibernia. Amicum, sanctumque virum geminis Orationibus laudavit Bernardus, in quarum prima eum inquit *evocatum ad Caelestе Palatium, jam*

Con-

*Concivem Sanctorum, & Domeſticum Dei;* de quo dictum fuit: *Quum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce Hereditas Domini.* In altera de ipſo ait: *Dilectus a Deo & hominibus, non immerito hodie Malachias in Conſortium Angelorum recipitur, re adeptus, quod nomine dicebatur. Et quidem ante Angelus erat non minus puritate quam nomine; ſed nunc felicius glorioſi in eo interpretatio nominis adimpletur, quando PARI CUM ANGELIS GLORIA ET FELICITATE LAETATUR.* Addit infra: *Sanctus Pontifex hodie per ſemetipſum introivit ad Altare Dei, ipſe hoſtia & Sacerdos. Aſſumtus & in Sanctam Civitatem, & pergit TOTUS IN DEUM, & ADHAERENS ILLI, unus eſt cum eo ſpiritus in aeternum.* De illo quoque ad Fratres in Hibernia ſcribens Epiſtol. 374. ait: *Praevenit nos ad Patrem ſpirituum Spiritus Patris noſtri.* Ejus vero Animam ſanctam alloquens, haec adjicit: *Abſit autem, ut tua nunc, o Anima ſancta, minus efficax aeſtimetur oratio, quando Praeſenti vividius ſupplicare eſt Majeſtati, nec jam in Fide ambulas, ſed IN SPECIE REGNAS. Abſit, ut imminuta, nedum exinanita tua illa operoſa Caritas reputetur, quum ad Fontem ipſum Caritatis Aeternae procumbis, pleno hauriens ore, cujus & ipſa prius ſtillicidia ſitiebas.* Qui ſtilum ſacrarum Literarum, & Eccleſiaſtici eloquii phraſes novit, in his habet diſertiſſimam Bernardi confeſſionem de *Viſione Dei*, Sanctis, ſimulatque ex hac valle emigrant, conlata in Caelis. Ita Sermon. XLII. de Diverſ. luculentiſſime depraedicat doctrinam Catholicae Eccleſiae, *tria loca* agnoſcens, *quae Mortuorum Animae pro diverſis meritis ſortiuntur, Infernum, Purgatorium, Caelum. QUI IN CAELO SUNT, GAUDIO GAUDENT AD VISIONEM DEI, Chriſti fratres in natura, coheredes in Gloria, ſimiles in aeternitate jocunda.* Eandem ſententiam ille confirmat Epiſtol. XCVIII. inquiens: *Noſtri autem Martyres cupiunt Diſſolvi, & Eſſe cum Chriſto: certi, ubicumque eſt corpus, illo ſine mora congregatum iri & aquilas. Mox inquam, IBI EXSULTANT JUSTI IN CONSPECTU DEI, & delectantur in Laetitia. IBI, IBI, benigniſſime Jeſu, IBI STATIM ut de hoc Seculo nequam SANCTUS QUISQUE eripitur, ADIMPLETUR LAETITIA CUM VULTU TUO. Una ibi vox jubilo reſonat ſempiterno, vox una exſultationis & ſalutis in tabernaculis Juſtorum. Nec putemus ſolos Martyres eſſe dilectos. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Non ſoli, qui pro Domino, ſicut Martyres; ſed & qui in Domino moriuntur, ſicut Confeſſores, profecto Beati Sunt.* Sic in Sermone de obitu Humberti Monachi, de ejus Anima haec habet: *Volat ad Creatorem*

*torem ſuum, quem tam ardenter concupierat*. Tum ipſum alloquens, *Ecce*, ait, *jam Coram Te Eſt, Pater dulciſſime, Fons ille Puritatis, quem tanto ardore ſitiebas: ecce immerſus es in illam divinae pietatis abyſſum, cujus memoriam abundantiae pietatis tam devote eructare ſolebas*. Sed potiſſimum adeas velim Sermonem II. in Natali Sancti Victoris Confeſſoris, ubi praeter alia multa de eo ſplendidiſſima ait num. 4. *JAM CAELOS INGRESSUS, quos & ante apertos beatis oculis ſuſpiciebat, VERE NUNC REVELATA FACIE SPECULATUR GLORIAM DEI, abſorptus quidem, ſed non oblitus clamorem pauperum. BEATA VISIO, qua in eamdem imaginem transformatur de claritate in claritatem, tamquam a Domini ſpiritu*. Sunt & alia id genus, quae ex melliflui Patris Libris excerpere quiſque per ſe poteſt: ego vero, ne nimius ſim, praetermitto. Sat lucis jam nobis eſt, ut merito affirmemus, aut a priore illa ſententia Bernardum meliora edoctum abſceſſiſſe; aut quum in ea fuit, nihil aliud ſignificare voluiſſe, niſi quod toties inculcavimus uti familiare antiquis Patribus: ſcilicet nunc quidem ad Beatitudinem & Viſionem Dei Sanctorum Animas Corpore ſolutas advolare, ibique ineffabili, ſed non perfecta Felicitate frui in Conſpectu Dei; ſed tum demum conſummandam, complendamque fore eorum Beatitatem, quum in fine Mundi mortale hoc induerit incorruptionem, & totus homo, qui Deo placuit, coronabitur. Neque conjecturis tantum rem ago. Sanctus ipſemet Bernardus ſuam hanc eſſe mentem alibi aperuit, hoc eſt Sermone LXXXVII. editionis Mabillonianae. Ibi de Contemplatione Dei differens, tres illius modos pro diverſo ſtatu temporum in Sanctis agnoſcit. *Et primo quidem*, ait, *vocatur cibus, ſecundo potus, tertio ebrietas. Prius comedunt, dum in Carne adhuc corruptibili degunt. Poſtmodum vero CORPORE EXUTI, ET IN CAELUM TRANSLATI, jam bibere dicuntur eadem, quae prius comederant; quia JAM PER SPECIEM CONTEMPLANTUR ſine labore, quae prius per Fidem crediderant, dum in Corpore poſiti peregrinarentur a Domino*. Manu jam tenes, a praeſenti Juſtorum Beatitudine minime Bernardum excluſiſſe Viſionem & contemplationem Dei, quae *per Speciem* fit. Verum haec ſancto viro in conſummatione Saeculi augenda, perficiendaque uberius creditur. Propterea ſubdit: *IN HOC ergo STATU poſiti SANCTI bibere quidem poſſunt, ſed inebriari non poſſunt: quoniam A PERFECTISSIMA CONTEMPLATIONE DIVINITATIS QUODAM MODO RETARDANTUR, DUM ADHUC RESURRECTIONEM CORPORIS IN FINE SAECU-*

*LI*

*LI PRAESTOLANTUR*. Hanc ſententiam, ut ſupra vidimus, antea tradiderat Auguſtinus: hanc Auguſtini ſtudioſiſſimus Claraevallenſis Abbas ſuam fecit. Proinde dicere pergit: *Reſurrectione facta, ita Corpus Menti, & Deo Mens inhaerebit, ut jam deinceps nihil ſit, quo ab interna ebrietate Contemplationis revocari poſſit*. Quamobrem nihil eſt, cur Burnetus, aut quiſquam alius, in praeſentem controverſiam invitum trahat Bernardum, quando eximium virum tot in locis habemus cum dogmate Romanae Eccleſiae prorſus concordem, ut is prae ceteris ſit teſtis veritatis ejuſdem, quam nunc inquirimus.

## CAPUT VICESIMUM.

*Praeſentem Juſtorum Beatitatem in Caelis agnoſcunt Sancti Baſilius Magnus, Gregorius Nyſſenus, Ephraem Syrus, & Gregorius Nazianzenus. Quid huc* Sinus Abrahae *fuerit.*

ATQUE hactenus quam parum, quam nihil valeant copiae, quas pro ſua opinione Burnetus in aciem eduxit, jam, ut ſpero, Lector animadverterit. Nunc interruptum iter repetamus. Complures jam vidimus ex antiquis Patribus in idem dogma aperte conſentientes, quod Eccleſia Catholica tuetur. Eos ipſos, quos pro ſe laudavit Burnetus, nobis potius, aut unis nobis, militare deprehendimus. Ad reliquos hactenus mihi inſalutatos, atque ad Saeculum a Chriſto nato Quartum ſpectantes, quos ille caute, ſive ſubdole declinavit, noſtra demum revertatur oratio. *Sanctus Baſilius Magnus* elogium Barlaami Martyris circiter Annum Chriſti CCCLXXII. contexens, exſultare Martyres inter tormenta ait: *Nam deſiderium felicioris vitae jugulationis dolorem extinguit. Pericula non reſpicit Martyr: Coronas reſpicit. Plagas non horret, ſed Praemia numerat*. Proſtat etiam ejuſdem ſancti Epiſcopi Homilia de Quadraginta Martyribus. Qualis ſpes foret in beatis illis Dei Athletis, ibi prodit; non praemii ad complura annorum millia differendi, uti Burnetus aevo noſtro venditat; ſed Praemii ineffabilis continuo poſt mortem accipiendi. Ad Imperatorem dona offerentem unus ex iis Martyribus dicebat: *Vides hoc Caelum ut aſpectu pulcrum, ut magnum; & Terram quanta eſt, quotve in ipſa mirabilia? Nihil horum, Juſtorum Felicitati ac Beati-*

*tudi-*

*tudini aequiparari poterit. Illa namque velociter transeunt: haec Perpetuo durant, Unam tantum justitiae palmam exspecto; circa unam Gloriam, quae in Regno est Caelorum, sollicitor.* Martyres autem hyberno frigori expositi hisce animos sibi addebant: *Acris est hyems, sed dulcis Paradisus: affligens Glacies, sed delectabilis Requies. Brevi tempore durantes, Sinus Abrahae nos Perpetuo fovebit. Unam noctem cum Aevo Sempiterno commutabimus. Aduratur frigore pes, ut eum Angelis Perpetuo tripudiet. Diffluat frigore manus, ut liberam facultatem habeat se AD DEUM attollendi. Fiat sacrificium nostrum coram te, Domine, & nosmet hoc saevo gelu immolantes, abs te Recipiamur.* Diligenter, quaeso, ista inter se confer: perspicies, sub variis nominibus, unum Regnum Caelorum a Basilio designari. Antea dixerat, Martyres istos jam translatos fuisse in *veram ipsorum Patriam* ac *Civitatem. Patria istorum Martyrum, Dei Civitas est, cujus auctor atque conditor ipse Deus, superna Hierusalem &c. chorus paratus, accessio magna eorum, qui a Saeculo Dominum glorificant; non sigillatim congregati, sed acervatim translati.* Heic autem beata Civitas appellatur *Paradisus, Requies, Sinus Abrahae, Angelorum* consortium, & *apud Dominum* habitatio. Atque illuc, mox ut certamen confecere, invicti Martyres deducti. Uni autem ex iis generosa mater adstans ajebat: *O nate, perfice cum tuis contubernalibus iter beatum, ne unus desis illorum choro, ne reliquis serius DOMINO PRAESENTERIS.* Quamobrem Basilius, postquam in peroratione eos appellavit *legatos APUD DEUM* potentissimos, ita ad eos conversus ait: *Vos non terra contexit, sed CAELUM EXCEPIT. Apertae sunt vobis PARADISI portae; dignum profecto exercitibus Angelorum, Patriarchis, Prophetis, & Justis omnibus spectaculum.* Paria tradidit illustris ille Caesariensis Ecclesiae Antistes in Elogio Sancti Gordii Martyris, miram ejus hilaritatem in adeundo tormenta referens, utpote qui *non lictorum, sed Angelorum manibus sese committeret, qui Statim post mortem, veluti olim Lazarum, assumtum eum AD CAELUM deferrent.* Porro certum est, ceteros quoque Justos Basilii aevo per similitudinem nomine Martyrum fuisse donatos, ideoque & illos ad grandia in Caelis Praemia admissos, communi Patrum consensu existimatum fuisse.

Basilio magno frater fuit, aetate quidem, sed non eruditione, sanctisque moribus minor, *Gregorius Episcopus Nyssenus*, qui circiter Annum Christi CCCXCV. ad Superos evocatus fuit. Legitur ejus Oratio, de magno Martyre Theodoro, ubi postquam ait, ipsum

*prae-*

*praeclaro ac beato itinere ABIISSE AD DEUM*, eundem hiſce verbis alloquitur: *Sive in ſublimi aethere habitas, ſive per caeleſtem aliquem circulum verſaris, aut in choros Angelorum cooptatus DOMINO ADSISTIS, aut cum Virtutibus & Poteſtatibus, ut ſervus fidelis, Adorationis officio fungeris: parumper ab iis officiis vacationem deprecatus, veni ad hos, qui te honorant &c.* Luculentius quoque, non de Martyre, ſed de Confeſſore loquutus eſt idem ſanctus vir in Oratione de Sancto Ephraem Diacono Edeſſeno, ſynchrono ſuo, utpote qui eodem Saeculo Quarto inclinante ad meliorem vitam a Deo fuerat accitus. Inquit enim Cap. VIII. *Ad tranquillum AETERNI REGNI PORTUM feliciter emigravit, ſanctaque ac Deo grata acceſſione numerum Beatorum, qui ab initio fuerant Saeculi, cumulavit. Nam IN CAELESTIBUS ANIMA ipſius conſedit TABERNACULIS, ubi Angelorum ſunt ordines, ubi Patriarcharum populi, ubi Martyrum gaudium, ubi Piorum laetitiae, ubi Doctorum ſplendor, ubi celebres Primogenitorum coetus, ubi purae exſultantium voces, ubi illa Bona patent, in quae Angeli proſpicere cupiunt. In ſanctum illum locum feliciſſima beati clarique Patris Ephraem Anima pervenit. Arbitror vero, quum IN CAELUM ipſe aſcenderet, ſingulas, quas in hac vita excoluerat, Virtutes praceſſiſſe; ac res illas reconditas & ſpecioſiſſimas, quae mortalibus cerni nequeunt oculis, demonſtraſſe.* Orationem denique hiſce verbis concludit. *Tu autem divino jam ADSISTENS ALTARI, VITAEQUE PRINCIPI, ac ſanctiſſimae una cum Angelis ſacrificans TRINITATI, omnium noſtrum memineris, veniamque nobis peccatorum impetra.* Non ergo, is ambigebat, an Sanctorum Animae in Caelo verſarentur. Communis quoque ſententia erat, eas cum Patriarchis, Apoſtolis, & Martyribus ſociatas, praeſentia Dei, atque illius ineffabili Viſione beari, atque invocari, ac pro nobis intercedere poſſe. Dubium tantummodo erat, quem locum in Caelis occuparent. Non enim unum Caelum, ſed plures ſtatuebant, e quorum tamen ſingulis conſpiciebatur Divina Majeſtas, aut ibi praeſens erat ac viſibilis Divinitas, propior uni quam alteri, donec adveniente Saeculi conſummatione in ſummum Caelum conſcenderent, aut ſaltem conſummata & plena fieret, varia tamen pro meritis, omnium Beatitudo. Propterea Nyſſenus idem in Elogio Sanctae Macrinae ſororis ſuae, eam nobis exhibet in poſtrema aegritudine exſultantem, quod nimirum *ad Sponſum Caeleſtem, quem deſiderabat, feſtinans, corporis vinculo liberata, Celeriter ipſum conveniret.* Neque praetermittendum eſt, eidem ſancto Praeſuli unum atque

idem fuiſſe Divinitatis Regiam. Paradiſum, ac Caeleſtem Hieruſalem. Ejus verba ſunt Oration. I. in Refurrect. Chriſti: *Quod ſi quaeris, quomodo in Paradiſo ſe Patris manibus Chriſtus commendarit, tibi ſublimis Iſaias reſpondebit de Caeleſti Hieruſalem, quam Nihil Aliud niſi Paradiſum eſſe credimus, ex Dei perſona: Deſcripſi muros, inquiens, tuos in manibus meis. Quare ſi Hieruſalem, hoc eſt Paradiſus, in manibus Patris deſcripta eſt, conſtat, eum, qui in Paradiſo ſit, in Patris manibus, in quibus deſcriptionem habet Divina Civitas, commorari.* Dilucidius quoque mentem ſuam alio in loco Nyſſenus aperuit, nempe Oratione conſolatoria in funere Pulcheriae: *Igitur*, ibi inquit, *ſi a te puella migravit; attamen ad Dominum recurrit. Tibi oculum clauſit; verum Sempiterno Lumini aperuit. A tua menſa diſceſſit; ſed ad Angelicam adjuncta eſt. Hinc eſt avulſa planta; verum IN PARADISO conſita eſt. A REGNO IN REGNUM translata eſt. Purpurae florem exuit; at Caeleſtis Regni amictum induit.* Ita Nyſſenus de Imperatoris filia; qui & heic ſine ambagibus Paradiſum accipit pro Regno Caelorum. Infra addit: *Doles, quod illa corporis pulcritudo non amplius videatur. Non enim veram illius Animae pulcritudinem intueris, quae nunc in feſto conventu Caeleſtium exſultat.* Ὡς καλὸς ἐκεῖνος ὁ ὀφθαλμὸς, ὁ ΤΟΝ ΘΕΟΝ ΒΛΕΠΩΝ. *Quam ille pulcher oculus eſt, QUI DEUM ASPICIT!* Certum eſt ex hoc loco, Viſionem Dei Juſtorum Animabus a Nyſſeno tribui. Eundem quoque conſule in Vita Sancti Gregorii Thaumaturgi: neque enim plura addere opus eſt.

Sed quandoquidem facta mihi nuper fuit *Sancti Ephraem Syri* mentio, quem Baſilius & Nyſſenus viventem mirum in modum ſuſpexerunt, mortuum vero circiter Annum Chriſti CCCLXXIX. uti jam dixi, Nyſſenus laudavit: ipſum quoque admirabilem tum ſanctitate, tum doctrina virum, de praeſenti controverſia ſcifcitemur. Is ergo Libro Primo Cap. I. de Beatitud. Animae, *Beatus*, ait, *qui invenerit fiduciam in hora exitus ſui, quando Anima ſeparatur a Corpore. Venient Angeli aſſumere Animam, & perducent eam ante tribunal immortalis & metuendi Judicis.* En peculiare atque occultum Animarum Judicium. Subdit Ephraem: *Grandis timor eſt, fratres, in illa hora mortis, & ſeparationis Animae a Corpore. Adſiſtent enim tunc ipſi Animae opera ejus, quae die noctuque bona & mala geſſit.* Denique addit: *Sancta Anima, quum ſeparatur a Corpore, non timet, nec metuit; ſed magis gaudens, cum fiducia pergit AD DEUM, evecta officiis Angelorum.* Quemnam vero in locum evehantur Juſtorum

Ani-

Animae, dic, rogo, amantiſſime Dei Ephraem, & amoris erga Deum ferventiſſime praeco. Reſpondet ille in Sermone ad Monachos de Sanctis Patribus, qui requieverunt: *Deus valde eos diligens, collegit eos in Portum Aeternae Vitae, Gaudiumque Sempiternum, quo illi exſultant INTER PARADISI DELICIAS, IN CAELESTI THALAMO immortali SPONSO CONJUNCTI. Nam cum gaudio ingenti hinc migraverunt, PROFECTI AD DEUM, habentes ſecum paratas lampades ſuas.* Horruiſſet, puto, celeberrimus ille Aſceta, ſi Burnetum aliquem audiſſet, inconſulte adeo in miſeram conditionem & ſomnum detrudentem Piorum Spiritus poſt mortem. Longe profecto alia tunc erat hac de re Patrum ſententia atque Traditio, cui aequius nunc noſtram & nos accommodabimus, quam inanibus Novatorum inventis. Rurſus autem in Sermone de Laudib. Sanctor. Martyr. Ephraemum loquentem audiamus. *Vidiſti*, inquit, *alacritatem ingentem, Caeleſte Regnum tota fide quaerentium, Chriſtumque Regem ſuum omni affectu ambientium. Vidiſti cavitatem flagrantem in beatiſſimis pectoribus Martyrum, pro qua terrena cuncta ſpreverunt, ut Deum ſuum tenerent, quem dilexerunt. Vidiſti affectum Chriſti, quomodo a terra ſublimat exaltari cupientes. Vidiſti exſultantem Paradiſum amplecti & fovere ſui avidos milites Chriſti, in aeterna Luce ac pace gaudentes.* Infra ipſos alloquitur Martyres, *nunc familiarius cum Domino conjunctos*, ut pro nobis peccatoribus Dominum interpellare non deſinant. Tum Beatos illos depraedicat: *Nam preſſurae tempore, quum poenarum dolor augeretur, vos ante mentis oculos Paradiſum habebatis, vobiſcum iſta reputantes: Multiplicentur heic ſupplicia Corporis, ut illic in Paradiſo voluptatis propagetur & Requies. Quumque in altum ſe attollerent fluctuum montes, & moles undarum per ſupplicia paſſionum, Beatitudo vobis a Deo repromiſſa, jugiter verſabatur ante oculos perfecte credentibus, mentiri non poſſe Deum, qui iſta promiſerat. Quoniam igitur futura illa & ſempiterna Bona jugiter intuebamini, certi vos eis ſine fine fruituros: idcirco, beatiſſimi, flecti mollirique non potuit veſtra conſtantia.* Sub finem vero Sermonis illos iterum affatur, inquiens: *Pro me igitur miſero ANTE THRONUM MAJESTATIS adſiſtite, ut veſtris precibus ſalvari mereat, ac vobiſcum AETERNA BEATITUDINE perfrui.* Ineluctabile hoc argumentum eſt, ſemperque erit, pravae ac falſae Burneti doctrinae, conſtantia videlicet, & perſuaſio Sanctorum Martyrum. Praemii ineffabilis vicinitas; atque immenſae Beatitudinis a Deo in Caelis promiſſae victoribus ſuis, extemplo poſt mortem conſequendae, firma

fides: illud, illud erat, quod in eorum animis robur ingeminabat, eosque ad terribilia quaeque toleranda alacres efficiebat. Quis non videat, si Burneti somnia tunc viguissent, quam paucos, fortassis etiam quam nullos Martyres Religio Christiana peperisset? Sed rursus audias, velim, ardentissimum Dei famulum Ephraem Lib. I. Cap. 12. de Compunctione, ita de Justis, & praecipue de Castitatis cultoribus differentem. *Ipsi quoque Caeli*, ait, *non valebunt portas suas claudere coram Anima, quae Virtutibus viget; sed mox ut viderint eam, cum gaudio referantur. Mille millia Angelorum & Archangelorum cum gaudio vultus sui suscipient eam, & in manibus suis tollent, & ANTE SEDEM MAJESTATIS DEI offerent eam. Exsultabit quoque Pater in ea, & Filius cum Spiritu Sancto &c. Exsultabunt super eam Caeli cum Virtutibus suis &c. Exsultabit in ea etiam Paradisus, quia hereditatem in eo sortita est.* In hoc autem Paradiso (quo nomine is usus in plurimis locis, semper significat sempiternae Beatitudinis domicilium in Caelis) jam degere Justos persuasum habet; ac proinde subsequenti Cap. XIII. teneris Deum precibus pulsat, inter alia inquiens: *Exaudi me Domine, exaudi me, & praesta, ut vocari merear in Regnum tuum &c. Grex tuus electus, Monachorum quoque conventus, & omnium Sanctorum, qui placuerunt coram te, qui nunc in Paradiso exsultant, jam depraecantur pro me, & obsecrant te solum amatorem hominum.* Tum in Libro de Resurrectione Cap. III. gemitum Sanctorum exprimit, ut quam citius e corporeo carcere exeuntes, ante faciem Dei appareant; nosque hortatur, ut respicientes ad hos viros mirabiles, & beatissima eorum sequentes vestigia, festinemus & nos ad mensuram patrum nostrorum, & omni virtute instructi, *per merita eorum cum ipsis in Regnis Caelestibus gaudeamus.* Infra subdit: *Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam nunc, quoniam ipsi saturabuntur de illa Regali mensa, in qua Abraham & Isaac & Jacob, & Omnes Sancti a seculo Requiescunt.* Exploratum habemus, sub nomine Convivii Regnum Caelorum designari, uti supra monui. Ita in Sermone de Virginitate: *Perfecti pugnatores & continentissimi Monachi, Paradisi amoenitatem ante oculos habent, exspectantque Bonis ipsius Omnibus perfrui, in Luce aeterna & immortali Vita.* Atque haec pauca sufficiant, delibata ex aliquot Opusculis incomparabilis illius & celebratissimi Ascetae, viri divinitus inspirati & docti, quem universa antiquitas fatetur se satis admirari non potuisse, & cujus Libri miram unctionem ac divini Spiritus impressionem referunt. Qui plura cupit, reliquos ejus Libros consu-

conſulat, quorum pleniorem abſolutamque editionem ſperare propediem nos facit Clariſs. & Eminentiſs. S. R. E. Cardinalis & Bibliothecarius Angelus Maria Quirinus, Epiſcopus Brixianus.

Nunc me appellat *Sanctus Gregorius Nazianzenus*, grande illud Eccleſiae Graecae lumen, in omnium diſciplinarum genere vir praeſtantiſſimus, atque ob profunditatem & puritatem doctrinae *Theologi* cognomento κατ' ἐξοχὴν a poſteris ornatus. Is Anno Chriſti CCCLXXXIX. vel ſubſequenti ad beatam in Caelis vitam translatus eſt. Ipſum audiamus in funebri Elogio ſororis ſuae Gorgonii ita loquentem: *Equidem non dubito, quin iis, quae oculis cernuntur, multo praeſtantiora ſint ea, quibus Nunc Frueris, nempe ſonus epulantium, Angelorum chorea, Caeleſtis ordo, Gloriae contemplatio, cum alius, tum ſupernae Trinitatis purior & perfectior illuminatio, non jam ligatam mentem, ac per ſenſus diffuſam, ſuffugientis; ſed totam ſeſe toti menti contemplandam & tenendam praebentis* (ἀλλ' ὅλης ὅλῳ νοῒ θεωρεμένης τε ἡ κρατυμένης) *totoque Divinitatis Lumine Animabus noſtris Affulgentis. Omnino, inquam, his Frueris, quorum, etiam dum adhuc in terra eſſes, ob ſinceram ad ea mentis erectionem, Rivulos habebas.* Haec e verſione Billii. Sed adtexere etiam juvat paraphraſin Eliae Cretenſis, Graeci Scriptoris, qui Anno Chriſti DCCLXXXVII. florebat: *Meliora, ſat ſcio, tum virtute tua, tum vitae tuae fretus, ac viſibilibus rebus multo ſplendidiora ſunt ea, quibus Nunc Gaudes, nempe ſonus epulantium (velut ait David: In voce exſultationis & confeſſionis ſonus epulantium); Angelorum tripudium; Caeleſtes ordines, cum quibus Nunc Es, & choros agitas; Gloriae contemplatio, tam quae in tribus Angelorum ternionibus, quam quae in Trinitate lucet; ipſius Illuminatio purior & perfectior, qua fruebaris quidem etiam in praeſenti vita nobiſcum degens; quum Mentem, quantum iis, qui Corpore vincti ſunt, conſequi datur a ſenſu & rebus in ſenſum cadentibus, contraxiſſes, verum obſcuris dumtaxat & exilibus quibuſdam illuminationibus. Nunc autem puriore ipſius Contemplatione Summa cum Voluptate Frueris, non jam Mentem Corporis ergaſtulo clauſam ſuffugientis, verum a tota Mente, cujus luminibus nulla res officiat, perſpectae & comprehenſae, Animaſque noſtras ſplendore perſtringentis &c. Omnino his purius perfectiuſque Frueris &c.* Quicunque haec legat, niſi oculis aut ingenio laboret, e veſtigio intelligit, Juſtorum Animas corporeis vinculis abſolutas, ad Caelum ferri, ibique non ſolum mira Felicitate donari, ſed etiam ad intuendam contemplandamque ineffabilem Triadem admitti. *Nunc* ea voluptate frui dicitur

tur a Theologo Gorgonium. Quei ergo non ſuffundatur rubore Burnetus, qui horum minime neſcius, Graecos tamen Patres ſecum facientes jactitat? Euſebium, Chryſoſtomum, Baſilium, Nyſſenum, Ephraemum, alioſque jam vidimus non aliud tradidiſſe, quam quod Eccleſia Catholica. Gregorius autem Nazianzenus, unus utique mille Graeculos ſerius natos valet; neque perſpicuam ejus mentem Elias Cretenſis, aut quiſquam alius obſcurare jam potis eſt.

Non abſimili ratione aliis quoque in locis Gregorius eſt uſus. In Oratione XVIII. de laudibus Sancti Cypriani, eximium illum Epiſcopum & Martyrem hiſce verbis ſub finem orat: *At tu nos de Caelo benignus aſpicias, ſermoneſque noſtros & vitam gubernes, Sanctaeque Trinitatis* (Η ΣΥ ΝΤΝ ΠΑΡΑΣΤΑΤΗΣ), *CUI NUNC ADSISTIS, pleniorem clarioremque ſplendorem nobis concilians &c.* Tum Oratione XIX. ſubſequenti, quam in funere Gregorii Epiſcopi patris ſui habuit, eadem repetit, uti fidem facient haec ejus verba: *Nec dubito, quin hoc* ΝΥΝ, *NUNC quoque tanto magis deprecatione ſua, quam prius, praeſtet, ut qui corporeas compedes excuſſerit, ac limo illo, Mentis puritatem inficiente, liberatus ſit, nuduſque cum nuda illa PRIMA ET PURISSIMA MENTE* (ideſt *Deo*) *verſetur, Angelici ordinis dignitatem & fiduciam* (*niſi hoc dictu audax* eſt) *conſequutus.* Paria Nazianzenus eloquitur in calce Orationis XX. habitae in funere Sancti Baſilii Magni, amici ſui. *Tu vero* (inquit) *ſacrum & divinum caput, e Caelo nos, quaeſo, inſpice, atque omnem noſtram vitam ad id, quod maxime conducibile eſt, dirige; noſque, Poſtquam ex hac vita migraverimus, illic quoque tuis excipe Tabernaculis, ut Simus Viventes, & ſanctam ac beatam Trinitatem* (*cujus nunc exiguam imaginem accepimus*) *purius pleniuſque CERNENTES, deſideriis noſtris finem ſtatuamus.* En quae ſententia foret praeſtantiſſimi Eccleſiae Doctoris Gregorii Theologi de Juſtarum Animarum ſtatu; non illa certe, quam Burnetus obtrudere incautis nunc vellet. Et ne quis de ea dubitaret, eandem quaſi conſulto non ſemel inculcavit. Hiſce adde, quae is habet in Oratione XXI. de laudibus ſancti Athanaſii, qui paullo ante, vitae hujus curſum confecerat, ubi ſub finem in haec verba loquitur. *Quod tamdem Pietatis praemium capit? In bona ſenectute vitam claudit, patribuſque ſuis, Patriarchis, & Prophetis, & Apoſtolis, ac Martyribus, qui pro veritate dimicaverant, Adiungitur.* Praeterea in Oration. III. adverſus Julianum Auguſtum τον παραβάτην, ad Conſtantium Imperatorem, rationem ab eo petens, cur peſſimum virum ſibi ſucceſſorem delegerit,

rit, ſermonem convertit, inquiens: *Quid tibi accidit, o Imperatorum diviniſſime, Chriſtique amantiſſime (eo enim provehor, ut tecum velut cum praeſente atque audiente expoſtulem, etſi multo praeſtantiorem te eſſe ſcio, quam ut a me reprehendi debeas, utpote QUI DEO ADJUNCTUS ſis, CAELESTIQUE GLORIAE HEREDITATEM ACCEPERIS, atque in tantum a nobis migraris, ut Imperium cum Meliore commutares) quodnam hoc conſilium ſuſcepiſti? &c.* His clariora aliunde ne ſpera. Sed & eandem doctrinam confirmatam, aut ſaltem delineatam videre potes in variis ejuſdem Nazianzeni Carminibus, quae de tenebris educta publici ego olim juris feci in Anecdotis meis Graecis, Patavii Anno MDCCIX. editis. Carmine XXXVI. *Nicomedem*, fortaſſis Epiſcopum, ΕΠΟΤΡΑΝΙΟΙΣ, *CAELICOLIS citiſſime immixtum* dicit. De eodem quoque in Carm. XXXVIII. ait.

Τοὔνεκα ᾗ ΜΕΓΑΛΗ ΩΚΑ ΜΙΓΗ ΤΡΙΑΔΙ.
*Idcirco & MAGNAE CITO MIXTUS EST TRIADI.*

Quod ſupra non ſemel Nazianzenus dixerat de divina Triade, cui *adſiſturus*, & quam *contemplaturus* Juſtorum Animae hinc profectae, idem heic innui vides. Item Carm. LXXI. in Gregorium patrem, inquit, Corpus ejus *dulcem* nunc *ſomnum* carpere:

*Anima vero evolans Deum invenit.*

Eundem Carm. LXXIII. *Nunc apud ſacram Triadem* degentem ait. De matre quoque ſua Nonna in Carm. CXI. ſcribit:

*Trinitas illa, quam deſiderabas,*
*E templo ſublimi ad Caelum te rapuit.*

Sed & ipſe Gregorius ad eandem Beatitudinis ſedem anhelabat, ſeque illuc adducendum ſtatim a morte ſperabat. Hinc tres ejus verſus habemus, a Tollio, atque a me editos:

*Angeli, fulgentes in immenſo Caeli gyro,*
*Triluminis Deitatis unum jubar circumſtipantes,*
*Suſcipite Gregorium, indignum quidem, attamen Sacerdotem.*

Reliqua omitto, ut alium Nazianzeni locum perpendam.

Neque

Neque enim dissimulare volo, magnum hunc quoque virum in funebri Oration. X. in laudem Caesarii fratris affirmasse, Piorum Animas *in Sinum Abrahae* post Corporis depositionem ferri. Verumtamen quae is continuo addit, evincunt, nihil aliud eidem fuisse *Sinum* illum, nisi Beatitudinis ineffabilis locum in Caelis; ac praecipue si cum iis conferas, quae nuper ex aliis illius Orationibus congessimus. Inquit autem: *At tu, divinum & sacrum caput, utinam Caelos penetres, atque in Abrahae Sinu, quicumque tandem ille sit, Requiescas, & Angelorum choream, ac Beatorum virorum Gloriam & Splendorem spectes, vel potius Una Cum Eis tripudies & exsultes, omnia, quae heic sunt, ex alto deridens, & Magno illi REGI ADSTANS* (ΒΑΣΙΛΕΙ ΤΩ ΜΕΓΑΛΩ ΠΑΡΙΣΤΑΜΕΝΟΣ) *atque illinc emicante Lumine impletus.* Ceterum infra Theologus idem monet, ingenti quidem Beatitudine donari nunc Animas nudas ad Deum profectas: verum ejusmodi Beatitatem tum solum fore perfectam atque completam, quum una cum Anima Caro quoque iterum sociata in caelestem Gloriam transferetur. *Sapientum*, inquit, *verbis adducor, ut credam, omnem Animam pulcram, Deoque caram, postquam Corporis vinculis soluta hinc abiit, Protinus in gustu & contemplatione* (θεωρίᾳ) *manentis Boni positam* (*utpote eo, quod tenebras offundebat, vel purgato, vel depositio*) *Mirabili quadam Voluptate delectari & exsultare; hilaremque Accedere ad suum ipsius Dominum, quippe quae de hac vita, veluti e gravi quodam ergastulo elapsa, & compedibus ipsam circumdantibus, a quibus Mentis alae deprimebantur, soluta est: & jam velut per visionem frui recondita Beatitudine. Paullo vero postea, quum cognatam Carnem receperit, tum demum eam quoque ad Gloriae Caelestis Hereditatem secum admissuram; & quemadmodum ob naturae conjunctionem aerumnarum ipsius particeps fuerat, sic etiam jocunditates suas cum ipsa communicaturam &c.* Quanquam in his subobscurum aliquid occurrat ob aliquot vocum usum, quae quid Nazianzeno significarint, minime liquet; attamen vix dubitari potest, quin & heic mirabilis Beatitudo designetur, Sanctorum Animabus hinc solutis concessa in Caelis. Neque enim patiuntur reliqua ex hac ipsa Oratione, atque ex aliis superius adducta, ut aliter interpretemur. Heic ait, Animas *Confestim accedere ad Dominum:* supra quoque dixit non semel, eas *Adsistere divinae Trinitati.* Rursus vero ipse in hac eadem Oratione X. scribit: *Apostolus Discessum a Corpore, Praesentiam apud Deum esse affirmat; vitam autem corpoream, ut peregrinationem deplorat; atque ideo quamprimum Dissolvi cupit.*

Et

Et poſteaquam dixit, jam Caeſarium *magno illi Regi Adſtare, atque illinc emicante Lumine impleri*, e veſtigio addit: *Cujus exiguo Rivulo heic ſuſcepto (quantum ſcilicet in ſpeculis & aenigmatis adumbrare & conſpicari poſſumus) utinam ad ipſum Fontem poſtea perveniamus, pura mente puram Veritatem intuentes, atque hanc laboris in virtutis ſtudio exhauſti mercedem inveniamus, ut perfectius illic Summi Boni conſortio & contemplatione* (θεωρίᾳ) *fruamur: quem quidem ſacrae noſtrae diſciplinae finem tum Libri, tum Theologiae laude praeſtantes, eſſe profitentur.* In hac vita Rivulos tantum ſperare poſſumus; in altera Fontem ipſum. Neque Juſtis tanta Felicitas uſque ad Reſurrectionem differenda eſt. Supra vidiſti, Gorgonium Nazianzeni ipſius ſororem, poſt deguſtatos in terra *Divinitatis Rivulos*, ſublatam e vivis, *ad Fontem* ipſum jam perveniſſe. Relege ejus verba. Et haec quidem magni Nazianzeni mens, cui quum ſe adverſarium prodiderit Burnetus, Lectores mecum Burneto ipſi objiciant velim, quae Rufinus in Prologo ad Libros ejuſdem Nazianzeni a ſe converſos, paucis poſt ejus mortem annis ſcriptum reliquit. *Solus eſt*, inquit, *Gregorius Theologus, de cujus fide ne diſſidentes quidem, uti fieri ſolet, partes & ſtudia diſputare potuerint; ſed id obtinuit apud Dominum & Eccleſias meriti, ut quicumque auſus fuerit doctrinae ejus in aliquo refragari, ex hoc ipſo, quia ipſe ſit magis Haereticus, arguatur. Manifeſtum namque judicium eſt, non eſſe rectae fidei hominem, qui in fide Gregorio non concordat.*

## CAPUT VICESIMUMPRIMUM.

*Teodorus Abbas, Didymus Alexandrinus, Gaudentius Epiſcopus Brixianus, Cyrillus Hieroſolymitanus, Prudentius Hiſpanus, Amphilochius Iconienſis, Epiphanius Conſtantienſis, Damaſus Romanus Pontifex, & Hegeſippus (cujus aetas exploratur) Caelorum Regnum Juſtis corporeo carcere ſolutis conlatum teſtantur.*

PRAETEREA quid incomparabilis Greciae Orator *S. Joannes Chryſoſtomus, & Sanctus Aſterius* Amaſenus Epiſcopus, poſt Nazianzenum, Eccleſiae Dei Scriptores, de praeſenti quaeſtione ſenſerint, ſupra Cap. XVI. dilucide explicui. Porro eodem Saeculo Quarto, ex morum ſanctitate, pluribuſque ex geſtis, illuſtris fama acceſſit *Sancto Pachomio* in Tabennenſi Monaſterio Aegypti Coenobialis vitae inſtitutori. Ejus Acta, ſimulque *Orſiſii ac Theodori Abbatum*, apud Bollandiſtas legenda, ſub finem ejuſdem Saeculi, uti videtur, collegit, literiſque conſignavit Monachus quidam, ejuſdem Tabennenſis Coenobii incola. Ibi in calce Capitis XI. Sanctus Theodorus Abbas circiter Annum Chriſti CCCLX. de egregiis Dei ſervis ajebat, ipſos *pro ſuis perſequutoribus Deum exoraſſe, quemadmodum, ut faceremus, ipſe nobis Salvator praeſcripſit: unde Hereditatem quoque Ejus conſequuti tamdem ſunt, ut ſcriptum eſt: Heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti. Quid, oro, tam grande feciſti, o homo, quod dignus habeare, qui Dei adeas Hereditatem?* Idem quoque Auctor infra narrat exceſſum ex humanis Silvani Monachi adeo pii, *ut de ipſius ex hac vita migratione fidenter pronuntiaret* (circiter Annum Chriſti CCCXL.) *ſervus Dei Pachomius: quod infinita Angelorum multitudo, magna cum laetitia & Pſalmorum cantu ANIMAM Silvani ſuſceperit; eamque ANTE CONSPECTUM DEI OBTULERIT.* Ita Scriptor ille. Magni autem nominis iiſdem ferme temporibus floruit *Didymus Alexandrinus*, e cujus Libris pauci temporum injurias effugerunt. Is Cap. I. Enarrationis in Epiſtolam Jacobi Apoſtoli ad illa verba: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam, quum probatus fuerit, accipiet Coronam Vitae, quam repromiſit Deus diligentibus ſe*, haec adnotat: *Dum ſufficienter invitaſſet, cum gaudio ſuſtinendas eſſe tentationes, per*

*alteram*

*alteram monitionem ſuadere contendit promiſſionibus, ut praeſentia corrigantur, Beatum eſſe dicens, qui tentationem ſuffert. Fiet, inquit, quiſquis fortiter certamen exceperit, vir perfectus, & in cunctis exercitatus; qui vero apparuerit, poſt triſtitiam merebitur ad Praemium Coronam a Deo eum diligentibus praeparatam.* Hanc certe Coronam glorioſis Martyribus ſtatim conlatam, una ſemper vox fuit Eccleſiae Catholicae, uti tot veterum documentis evicimus. Sed & ceteros Juſtos eadem donari Didymus tradit. Idcirco addit: *Ex quibus agnoſcimus, quoniam ſecundum uniuſcujuſque Virtutes Potuit a Deo Corona praeberi, alii quidem juſtitiae, alii immarceſcibilis & rectae fidei. Super has autem repoſita eſt & altera fruentibus Domino, & experimentum habentibus Paradiſi deliciarum, & potatis de torrente deliciarum Dei.* Pertinet etiam ad Saeculum Quartum Chriſtianae Aerae *Sanctus Gaudentius* Brixianus Epiſcopus, cujus Sermones elegantiſſima editione, atque eruditis Notis illuſtravit ante aliquot annos V. Cl. Paulus Galleardus Brixianus Canonicus. Quaenam illius quoque ſententia fuerit de praeſenti quaeſtione, non inutile erit inquirere. Is ergo in Praefatione ad ſervum Chriſti Benevolum differit de felici, ut videtur, Improborum ſtatu in hac vita, & de infelici Juſtorum. At illos, inquit propoſito Divitis Evangelici exemplo, manet poſt mortem poena *in tormentis flammae inextinguibilis. Et contra ad illam Beatitudinem perducitur Juſtorum tribulatio, ut cum ſancto Abraham Patriarcha in Aeterna Vita Requieſcere mereantur, qui anguſtias vitae hujus fideli patientia tolerantes, de Saeculo iſto migraverint.* Quid ſit *Vita Aeterna* in divinis Scripturis, quid *Requieſcere* illic, nihil amplius opus eſt, ut a me oſtendatur, quum concordi veterum ſuffragio phraſibus iſtis deſignetur ineffabilis illa *Beatitudo*, qua Sancti fruuntur, in Caelis, & quam ipſe Gaudentius nuper commemoravit. Atque eundem ſenſum referunt infra illius verba: *Adquirant ſibi theſauros in Caelo, ubi neque aerugo neque tinea corrumpit, neque fures effodiunt & furantur: ut de hoc Saeculo exeuntes poſſint invenire refrigerium in Sinu illius vere divitis Abrahae.* Sinum & ipſe Abrahae ſumit non pro aliquo loco, ſed pro fauſto amplexu, quo Juſtos Abraham excipit in Caeleſti Gloria. Quod & ille rurſus infra innuit, dicens, per aerumnas hujus vitae Probum exerceri, *ut per exiguas plagas breviſſimi temporis ab omnibus purgatus maculis, ſecurior ad Aeternam migrare Requiem mereatur.* Apoſtolo praeeunte in Epiſtola ad Hebraeos, jam didicimus, *Requiem* ſignificare beatiſſimum Sanctorum ſtatum in Caeleſti Hieruſalem; idque potiſſimum

Eccleſiaſtici Scriptores indicare conſueverunt, quum illam *Requiem* appellant *Aeternam*, hoc eſt ſine fine duraturam. Neque alia Sancto Gaudentio fuit ſententia de Beatitate Martyrum, illico ſubſequente glorioſum illorum certamen. Ipſum audi, Tractat. XVII. habito in dedicatione Baſilicae Sanctorum Quadraginta Martyrum. *Beatiſſimi*, inquit, *Martyres, Spiritu Sancto ferventes, veſtibus ſuis procul abjectis, feſtini ad ſtadium properant: Coronam tanto certamini propoſitam Caelitus intuentes. Deinde hortatibus mutuis patientiae vires accendunt, Gloriam Regni Caeleſtis poenis praeſentibus praeferunt, Ocyus ad Aeternae Lucis Beatitudinem, Vitamque Perpetuam, glorioſae mortis compendio tranſituri.* Toties inculcavi, ſed nunquam ſatis repetam, univerſae Catholicae Eccleſiae ſententiam ab ejus exordio fuiſſe, fine mora Martyrum Animas in Regni Caeleſtis Gloriam excipi. Ad evertendam totam Burneti molem hoc unum ſufficere, quicunque judicio pollet, ſtatim intelligit.

Celebris quoque fuit inter Scriptores Graecos Saeculi Quarti *Sanctus Cyrillus* Epiſcopus Hieroſolymitanus. Is autem in Catecheſi V. poſtquam attulit Domini verba apud Joannem dicentis: *Qui verba mea audit, & credit Ei, qui me miſit, habet Vitam Aeternam. Et qui credit, non judicatur, ſed translatus eſt de morte ad Vitam* (quibus verbis nemo neget, quin ſignificetur ſublimis illa ac ſumma Sanctorum Felicitas in Caelis) continuo haec adjicit: *O magnam Dei clementiam! Juſti quidem vix per multos Annos probati ſunt. Quod autem illi per longae aetatis inveſtigationem corrigentes Aſſequuti ſunt, hoc nunc Jeſus una hora nobis donat. Si enim credideris, quia Dominus eſt Jeſus Chriſtus, & quod Deus excitavit ipſum a mortuis, ſalvaberis, & Transfereris in Paradiſum. Propterea & Latronem eo introduxit, ut non dubites, num id fieri poſſit. Qui enim Latronem una hora credentem ſalvum fecit, idem & te credentem ſalvabit.* Quae praecedunt, nos monent, *Paradiſum* Cyrillo heic eſſe unum cum Regno Caelorum; ſimul quoque exemplum fortunati Latronis, illuc extemplo introducti, evincit, ceteros etiam Juſtos in beatiſſimum eundem locum aut brevi, aut fine cunctatione transferendos poſt mortem. Porro ejuſdem Latronis mentionem Cyrillus in Catecheſi XIII. repetit, inter alia inquiens: *O ingentem & inenarrabilem gratiam! Nondum Abraham fidelis ingreſſus eſt, & Latro ingreditur. Nondum Moyſes & Prophetae, & jam Latro iniquus ingreditur. Admiratus eſt te Paulus dicens: Ubi abundavit peccatum, ſuperabundavit Gratia. Qui tulerunt aeſtum, nondum ingreſſi ſunt:*

*sunt: & qui undecima hora venit, ingressus est. Nemo murmuret contra Patremfamilias, quum ille dicat: Amice, non facio tibi injuriam &c.* Quis autem nescit, in Evangelica Patrisfamilias Parabola designari immensa in Caelis Praemia, Justis a Deo destinata? Sancto Cyrillo jungendus nunc mihi est ejusdem Saeculi Scriptor *Sanctus Aurelius Prudentius* Hispanicae Ecclesiae decus. Auctorem hunc, veluti parum concordem cum sententia hactenus a nobis propugnata, produxerunt olim Sixtus Senensis, Bellarminus, & alii. Is enim Hymno X. Κατημερινον, significare videtur, Justorum Animas hinc decedentes recipi in Sinum Abrahae, aut in Paradisum terrestrem. Haec sunt ejus verba:

*Quanam regione jubebis*
*Animam requiescere puram?*
*Gremio Senis abdita sancti*
*Recubabit, ubi est Eleazar:*
*Quem floribus undique septam*
*Dives procul adspicit ardens.*
*Sequimur tua dicta, Redemtor,*
*Quibus atra & morte triumphans,*
*Tua per vestigia mandas*
*Socium crucis ire Latronem.*
*Patet ecce Fidelibus ampli*
*Via lucida jam Paradisi;*
*Licet & nemus illud adire,*
*Homini quod ademerat anguis.*

Mirari quisquam posset, cur Prudentium Burnetus minime retulerit in censum suorum commilitonum. Sed fortassis ille agnovit, nos certe agnoscemus, Hispani Scriptoris auctoritate ejus cauffam juvari nihil posse. Nam, ut omittam, non defuisse inter veteres, qui Adami Paradisum spiritaliter accipientes, illum in Caelo statuerunt: jam constat, idque compluribus documentis antea patefactum fuit, terrestrem Adami Paradisum a Patribus reputatum fuisse typum Regni Caelorum, beataeque Vitae, a novo Adamo Justis procuratae in Caelis. Is nimirum fuit tum divinorum Librorum, tum Patrum usus, summam Beatitatem Sanctorum, & locum tantae Felicitatis nobis paratae, per sensibiles imagines designare, puta Horti deliciis affluentis, Convivii, Thalami, Nuptiarum, Templi, Civitatis supernae,

nae, Tabernaculi aeterni, Montis, Domus Dei, atque horum ſimilium. Quare Prudentius *Paradiſi* vocabulo ad imitationem aliorum Patrum nihil aliud nobis exhibet, niſi *Regnum Caelorum*, quo Chriſtus ipſe aſcendit; nam Prudentio ipſo teſte, Dominus Jeſus *ſua per veſtigia mandat ſocium crucis ire Latronem*. Sed & *Sinum Abrahae*, ubi nunc degit *Eleazar*, ideſt *Lazarus*, jam novimus a Patribus collocatum in Caelis, atque in ipſa Beatitudinis Regia. Quid de eximio illo, nobiſque in terra verſantibus adhuc inviſibili Felicitatis loco, antea dixerit Gregorius Nyſſenus, praecedenti Cap. didicimus. Juvat nunc alterum ejus locum adjungere, petitum ex Lib. de Anima, ubi quae de Sinu Abrahae meliorum ſententia foret, hiſce verbis aperit: *Bonum Animae ſtatum*, inquit, *in quo patientiae athleta requieſcit, Sinum Abrahae divinus ſermo nominat. Primus enim hic Patriarcha per afflictiones & incommoda praeſentis vitae, Eam, quae Speratur, Beatitudinem quaeſivit. Ut igitur certam aliquam Pelagi partem per abuſionem quamdam Sinum nominamus; ita heic ſermo divinus SINUS nomine* (ΤΩ͂Ν Α'ΜΕΤΡΗΤΩ͂Ν Α'ΓΑΘΩ͂Ν) *IMMENSORUM illorum BONORUM ſignificat oſtenſionem. In quo Sinu bono, qui per virtutem praeſentis vitae curſum conficiunt, quum hinc ſolverint, tamquam in Portu fluctuum procellis minime obnoxio, Animas appulſas, & quaſi ſubductas ſtatuunt, quemadmodum fecit Lazarus*. Petis ne, quid ſit Abrahae Sinus? *Immenſorum Bonorum* complexio: *Portus*, in quem Juſtorum Animae recipiuntur, & ubi *Eam, quae Speratur, Beatitudinem* nanciſcuntur. Nyſſeni locum hunc prae oculis habuit, immo deſcripſit Theophanes, Graecus & ipſe Scriptor, in Homil. VIII. cujus etiam verba adferre praeſtat, ut uberius in dies appareat Burneti confidentia, pro ſuis ſomniis Graecorum concordium ſuffragia, ut non ſemel dixi, jactantis. *Bonum*, inquit, *Animae ſtatum, in quo Verbum* (ideſt Chriſtus Dominus) *Juſtos reficit ac recreat, Sinum Abrahae appellavit. Hic enim Patriarcha primus per fidem, quam ſperamus, Felicitatem per multas moleſtias conſequutus eſt, Itaque Immenſorum Bonorum demonſtrationem Sinus nomine indicat &c.*

Ad Prudentium redeo. Apertiſſima eſt heic illius mens. Nam Hymno X. περὶ ϛεφάνων de Anima ait,

——— *ſola, quae non occidit*
*Sed juge durans, diſpares caſus ſubit,*
*Aut Luce fulget, aut tenebris mergitat.*

*Chri-*

*Chriſtum ſequuta, PATRIS INTRAT GLORIAM.*
*Disjuncta Chriſto, mancipatur Tartaro.*

Tum infra, quae fortibus Chriſtianis, hinc decedentibus parata ſint praemia, hiſce explicat:

*CAELO REFUSUS SUBVOLABIT SPIRITUS,*
*DEI parentis PERFRUETUR LUMINE,*
*Regnante Chriſto, STANS IN ARCE REGIA.*

Eadem ille repetit in Carmine, cui titulus Ἁμαρτιγένεια, ubi Improbos vitae huic ereptos in Tartarorum tormenta detrudi ſtatuit.

*At diverſa procul REGIONIBUS IN PARADISI*
*PRAEMIA CONSTITUIT MAJESTAS gnara futuri*
*SPIRITIBUS PURIS, & ab omni labe remotis &c.*
*Exſuperatque Polum fervens ſcintilla remenſum,*
*Carcereos exoſa ſitus, quibus haeſerat exſul &c.*

En ergo quid *Paradiſi* nomine Prudentius ſignificarit, non terreſtrem Adami Paradiſum, ſed Caeleſtem Beatitudinis Regiam, cujus typum praetulit beata primi parentis habitatio. Ibi Juſti, & praecipue Martyres, fructum ſuorum laborum colligunt, ac Viſione Dei fruuntur. Namque ut idem ſanctus Poeta ait Hymno I. περὶ στεφάνων,

*Chriſtus illic candidatis praeſidet cohortibus.*

Illi vero preces mortalium piorum e beata illa ſede

*Audiunt, ſtatimque ad aures Regis Aeterni ferunt.*

De Sancto quoque Vincentio ait Hymno V.

*Victor relictis artubus*
*CAELUM CAPESSIT SPIRITUS,*
*Cui recta celſo tramite*
*Reſeratur AD PATREM via.*

Tum

Tum Hymno X. inducitur ab eo mater puerulo Barulae animos addens ad toleranda pro Christo supplicia, quod *Mox Christum Visurus*, atque ex eo fonte perennem vitae aquam hausturus esset. Addit infra:

*——— Vale, ait, dulcissime,*
*Et quum BEATUS REGNA CHRISTI intraveris,*
*Memento matris, jam patrone ex filio.*

Sunt & alia id genus, quae proferre supervacaneum puto. Unum tantummodo omissum nolo, nempe ab eo prodi, imbecilli conatu a Burneto adhiberi Apocalypseos verba, ubi Martyrum Animae *subtus Altare* visae Sancto Joanni dicuntur. *Altare*, ut alibi monui, etiam pro *Christo* sumserunt nonnulli Patres, ac prae ceteris Chrysostomus, & Cyrillus Alexandrinus. In eandem sententiam concessit etiam Prudentius. Quamobrem Hymno IV. Eulaliam Martyrem Lusitanam laudans, de ipsa inquit:

*Illa DEI SITA SUB PEDIBUS*
*Prospicit haec, Populosque suos*
*Carmine propitiata fovet.*

Juvabit etiam audire, quae *Sanctus Amphilochius* Iconiensis Episcopus, atque ejusdem Saeculi Quarti Scriptor, disseruerit in Oratione de Domini Circumcisione, ubi Sanctum Basilium Magnum, nuper ad meliorem vitam translatum, laudat his verbis: *Novissime humili isto tabernaculo absolutus, atque in loco Tabernaculi admirabilis usque ad Domum Dei in voce exsultationis & confessionis sonus epulantis, transiens, cum Caelestis Sion primogenitis liberis Recubuit atque Requievit.* Basilii Confessoris Beatitudinem in Caelesti aula constitutam heic vides, & potissimum, quod idem indicet *Recumbere* & *Requiescere*, uti antea saepe animadvertimus. Amphilochio succedat etiam celebrioris quidem famae, sed ejusdem aetatis, *Sanctus Epiphanius* Constantiensis in insula Cypri Episcopus. Auctor ille est Haeres. LVI. sive LXXVI. adversus Aerium, in Resurrectione Domini multos e Sanctis Patribus resurrexisse, *qui a mortuis excitati in Thalamum* (ideſt in beatissimum Caeleste Regnum) *simul sunt ingressi*. Quod & in Anchorato repetivit Cap. 102. Ad haec ille in confutatione Marcionistarum Haereseos XLII. pag. 338. *Sinum Abrahae* commemorat, iis usus coloribus, quibus sine dubitatione ex-

primi-

primitur Caeleſtis Beatitudo. *Viden'*, inquit, *ut inter vivos ac Beatitudine donatos in illa felici Sempiternae Quietis Hereditate Abrahamus a Domino numeretur, & in ejus Sinu Lazarus acquieſcat?* Sempiternae Quietis *Hereditas* jam parta Sanctis, hinc ad alteram vitam translatis, & jam Beatis a Deo effectis, illud eſt, quod nos nunc, & Sancti quoque Patres olim depraedicarunt; ita ut quo abeant Burneti ſuſpiciones ac prava conſilia, jam nemo non intelligat. Sed Epiphanius alibi quoque, hoc eſt in Haereſi LIX. ſeu LXXIX. quae eſt Collyridianorum, pag. 1056. luculentius doctrinam hanc expreſſit. Inquit enim: *Enimvero SANCTI OMNES in honore SUNT. Horum eſt Requies IN GLORIA: horum ex hac vita diſceſſus in Conſummatione* (ſive *ad perfectionem tranſitus eſt*)*: eorumdem IN BEATITUDINE ſors: IN SANCTIS DOMICILIIS* (ſive μονὰις, *Manſionibus*, quas Chriſtus Fidelibus ſuis Joann. XIV. 2. pollicitus fuerat) *inter Angelorum choros verſantur: habitatio IN CAELO: decus & ſplendor SEMPITERNO IN HONORE conſiſtit, quem nulla conjectura aſſequi poteſt: Praemia denique IN CHRISTO JESU Domino noſtro.* Veniat nunc Burnetus, & Britannis eruditis confidentiſſime venditet, a ſuis partibus *generatim Patres Graecos ſtetiſſe.* Jam habent illi, quid nugatori reſpondeant, & mirentur audacis hominis, ne gravius loquar, inane ingenium. Denique in ſententiam noſtram confluere videas Carmina *Sancti Damaſi* Romani Pontificis, qui Anno Chriſti CCCLXXXIV. vitam hanc cum meliori commutavit. Igitur ille Carmine V. Sanctam Agatham Martyrem *jam renidentem quaſi ſponſam in Polo* appellat. De Projecta, filia Flori Conſulis, Carmin. XIII. ait:

*Excepta ex oculis Flori genitoris abivit,*
*Aetheream cupiens Caeli conſcendere Lucem.*

Tum Carmin. XXVII. de Sanctis Proto & Hyacintho pariter canit:

*Te Protum retinet melior ſibi Regia Caeli.*

Paria habet in ſubſequenti Carm. XXVIII. hoc eſt in Epitaphio Irenes ſororis ſuae, ubi haec illius verba:

*Quum ſibi eam raperet melior tunc Regia Caeli,*
*Non timui mortem; Caelos quod libera adiret.*

Rurſus phraſim iſtam repetit in Carm. XXIX. de Sepulcro ſuo collocando apud corpora Martyrum, de quibus ait:

*SUBLIMES ANIMAS RAPUIT SIBI REGIA CAELI.*

En quale fuerit Saeculo Chriſtianae Aerae IV. Romani quoque Pontificis, ac Romanae propterea Eccleſiae dogma de Beatitate Sanctorum in Caelis. Eandem quoque ſententiam ibi viguiſſe praecedenti Saeculo, & dum in vivis erat Sanctus Cyprianus, ſupra Capite X. animadvertimus.

Addere etiam liceat mihi, quae hac de re differuit *Hegeſippus* ille, cujus Libri quinque proſtant de Excidio Urbis Hieroſolymae, non ſemel editi. Is profecto poſt Conſtantinum Magnum ſcripſit. Porro, ſi verum foret, quod Mabillonius, Gronovius, & Caveus, veteres Codices MStos ſequuti conjectarunt, videlicet a Sancto Ambroſio Libros illius Latio fuiſſe donatos, jam haberemus in ipſo quoque Scriptorem Saeculi a Chriſto nato Quarti. Utcumque ſit, Lectorem accipere non pigebit haec ejus verba, ex Libro Quinto depromta. *Ubi*, inquit, *ANIMA fuerit iſtius Carnis abſoluta vinculis, AD ILLUM PURUM, & SPLENDIDUM, SUPERIOREMque REVOLAT LOCUM, atque ADEST DOMINO DEO SUO, Sanctorumque Habitaculis Fruitur, & Beatorum Gaudet Conſortiis.* Ita Auctor ille, quem barbaricis minime Saeculis floruiſſe & ſcripſiſſe, ſtili elegantia perſuadere omnino videtur. Subit autem mirari heic Miraeum, Voſſium, Oudinum, & quoſdam alios, qui Auctoris hujus aetatem ad aliquot Saecula poſt Sanctum Ambroſium, immo & ad Saeculum Chriſti Decimum rejecere, non alia ratione adducti, quam quod is *Antiochiam* appellarit Lib. III. Cap. V. *Perſarum quondam caput, nunc repulſorium;* quaſi hiſce verbis indicetur tempus, quo Civitas illa erepta Perſis, ſub Saracenorum ditione gemebat. Nihil aliud ibi *Repulſorium* eſt, niſi Munimentum, quo Perſae repellebantur. Hoc autem ad Chriſtianos ibi Quarto Chriſti Saeculo dominantes, & Perſis oppoſitos, egregie refertur, loco nullo relicto ſomniandi Saracenos ea Urbe potitos. *Repulſorium* adhibitum videtur ad Latine reddendam vocem aliquam Graecam, quae qualis fuerit, divinare nihil in praeſentia opus eſt, ἀπωστικὸν exempli cauſſa. Praeterea verba illa tantum abſunt, ut tempora indicent Saracenicae dominationis Antiochena in Urbe, ut potius excludant. Si enim Civitas illa, dum Hegeſippus ſcribebat, Arabico imperio preſſa fuiſſet,

set, non ipsam is appellasset propugnaculum contra Persas (quod Christianos respicit) sed ejus calamitatem ac jugum deploraset. Neque Saeculo Septimo, ac minus Decimo, elegantem adeo Antiochiae descriptionem quisquam e Christianis, & maxime si Latinus is Auctor fuit, nobis dedisset. Praeterea, si tunc Antiochiae Saraceni dominati fuissent, Auctor nequaquam de ea dixisset: *Urbs tertio loco ante ea omnibus, quae in Romano orbe SUNT, Civitatibus aestimata, nunc quarto.* At quomodo Antiochia appellata *Persarum quondam caput?* Tempore videlicet Seleuci I. Syriae Regis, qui ipsam Antiochiam condidit, & Persas quoque suo imperio adjecit. Haec pauca, quanquam extra chorum, de Hegesippi illius aetate adnotasse incongruum non fuerit.

## CAPUT VICESIMUMSECUNDUM.

*Hieronymus Stridonienſis, Theophilus Alexandrinus, Paulinus Nolanus, Antoninus Conſtantienſis, Proſper Aquitanus, Leo I. Romanus Pontifex, Honoratus Maſſilienſis, Maximus Taurinenſis, Petrus Chryſologus, Iſidorus Peluſiota, Syneſius Ptolemaidis Epiſcopus, Arnobius Junior, Gennadius Maſſilienſis, minime dilatam cenſent ſummam Felicitatem Sanctorum in Caelis. Quid ſignificet* esse cum Domino *apud Apoſtolum.*

QUANQUAM ad Quartum Christianae Epochae Saeculum jure pertineat *Sanctus Hieronymus*, celebratissimus Ecclesiae Catholicae Doctor, is tamen in Quincto nunc locum sibi dari non indignabitur. Si & istum nos prodiderimus non aliam, quam nos tradidisse doctrinam, altiorem, ut spero, edent Burneti imaginationes ruinam. Atque is revera Lib. III. Cap. 8. Commentar. in Amos hisce verbis utitur: *Quando ANIMA, vinculis lutata corporeis, volandi, quo velit, sive quo ire compellitur, propter tenuitatem ſubſtantiae habuerit libertatem, AUT AD INFERNA ducetur, de quibus ſcriptum eſt: Convertantur peccatores in Infernum &c. AUT CERTE AD CAELESTIA ſublevabitur &c.* Ubinam vero nunc Sancti versentur, manifestius ipse aperuit in Commentar. ad Cap. XII. Matthaei, ubi verba illa interpretans: *Qui autem minor eſt in Regno Caelorum, major eſt illo*,

ille loquitur: *Nos ſimpliciter intelligamus, quod* OMNIS SANCTUS, *qui* JAM CUM DEO EST, *major ſit illo, qui adhuc conſiſtit in proelio.* Nullis offuſcari poſſe tenebris Hieronymi mentem, heic cernis; idem quippe illi ſonat eſſe *cum Deo*, atque eſſe *in Regno Caelorum*. Rurſus ille Lib. II. Cap. 9. Commentar. in Zachariam, poſt laudata Davidis verba: *Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum*, haec addit: *Hanc autem munitionem, ad quam Deus cohortatur vinctos ſpei, non aliam debemus accipere, niſi* HABITATIONEM PARADISI, *in quam primus cum Domino Latro ingreſſus eſt. Super caeleſtem* vero Paradiſum, de quo ejectus fuit Lucifer, agnovit Hieronymus Lib. IX. Cap. 28. in Ezechielem. Uſus autem & ille fuit alibi vocabulo *Sinus Abrahae*, ſed non diſpari ſignificatione a reliquis ferme Sanctis, a quibus illud nomen uſurpatum ſaepe vidimus ad deſignandam ineffabilem Juſtorum Felicitatem in Caelis. Itaque Epiſtol. XX. ad Euſtochium in Edition. Martianeyana, *de exitu Leae* ſcribens, ait: *Nunc igitur pro brevi labore* AETERNA BEATITUDINE *fruitur; excipitur Angelorum choris;* ABRAHAE SINIBUS *confoveur*. Ita in ſubſequenti Epiſtol. XXII. ſuper obitu Bleſillae filiae ad Paulam ejus matrem ſcribit: *Poſtquam autem ſarcina carnis abjecta,* AD SUUM ANIMA *revolavit* AUCTOREM, *& in antiquam poſſeſſionem diu peregrinata conſcendit &c.* Et infra: *Teſtor, mi Paula,* JESUM, *quem Bleſilla* NUNC SEQUITUR: *teſtor ſanctos Angelos, quorum Conſortio fruitur &c. Nos, quorum exitum Angelorum turba Comitatur, quibus* OBVIAM CHRISTUS OCCURRIT, *gravemur magis, ſi diutius in tabernaculo iſto mortis habitemus. Quia quamdiu heic moramur, peregrinamur a Domino.* Multis deinde agit, ut Paulae lacrymas in morte filiae comprimendas ſuadeat, inter cetera inquiens: *Parce, quaeſo, tibi; parce filiae* CUM CHRISTO JAM REGNANTI. Tum Bleſillam loquentem inducit: *Ne invideas Gloriae meae. Putas eſſe me ſolam? Habeo pro te Mariam Matrem Domini. Multas heic habeo, quas ante neſciebam &c.* Vide & Epitaphium floribus redundans, quo ille Nepotianum ornavit. Ibi ſcriptum ab eo legas: *Scimus quidem, Nepotianum noſtrum* ESSE CUM CHRISTO, ET SANCTORUM *mixtum* CHORIS, *quod heic nobiſcum vimabatur in terris, & aeſtimatione quaerebat, ibi* VIDENTEM COMINUS *dicere: Sicut audivimus, ſic & vidimus in Civitate Domini virtutum,* IN CIVITATE DEI *noſtri*. Dicant, quaeſo, Lectores in ſacrarum Literarum ſtilo non hoſpites, an non Hieronymus heic tribuat piorum Animabus jam hinc in Caelum deductis

ductis beatificam Dei Visionem. Haec profecto illius mens; eademque phrasi is rursus utitur in Epitaphio Paulae, de qua scribit: *Implevit cursum suum, fidemque servavit, & NUNC FRUITUR CORONA JUSTITIAE* (quae verba quum ab Apostolo Hieronymus fuerit mutuatus, jam intelligis, quei ille interpretatus fuerit) *sequiturque Agnum, quocumque vadit. Saturatur, quia esurivit, & laeta decantat: Sicut audivimus &c. O beata rerum commutatio! Flevit, ut semper rideret. Despexit lacus contritos, ut fontem Dominum reperiret. Cinerem sicut panem manducabat, ut in aeternum pane Angelorum vesceretur, & caneret: Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* Reliqua tenoris ejusdem percurre, si velis. Ego in paucis hisce, quae infra adduntur, consisto. *Nunc illa divitiis fruitur, & bis Bonis, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Nostram vicem dolemus, & invidere potius Gloriae ejus videbimur, si voluerimus diutius flere REGNANTEM.* Atque haec Anno Christi CCCCIV. scribebat Hieronymus: in quibus, caecus sit, qui non videat lucidissimis coloribus depictam beatissimam illam Vitam ac Visionem Dei, quam adversus vetustissimum Catholicae Ecclesiae dogma arrodere aevo hoc nostro non eribuit Burnetus. Tricis, cavillationibus non est heic locus. Quo posito, da mihi, si potes, inter veteres peritiorem & doctiorem divinarum Scripturarum Interpretem, quam Hieronymus. Eum quippe nihil fugit eorum, quae Scriptores quique Ecclesiae filii literis antea consignarant. Quum ergo tanta cum fiducia ille asserat, non differri, sed brevi, aut statim, a Piorum Animabus iniri ineffabilem Gloriam, & Requiem deliciis omnibus saturatam in Caelestibus Mansionibus, in Domo Dei, in Civitate Domini, in Regno Caelorum; quid restat, nisi ut manu tandem teneamus, primis Ecclesiae Saeculis non aliam passim floruisse sententiam, quam quae adhuc vivida est de mortuorum statu Catholica in Ecclesia, aut saltem certiorem communi calculo tunc reputatam fuisse?

Hieronymo Synchronus atque intimus amicus fuit *Theophylus Archiepiscopus Alexandrinus*, Anno Christi CCCLXXXV. ad eam Cathedram provectus. Habemus tres ejus Epistolas Paschales, aut sub finem illus Saeculi, aut ineunte subsequenti scriptas, & Latio donatas ab ipso Hieronymo. Porro is quoque in exordio primae ex iis Epistolis nos hortatur, ut *festinemus supernae laetitiae festa celebrare, & jungere nos Angelorum choris, UBI CORONAE ET PRAEMIA ET CERTA VICTORIA EST, & desiderata triumphan-*

*phantium palma proponitur. Nec differamus, tumentibus carnis fluctibus liberati, clavum tenere virtutum, & post grandia maris pericula turissimum CAELORUM INTRARE PORTUM.* Haec scribebat, qui persuasum plane habebat, Praemia illa immensa parata Justis esse statim post mortem. Neque aliam fuisse constat sententiam *Paulini Nolani Episcopi*, qui initia Saeculi Quincti suis & ipse scriptis, atque sanctissimis praesertim moribus illustravit. Supra Cap. XII. vidimus, quemnam in locum Beatitudinis translata ab eo dicatur Anima Clari Presbyteri. Accipe nunc, quid ipse scripserit de Sancto Felice Presbytero Nolano, Natali III.

*Occidit, & CHRISTO superis est NATUS IN ASTRIS,*
*CAELESTEM NACTUS sine sanguine Martyr HONOREM.*

Natali VI.

*——— Superi Felicis mente fruuntur,*
*Corpore nos: Animaeque potentis Spiritus illic*
*Vivit, & heic meritum.*

Addit infra:

*Ast illum placido scandentem celsa volatu,*
*Et casto assumtum de corpore, laeta Piorum*
*Turba per aethereas susceperat obvia nubes.*
*Angelicique chori, septemplicis agmina Caeli,*
*Totis, qua Caelum patet, occurrentia portis,*
*REGIS AD ADSPECTUM, SUMMIQUE PARENTIS AD ORA,*
*Sidereo volucrem laeti vexere triumpho.*
*Tum nivea sacrum caput ornavere Corona:*
*Sed tamen & roseam Pater addidit, indice Christo.*

Sunt & alia in eodem Natali, quae praetereo. Tum in Natali XII. quem ego publici juris feci Tom. I. Anecdotorum meorum, similia leguntur: atque inter cetera Natalem diem Sanctorum appellari illum dicit,

——— *in quo lege functi carnea*

*Morta-*

*Mortalitatis exuuntur vinculis,*
*ET IN SUPERNA REGNA NASCUNTUR DEO.*

Ad Annum Chriſti CCCCXXXVII. magnus Annalium Eccleſiaſticorum parens Epiſtolam produxit *Antonii*, ſive *Antonini* Epiſcopi Conſtantienſis in Africa, quem Gennadius *Honoratum* appellat Cap. XCV. de Viris Illuſtrib. ubi ejuſdem Epiſtolae mentionem facit. Hanc editam rurſus habes in Tom. VIII. Bibliothec. Patrum. Ibi ſolatur pius ille Epiſcopus Arcadium quendam in exſilium a Genſerico Wandalorum Rege actum, atque inter cetera inquit: *Tribulatio, exſpoliatio, exſilium, remiſſionem tibi contulit peccatorum. Mors autem aperit tibi Regna Caelorum. Qualis eris, quum tu cum Sancto Stephano eris? Qualis eris, quum Petrum & Paulum, quos rogare ſolebas ut patronos, habebis amicos? CHRISTUM MOX tua ANIMA VIDEBIT, & Corpus tuum erit in refrigerio Reſurrectionis, ut & ipſa Caro videat, quod tua Anima, quum exierit, Mox Videbit.* En quid eſſet antiquis *Diſſolvi*, & *Eſſe cum Chriſto*, nempe idem atque *Regna Caelorum* ingredi, ſimulque intueri Facie ad faciem Dominum: quae ſumma eſt Beatitudinis praerogativa. Hiſce jungendus eſt *Sanctus Proſper*, celebris ille diſcipulus & amicus Sancti Auguſtini. Is Lib. I. Cap. XVI. de Vocatione omnium gentium (quod Opus nonnulli tribuunt Sancto Leoni Magno Pontifici maximo) de Parvulorum ſorte poſt hanc vitam agit, haec inquiens: *Omnes ante ullum intelligentiae ſenſum, ante liberum voluntatis arbitrium, ALII AD AETERNAM BEATITUDINEM regenerati, ALII AD PERPETUAM MISERIAM TRANSEUNT non renati.* De adultis vero loquens Cap. ſubſequenti, ita ſcribit: *Quod ſi & ad illos dirigas mentis intuitum, qui longam in flagitiis & ſceleribus aetatem, ſacramento Baptiſmatis Chriſti in fine vitae renovantur, & ſine ullo ſuffragio bonorum operum IN REGNI CAELESTIS CONSORTIUM TRANSFERUNTUR, quo intellectu divinum judicium comprehendes?* Non diem unum, non unam horam, nedum multa Annorum millia (quod vellet Burnetus) inter illorum e vita exitum, & ſummam Felicitatem aut miſeriam, interponit Proſper: ſed extemplo de eorum ſorte actum eſſe affirmat: quanquam mitius agi cum parvulis Catholica Eccleſia arbitretur.

Sed & ipſe *Sanctus Leo* I. Papa, quem nuper memoravi, hactenus traditum dogma confirmavit, dum Sermone LXXX. in Natali Apoſtolor. Petri & Pauli, Ethnicorum furorem ridet, *quaſi per*

*Sancto-*

*Sanctorum neces gratia Dei posset extingui: cujus hoc ipsum erat maximum lucrum, ut contemtus vitae hujus occiduae, PERCEPTIO fieret FELICITATIS AETERNAE. Pretiosa ergo in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Praeterea Sermone LXXXIII. in Festo Sancti Laurentii; *Subtrahitur*, ait, *saeva crudelitas, inventis suis materia mortalis, & LAURENTIO IN CAELOS ABEUNTE, tu deficis.* Denique illum audi Sermone XCVI. in Cathedra Sancti Petri, si tamen illius est. Cum die Martyrii diem Cathedrae componit eloquentissimus Pontifex, & utramque ita describit: *In illa siquidem alternantibus hymnidicis Angelorum choris EST INEFFABILITER CORONATUS; in ista vero exsultantibus undique fidelium turmis, Pontificali Cathedra cum magna gloria est sublimatus. In illa ad suam Beatitudinem CAELI CONSCENDIT THRONUM &c.* Aequalis etiam aetate Leoni Magno fuit *Sanctus Hilarius* Arelatensis Episcopus, cujus Vitam habemus, a *Sancto Honorato* Massiliensi Episcopo ejus discipulo conscriptam, atque a Gennadio in Catalogo Viror. illustr. laudatam. Uti ex ea discimus, mortem suam praenuntiavit Hilarius, ad alumnos suos haec fatus: *Hora diei undecima* Anima mea *de Corporis domicilio liberata ad supremum Judicem festinabit.* Quibus verbis testis & ipse nobis est, tunc in Ecclesia viguisse sententiam de peculiari atque occulto hominum Judicio post singulorum mortem. Quo autem insignis illius Antistitis Anima emigrasse credita fuerit, in exordio ejusdem Vitae indicavit Honoratus Episcopus illius Auctor. *AD ASTRA MIGRAVIT. CHRISTO ADSTAT*, sunt ejus verba. Tum sub finem: *SINE DUBIO*, ait, *AETERNORUM COMPOS efficitur GAUDIORUM, sicut arbor PARADISI foecunda.* Infra vero ad ipsum oratione conversa inquit: *Cur ANIMA tua non majora praestet IN PARADISI BEATITUDINE POSITA, quam in Saeculi certamine constituta? Vocatus ab Auctore, ad laboris fructum & perenne Refrigerium perveniti, in illa beatissima Patriarcharum* (en Sinus Abrahami) *societate receptus &c. Fac ergo, quaesumus, ut qui te ad Christum feliciter venisse, & sine fine te Regnare cum illo gloriamur, tuis continuo precibus muniamur, & qua frueris CUM CHRISTO GLORIA, perfruamur.* Audi *Basilium* quoque *Seleucienſem* Episcopum, ejusdem Saeculi Quincti Scriptorem Graecum, qui in laudatione Sancti Stephani, ipsum Protomartyrem alloquens ait: *Tu labore defunctus, REGI REGUM CONREGNAS, & Domino Dominantium. Flagitamus supplices tuae illi Regiae aggregari.* Testis praeterea accedat & *Sanctus Maximus Taurinensis* Saeculo

culo ipſo Epiſcopus. Is poſtquam in Homil. de Sanctis Martyribus, non eos tantum, qui ſanguine ſuo Fidem tuentur, ſed & reliquos Fideles Dei cultores, Martyrii corona donari ſcripſit, divites Saeculi cum paupertatem voluntariam amplexis confert, inquiens: *Tu, quum recedis a Saeculo, relinquendo tuas divitias perdidiſti: ego autem, quum mihi de hoc Mundo migrare contingit, divitias meas AD PARADISUM vebo. Tuas divitias poſt mortem, exemplo illius purpurati divitis, ignis & tenebrae ſubſequentur: meas divitias, exemplo Lazari, SINUS ABRAHAE ET BEATITUDO ſuſcipiet.* Non ſemel vidimus, *Abrahae Sinum* a Patribus ſumi pro Beatitudinis loco, ipſumque alio ſub nomine eſſe *Paradiſum*. In ea ſententia Sanctum etiam Maximum fuiſſe animadvertis. Ecquid vero fuit ſacro huic Antiſtiti *Paradiſus?* Idem atque *Regnum Caelorum*. Fidem faciunt ejus verba in Homil. I. de ſancto Latrone, ubi ait: *BEATUS Latro, dum ſupplicium patitur, REGNUM CAELESTE CONSEQUITUR. Videamus, cur tantorum criminum reus tam cito a Salvatore PARADISUM PROMERETUR.* In Homil. I. de Sancto Laurentio ait, Xiſtum Romanum Pontificem, quod paſſioni vicinus foret, fuiſſe *Regnis Caeleſtibus jam vicinum*. Mitto alias de Apoſtolis & Martyribus, & de Sancto Euſebio Vercellenſi Epiſcopo, ipſius Homilias, in quibus Caeleſtem Beatitatem eis a Deo conlatam ſaepe ſignificat.

Circiter An. Chriſti CCCCXI. Ravennatem Cathedram eximius vir *Sanctus Petrus Chryſologus* aſcendit. Proſtant ejus Sermones, e quibus diſcas, quae illius ſententia fuerit in praeſenti controverſia. In Sermone LXVI. pauperis Lazari, ac Divitis in Evangelio famoſi Hiſtoriam ſive Parabolam illuſtrat. De primo in haec verba loquitur: *Recipit pro doloribus REQUIEM, pro opprobrio GLORIAM, pro contumeliis HONOREM, pro deſpectu GRATIAM, pro poenis IMMORTALITATEM, pro vulneribus PRAEMIA, pro ſiti REFRIGERII FONTEM, pro fame CAELESTIS MENSAE DELICIAS SEMPITERNAS: & quem Divitis angulus non cepit, Sinus Divinae Conſolationis includit.* Quanquam ſacris phraſibus ſive coloribus pingatur Lazari vita functi ſtatus, peritus tamen Lector intelligit, hiſce delineari Beatam illam Vitam, quae pios Chriſti Fideles in Caelis manet; neque aliud Chryſologo fuiſſe *Abrahae Sinum*, niſi ineffabilis illius Beatitudinis ſedem. Potiora nihilominus & clariora ſunt, quae eloquentiſſimus Praeſul addit infra, dum ait: *Dicendo ſic, tam Juſtos quam Injuſtos ante adventum Domini apud Inferos fuiſſe declarat, & diſcretos locis tantum, non regionibus fuiſſe divi-*

*diviſos. Poſtquam vero Dominus reſurgens a mortuis aperuit Infernum, patefecit Caelos, Paradiſi clauſtra reſeravit, DEDIT SANCTIS PARADISI INTRARE REQUIEM AD CAELI GLORIAM PERVENIRE. Iſta qui ſic credit, intelligit, quid mortalibus veniens donaverit Chriſtus.* Non credidit, non intellexit haec Burnetus. Etiam negavit, nunc Improbos in Inferorum igne cruciari. At poſtquam illum Judex aeternus ad ſe accivit, oculos ad ea, quae negabat, aperuit. Nos interea diſcimus, quid ante mille & trecentos Annos Catholica crederet Eccleſia, cujus communem doctrinam complectitur & profert Chryſologus. Et vide, quam multa tam paucis exhibeat. Chriſtianae gentis *Paradiſus* non jam terreſtris, ſed in Caelo efformatus a Deo: ibi *Requies*, ibi *Gloria*, ibi *Honor*, ibi *Gratia*, *Immortalitas*, *Refrigerium*, ibi *Deliciae Sempiternae*, ibi *ad Caeleſtem Menſam* (quod Chriſtus in Evangelio pollicitus fuerat, innuens inenarrabilem Juſtorum Laetitiam ac Felicitatem in Caelis) ſaturatae Piorum Animae. Qua igitur fronte Burnetus dictitat, defeciſſe in ejuſmodi quaeſtione a veterum ſententia Catholicam Eccleſiam? Proinde ad illum, ejuſque ſimiles incredulos, dixiſſe videtur infra idem Chryſologus: *O ſi quis veniret a mortuis, & quod ibi agitur, heic referret, omnes crederent ei.* Haec etiam Burnetus, ut puto, in cordis ſui intimo ſibi canebat. At cur ille non credidit Chriſto affirmanti, inhumanum Divitem illum torqueri in Flamma ac Tormentis, & quidem ante ſupremum ſolemne Judicium: patientiſſimum vero Pauperem jam Recepiſſe Bona ac Praemium Patientiae ſuae in Sinu Abrahae; quem Locum veteres ferme omnes pro Caeleſtis Beatitudinis domicilio ſumſerunt? *Scimus*, inquit heic Chryſologus, *ſcimus, & Vitam parari bonis, & malis Tormenta praeparari; ſed dum vitiis capti, virtutum tempus nolumus advenire, fingimus neſcire, quod ſcimus; quum de Caelo Chriſtus veniens, & ab Inferis ipſe rediens, & quid bonos in Caelo maneat, & quid malos exſpectet in Inferno, & verbo docuerit, & firmaverit exemplo.* Ceterum Chryſologus in eodem argumento de Divite & Lazaro verſatur Sermone CI. ubi haec repetit: *Factum eſt autem, ut moreretur Pauper, & portaretur ab Angelis in Sinum Abrahae. Non immerito, fratres, ſua tunc Deus omnes Sanctos ſuſcipit in Requie, & in ipſa Caeleſti Beatitudine fungitur Diſpenſatoris officio &c.* Quippe haec eſt Domini ipſius promiſſio Luc. XII. 37. ubi paratum Juſtis immenſum poſt mortem in Caelis Praemium, hiſce verbis deſcribit: *Beati ſervi illi, quos, quum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis,*

*quod*

*quod praecinget ſe, & tranſiens miniſtrabit illis.* Denique Chryſologus in Sermone CXIX. Apoſtoli verba: *Omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium*, exponens, inquit; *Si pro corruptibili corona tantus labor a quibuſdam ſuſcipitur: quanto magis nos omnem laborem ſuſtinere debemus, quibus Praemium Caeleſte, & Aeternae Gloriae Corona promittitur? Si certantes vincimus, tot Coronas accipimus, quot vitiorum victores fuerimus. Sancti Martyres in agone certaminis poſiti, non ſolum vitia peccatorum, ſed ipſam mortem vicerunt, & Praemia Immortalitatis ſuſceperunt.*

Sed ex Italia in Aegyptum, quaeſo, navigemus, Sanctum quoque *Iſidorum Peluſiotam*, virum magnum, interrogaturi, quaenam ſibi fuerit in hocce argumento ſententia. Illum, inquam, adeamus, celeberrimum Chryſoſtomi diſcipulum, qui ſibi Anno Chriſti CCCCXX. ingentem cum doctrina, tum pietate famam comparavit. Itaque is Lib. I. Epiſtol. 376. ait: *Pilifer ille Baptiſta, & Divitis janitor* (ideſt Lazarus) *qui fame ac nuditate contabuit*, (Ε'ΙΣ ΤΗ'Ν Α''ΛΕΚΤΟΝ, *καὶ ἀπέραντον ἀναφέρονται καὶ τάλαντα* ΒΑΣΙΛΕΙ'ΑΝ) *IN SEMPITERNO, ac finis omnis experti REGNO verſantur & confoventur.* Divitem quoque in Gehenna & Igne verſari addit. Tum Lib. II. Epiſtol. 179. patientiae documenta tradens, ſcribit: *Neque enim heic eſt laborum praemium: verum heic quidem Certamina; POSTEA autem PRAEMIA.* Quod ille repetit eodem Lib. II. Epiſtol. 24. inquiens: *Perſpicuum eſt, certaminum & laborum ſtadium hanc vitam eſſe; CORONARUM autem & PRAEMIORUM futuram.* Ad haec Lib. IV. Epiſtol. 121. Lazarum quidem fatetur ad extremam perveniſſe miſeriam; *ea tamen calamitas ipſi Felicitati fundamentum exſtitit Maximum ac veriſſimum: Niſi enim ad tantam delatus eſſet miſeriam, numquam AD tantum GLORIAE CULMEN deveniſſet.* Neque ei duntaxat, uti nos idem Iſidorus docet, ſublimia haec praemia elargitus eſt Deus: ceteris quoque in virtutis curriculo certantibus eadem ipſe paravit. *Certaminibus enim* (inquit Lib. IV. Epiſtol. 204.) *merito conſequentia ſunt etiam Praemia. Atque Evangelicis decurſis ſtadiis, CAELUM, & quae in eo ſunt Bona, NOS MANENT.* Et ne Burnetus aliquos heic in ſcirpo nodos quaerat, ſuamque enormem ſomniatam intercapedinem inter Certamina & Praemia, invito Iſidoro, in ejus verba obtrudat, accipe quid ſanctus ille Aſceta ſcripſerit Lib. II. Epiſtol. 151. ad Theophilum Lectorem. *Beatus*, inquit, *Timotheus frater tuus ex hominum coetu exceſſit, id quidem omne, quod mortale habebat, in terra deſerens, ANIMA autem*

*rem IN CAELUM penetrans, atque cum Divinis ac Mundo sublimioribus Virtutibus, ut confido, choros agitans.* Subinde vero moerorem se abjeciſſe ait, quum recogitaret, *rerum humanarum finem, ampliſſimorum ipſi Bonorum initium exſtitiſſe.* Infra addit: *Verum ut probus athleta in Caeleſtem Aulam ad accipiendam Coronam avolavit.* Nulla ergo de Iſidori mente dubitatio reliqua eſt. Attamen haec ille rurſus confirmat Lib. V. Epiſtol. 388. atque Epiſtol. 396. ubi bene morientibus gratulandum eſſe ait: *Qui enim* (τῆς γὰρ ἄκρας Μακαριότητος ἐυρηκότες τὸν ὅρον) *Summae Beatitudinis terminum repererunt, de ceteris omnibus ſecuri, Animam ſolam exornarunt.* Tum ſubdit, Carnem quoque in Reſurrectione & ipſam fore vivificandam. In Aegypto identidem natus, & Iſidoro eidem multa neceſſitudine conjunctus fuit *Syneſius Epiſcopus Ptolemaidis.* Habemus ſacros illius Hymnos, oeſtro non vulgari compoſitos, in quibus hanc eandem doctrinam diſſeminat. Illum audi in Hymno I.

*Beatus, qui poſt facta,*
*Poſt labores, poſt acerbas*
*Terrenas curas,*
*Ingreſſus Mentis vias,*
*Altitudinem vidit Divina refulgentem Luce.*

In Hymno III. de Sanctis Martyribus ait.

*Quos Angelicis*
*Coronaſti, o Rex,*
*Fulgoribus, tuos ſacros miniſtros.*

Sed & in Hymno I. dixerat:

*Eja mihi, o Anima, bibens*
*Ex Bonorum perenni fonte,*
*Conceptis ſuppliciter precibus ad Parentem*
*Aſcende, neque cunctare*
*Terrae terrena linquens;*
*Mox vero juncta cum Patre,*
*Dea in Deo exſultabis.*

Circi-

Circiter Annum Chriſti CCCCLX. *Arnobius junior*, gente, ut videtur, Gallus, Commentarium in Pſalmos ſcripſit, non ſemel typis traditum. Is autem in Pſalmum 137. haec nobis exhibet: *Qui pure in conſpectu hominum Deo laudes obtulerat, incipit Poſt Depoſitionem Corporis in Conſpectu pſallere Angelorum, & adorare Templum ſanctum, ideſt Dominum Jeſum Chriſtum, in quo Plenitudo Deitatis inhabitat.* Lucem haec ejus verba miniſtrabunt alteri Scriptori, qui Anno Chriſti CCCCXCVIII. floruit, hoc eſt, *Gennadio Maſſilienſi* Presbytero. Huic a pleriſque tribuitur Opuſculum *de Eccleſiaſticis dogmatibus* ſub Auguſtini nomine perperam olim editum. Quanquam is alicubi in tradenda fide Catholicae Eccleſiae a recto tramite declinarit, atque in argumento noſtro ſe perquam jejunum exhibeat, ejus tamen verba occultata nolo. Ita ille Cap. 46. ſecundum editionem Benedictin. in calce Tomi VIII. Operum Sancti Auguſtini: *Poſt Aſcenſionem*, ait, *Domini ad Caelos, OMNIUM SANCTORUM ANIMAE CUM CHRISTO SUNT, & exeuntes de Corpore ad Chriſtum vadunt, exſpectantes Reſurrectionem Corporis ſui, ut ad integram & perfectam Beatitudinem cum ipſo pariter immutentur.* Nihil habet hic Auctor de loco, ubi Juſtorum Animae poſt diſſolutionem Corporis degant: attamen ſat nobis canit, quum illas *ad Chriſtum* proficiſci, & *cum Chriſto eſſe* pronuntiat. Quis enim negare audeat, quin Beatus ſit, qui cum Chriſto ſit jam poſito in Caeleſti Beatitate, & in Gloria Dei Patris ſedente, & conſpiciat atque contempletur non amplius per fidem, ſed per ſpeciem illum, qui Via, Veritas, & Vita eſt?

Atque heic locum habeat Sancti Athanaſii doctrina in Oratione contra Gentes Cap. 2. Scribit ille, Hominem in principio a Deo omnium opifice, *per proprium Verbum & Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum*, efformatum fuiſſe ad imaginem ſuam, eumque donatum propriae aeternitatis cognitione, *ut videlicet hac conſervata ſimilitudine, numquam cogitationem a Deo averteret, neque a Sanctorum convictu diſcederet: ſed datam gratiam, & propriam ex paterno Verbo vim infuſam retinens Exſultaret, & Cum Deo Familiariter Viveret, ac Vere Beatam Immortalem Vitam duceret. Nam ſi nulla re a Dei cognitione impediatur: Animae mundiria, Patris Imaginem Deum Verbum, ad cujus quoque Imaginem factus ille eſt, Semper Contemplatur, ſummoque ſtupore admiratur providentiam, qua Mundus per ipſum adminiſtratur. Ita rebus quidem, quae ſub ſenſu cadunt, & corporeae ſunt, excelſior efficitur; cum his vero, quae Caeleſtes ac Di-*

*vinae*

*vinae ſunt, ſolaque intelligentia comprehenduntur, vi Mentis conjungitur. Quum enim corporibus Mens humana non adhaereſcit, neque aliud ex eorum cupiditate extrinſecus admixtum habet; ſed tota ipſa ſurſum ſecum eſt, ſicuti initio facta eſt; tunc ea, quae ſenſus movent, omniaque humana tranſcendens, in ſublime fertur, Verbumque & in Verbo Verbi Patrem Videt, cujus Contemplatione delectata, ſuo erga illum amore & deſiderio renovatur: quemadmodum utique primum Hominem, qui Hebraea Lingua Adam dictus eſt, ſacrae Scripturae narrant, initio ſumma cum libertate & fiducia Mente Deo adhaeſiſſe, Sanctorumque ſocietate & conſuetudine potitum fuiſſe in illa rerum Caeleſtium Contemplatione, qua illo in loco fruebatur, quem Sanctus Moyſes tropo quodam Paradiſum appellavit. Animae enim mundiția eam ad Deum per ſe ipſa Contuendum idoneam reddit, ut ipſe Dominus ait Matth. V. 8 Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum Videbunt.* Haec Athanaſius. Si ergo Patres in Viſione & Contemplatione Verbi (in quo etiam Patrem Mens videt) ſtatuerunt *Immortalem Vereque Beatam* primi Hominis *Vitam:* quid putandum de Anima Juſtorum corporeis nexibus ſoluta, quae ad Verbum, hoc eſt Chriſtum jam glorificatum pergat, & cum Chriſto degens, ejuſque adſpectu & familiaritate fruens, & *Claritatem*, hoc eſt *Gloriam* illius contemplans, in Caelis habitet? Hoc certe Apoſtolus proſpectabat veluti futurae ac ſperatae Beatitudinis apicem; & propterea Prima ad Theſſalonicenſes IV. 16. dicebat: *Et ſic ſemper cum Domino erimus.* Ab ejuſmodi Felicitate disjunge, ſi potes, Viſionem beatificam Dei, quando Paulus in conſortio & praeſentia Chriſti Dei, atque in illius revelata facie Beatitatem Juſtorum collocare in primis videtur. An Adam facie ad faciem, dum in Paradiſi deliciis verſatus fuit, intueretur Verbum, & in Verbo Verbi Patrem, aliis diſputandum relinquo. Nos compertum habemus, id Juſtorum Animabus a Corpore ſeparatis, poſt Crucem, Reſurrectionem, & Aſcenſionem Filii Dei in Caelum, concedi, neque tam grande donum differri ad finem Mundi. Semper enim Chriſtiano homini ante oculos recurrant oportet Apoſtoli non fallacia verba Secund. ad Corinth. V. 6. quae repetere atque inculcare ſemper juvabit: *Scientes, quoniam, dum ſumus, in Corpore, peregrinamur a Domino* (ideſt, remoti ſumus a beato conſpectu Jeſu); *per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem. Audemus autem, & bonam voluntatem habemus* (ſcilicet cupimus), *magis peregrinari a Corpore, & Praeſentes Eſſe Ad Dominum.* Itaque cupiebat Paulus, ut finis adeſſet praeſentis peregrinationis, atque

que Anima ex isto carcere exiret. Heic enim, quantumlibet sanctus sit homo, & cum Deo conjunctus, Deum tamen tantummodo per fidem, per speculum, & in aenigmate contuetur. At ubi a crassa hujusmodi materia expeditur Anima, jam fit praesens ad Dominum, ejusque divinitatem *per speciem*, idest, facie ad faciem intuetur & contemplatur. Proinde quum Paulo exploratum foret, si ex humanis abiret, se statim fruiturum beata Visione Domini nostri: propterea mori lucrum putabat, mortemque exoptabat: quod & reliqui subinde Sancti in votis habuere. Multi Patrum, uti hactenus vidimus, diserte tradiderunt, Piorum Animas in Caelum translatas inter Choros Angelorum, qui sane Deum vident, versari, adsistere Triadi, ac Deum facie ad faciem contueri. Porro idem significant tum ipsi tum ceteri, dum scribunt, felices Justorum Spiritus *ad Dominum pergere, esse cum Christo, praesentes esse ad Dominum;* unus quippe Deus est cum Patre & Spiritu Sancto Dominus noster. *Neque dubitandum*, inquit Beda Sermone aestivali de Sancta Pentecoste, *quia quibus Gloria Filii revelabitur, eisdem quoque Patris & Spiritus Sancti licear ADESSE Conspectui: quia quorum una est Divinitas, una utique & inseparabilis Visio est.*

## CAPUT VICESIMUMTERTIUM.

*Burneti ridendae exclamationes adverſus Florentinum Concilium. Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus, Primaſius Adrumetinus, Gregorius Magnus ſummus Pontifex, Ildefonſus, & Julianus Archiepiſcopi Toletani, Beda Anglus, Aldhelmus itidem Anglus, Alcuinus pariter Anglus, Sinodus Francofordienſis, Florus Magiſter, Paſchaſius Radbertus, Petrus Lombardus, Thomas Aquinas, aliique Sententiam Romanae Eccleſiae de Beatitudine Sanctorum tuentur. Ab eadem primo alienus Joannes XXII. Papa, tum ipſam confirmat.*

ATQUE his hactenus digeſtis, habet, ut ſpero, jam Lector, unde miretur ac doleat ſeditioſum Burneti ingenium, ſimulque methodum illuſoriam, qua ille uſus eſt in pertractando hoc tanti momenti in Republica Chriſtiana argumento. Non ſecus atque illi fraudulenti, aut craſſa Minerva nati, qui cauſſae alicujus civilis patrocinio ſuſcepto, id unum curant, ut ſuae partis tabulas, teſtes, atque rationes exerant & exornent, neglectis ſive contemtis, quibus adverſariorum cauſſa juvatur; Burnetus quoque in controverſiam iſtam invaſit. Quae ſibi propitia in ſacris Literis, atque in antiquis Eccleſiae Scriptoribus viſa ſunt, haec ille diligenter arripuit, ſummaque confidentia oculis incautae gentis objecit, triumphum hac una via ſibi pollicitus. At quae ſibi adverſari tum in eiſdem divinis Libris, tum apud veteres Patres novit, aut diſſimulavit, aut levi brachio excuſſit. Propoſita autem Romanae Eccleſiae ſententia, Sanctorum Animabus purgatis aditum in Caelum, ac Viſionem Dei tribuente: *Deus bone!* is exclamat pag. 59. *unde deſumta ſunt haec verba? Ex quo Libro ſacrae ſcripturae? ex quibus monumentis primitivae Eccleſiae?* Immo is vix credenda temeritate pag. 74. unum Stapletonum adducens ait: *Pontificii (quorum intereſt maxime, ut Caelo, Gloria, & Viſione Dei fruantur Sancti ante Reſurrectionem) fatentur, Patres generatim ea de re nobiſcum convenire.* Ridendam ſane, liceat primo dicere, exclamationem. Riſiſſet & Burnetus Arianum exclamantem: *Bone Deus? unde deſumta vox Homouſios, ſive Conſubſtantialis? ex*

quo

*quo ſacrae Scripturae Libro? quibus e monumentis primitivae Eccleſiae?* Riſiſſet quoque Macedonianum, Neſtorianum, Euthychianum, alioſque id genus a Catholica Eccleſia damnatos, ſi Eccleſiae inſultaſſent, quod in decretis adverſus illos promulgatis verba adhibuiſſet, neque in Scripturis Sacris, neque a Patribus antea diſerte uſurpata. Dum res in Divinis Libris contineatur, aut inde recte educatur, aut per legitimam veterum Traditionem ad nos veniat: ſtulte de Vocibus ineatur contentio. Nam ſi in Libris divinitus conſcriptis dogmata quaeque conceptis verbis traderentur, nulla fortaſſis emergeret de iis diſputatio. Porro quam longe ab aequitate abſceſſerit Burnetus, dum pro ſe *Patres generatim* ſtare jactitat, &, quod gravius eſt, id *ſincere* Catholicos fateri pronuntiat, in ſuperiori certamine jam palam factum fuit. Quos ille pro ſe laudat, aut nullius eſſe ponderis deprehendimus, quoties a Catholica Eccleſia diſſentiunt, aut ipſos plerumque invenimus cum ipſius Eccleſiae Catholicae ſententia omnino concordes. Nos contra, *nubem teſtium*, ut ait Apoſtolus, hoc eſt ingentem Eccleſiaſticorum Scriptorum coetum produximus, eoſque in Eccleſia praeſtantiores & doctiores, majoriſque nominis, praecones magnificos ejuſdem doctrinae, quam tandem Florentinum Concilium poſtremo calculo probavit. Atqui ſunt ex antiquis nonnulli, qui aliter, quam nunc creditur, ſenſiſſe videntur. An ita ſit, expende primo. Tum etiamſi id ſtatuas, memineris oportet, & aliis erroribus ab Eccleſia proſcriptis aliquem non defuiſſe antea patronum, quum nempe nondum ad Eccleſiae examen rite deducta fuerat controverſia, & liberum cuique erat in re nondum definita, quam vellet, opinionem amplecti. Immo nullus error, nulla haereſis prodiit unquam, cui non varia Scripturarum loca militare ab earum propoſis exiſtimata fuerint. At numquid obſtitit, aut obſtare debuit paucorum contraria opinio, aut apparatus ille e Scripturis male peritus, quo minus Eccleſia communem melioremque Traditionem ſequuta, quod foret veritati magis conſonum, decerneret? *Conſenſionem ſequemur, ſi in ipſa vetuſtate, omnium, vel PAENE OMNIUM Sacerdotum pariter & Magiſtrorum definitiones ſententiaſque tenemus:* inquit, & quidem egregie, Viceſtius Lirinenſis Cap. II. Commonit. Propterea poſtquam perſpeximus, ab ipſis primis Eccleſiae Saeculis illud ipſum dogma de Beatitate Sanctorum, quod Florentini Concilii decreto firmatum fuit, viguiſſe in Eccleſiis Orientis, Aegypti, Africae, Italiae, Galliae, atque Hiſpaniae, & praeſtantiſſimos Patrum eidem adhaeſiſſe, potioremque Populi Chriſtiani partem ea doctrina

fuiſſe imbutum; temere profecto agat, qui in eo Oecumenici Concilii decreto aliquid novitii, aliquid peregrini ſibi fingat, aliiſque perſuadere velit. Sed jam ſtat medius Lector ut judex, atque acceptis utriuſque ſententiae momentis, jam, ut ſpero, agnoverit, quanto jure Catholica Eccleſia in ea conquieverit, & ſtandum decreverit, quam nempe variis in locis divinae Scripturae, & ſuffragio veteris quoque Traditionis comprobatam firmatamque invenit, & quam deſerere grande piaculum fuiſſet.

Hujuſce autem Traditionis continuationem in Eccleſia poſt Saeculum a Chriſto nato Quinctum brevibus oſtendam; neque enim juvat ultra, quam par eſt, fatigare Lectorem. Nonnullis ergo celebrioribus Eccleſiaſticis Scriptoribus ſubſequentis aetatis contentus, expedito itinere ad metam feſtinabo. Circiter Annum Chriſti DIV. Ruſpenſem Epiſcopatum in Africa iniit inſignis ſcientia ac ſanctimonia vir *Sanctus Fulgentius*, atque Anno DXXXIII. plenus meritis vivere deſiit, inter ſui temporis Epiſcopos facile princeps. Is in Lib. de Fide ad Petrum Diaconum Cap. III. a Burneto prorſus diſcors, haec habet: *Illi cum Chriſto Regnabunt, quos Deus gratuita bonitate ſua praedeſtinavit ad Regnum, praeparavit etiam glorificandos, ut Chriſti coheredes effecti, Regnum Caelorum ſine fine poſſideant. Ad quod Regnum diverſis temporibus per Sacramenta, quae ad fidem Incarnationis ſuae Dominus inſtituit, Illi Pervenerunt, quos Deus gratis, nullo bonae voluntatis, vel boni operis merito praecedente Salvavit.* Eandem doctrinam ab eo confirmatam habemus in exordio Epiſtolae II. ad Gallam de conſolatione ſuper morte mariti, ubi ait: *Neque enim fruſtra Dominus Conjugem tuum religione ſincera fidelem &c. de peregrinatione hujus Vitae ad Aeternam Caeleſtis Patriae celeriter tranſtulit Manſionem, niſi ut & illi Gaudia Aeterna conferret, & tibi facultatem melius vivendi conferret. Illi donavit, ut Corpore ſpoliatus, ſit cum Chriſto ſine fine Victurus: tibi donavit &c.* Alia dimitto Sancti Fulgentii loca, id unum moniturus, quum is de Reſurrectione & ſupremo Judicio agit, & praeſertim Lib. II. Cap. X. de Remiſſion. Peccator. non aliud ab ipſo tradi, quam quod Catholici tradunt. Scilicet *Nulla ibi erit remotio Malorum, quamvis futura ſit Bonorum promotio meritorum. Illa enim manebunt in Poena; iſta Perficientur in Gloria.* En ipſiſſimum Catholicae Eccleſiae Dogma, in Africanis Eccleſiis ſemper conſtans, & ab eximio ſanctoque illo Epiſcopo rurſus confirmatum, quem *ad Caeli Regna translatum* in ejus Vita ſine haeſitatione affirmat Auctor certe ſynchronus, illiuſque

liuſque diſcipulus, in Actis Sanctor. ad diem Primam Januarii. Sanctum Fulgentium nunc ſubſequatur alter in Africa Epiſcopus, hoc eſt *Primaſius* Adrumetinae Sedis Antiſtes, qui Anno Chriſti DL. floruit. Ei tribuitur Commentarius in Epiſtolas Sancti Pauli, non ſemel typis traditus. De antiquis Patriarchis dixerat divinus Apoſtolus ad Hebr. XI. 39. *Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquod providente, ut non ſine nobis conſummarentur.* Hoc telo non ſemel uſus eſt Burnetus adverſus Catholicorum ſententiam, quaſi verbis iſtis Apoſtolus praemia & gloriam Sanctorum uſque ad conſummationem Saeculi diſtulerit. At nos non ſemel reſpondimus, a Paulo duntaxat indicari Gloriam redivivae Carnis, quam illi ſine nobis nequaquam conſequentur; aut affirmari, mercedem minime illis conlatam, antequam adveniret Chriſtus ad redimendum genus humanum. Nam tunc & illi, & Chriſti fideles, repromiſſionem accipere coeperunt: quae ſententia fuit Sedulii Scoti in Collectaneis ad Epiſtolas ejuſdem Apoſtoli, atque aliorum Interpretum. Accipe nunc quid Primaſius ſcribat: *Repromiſſionem non acceperunt. Dicit ergo aliquis: Quid eis profuit Deo ſerviſſe, ſi hactenus ſine praemio permanent? Abſit hoc a fidelium cordibus, ut credamus* (quemadmodum Burnetus credebat) *eos ſine praemio manere. Adhuc quippe mortali Carne circumdati, magnum praemium perceperunt, vivendi ſcilicet, Deum cognoſcendi, multaque mirabilia patrandi. Nunc vero quieſcunt in Anima, in Beatitudine Regni Caeleſtis, Ineffabili Laetitia perfruentes.* Tum inquit, eos in generali Reſurrectione recepturos *immortalitatem & incorruptionem in Corpore, quam modo habent ſolummodo in Anima.*

Uti Sanctus Fulgentius initium Saeculi Sexti, ita finem mirum in modum illuſtravit *Sanctus Gregorius Magnus*, Anno Chriſti DXC. Romanus Pontifex electus, cui paucos in ſublimi loco illo pietate, prudentia, atque doctrina pares oſtendere poſſis. Chriſtianae Fidei lucem, aut illius reſtitutionem ei debet Anglia: ac proinde, ſi quod ille cenſuit de controverſia praeſenti, fuerimus aſſequuti, duo etiam ſimul ediſcemus; ſcilicet qualis foret Eccleſiae Romanae, omnium praeſtantiſſimae atque magiſtrae, de Beatitate Sanctorum Traditio, & quid hac de re Anglo-Saxones Britanni ſentire primum coeperint. Is ergo in Praefatione ad Librum Job ſub finem quaerens, cur teſte Sancto Joanne in Apocalypſi VI. XI. Sanctis in Caelo datae ſint *Singulae Stolae*, ait: *Ante Reſurrectionem STOLAS SINGULAS ACCEPISSE dicti ſunt, quia ſola adhuc MENTIS BEATITU-*

*DINE PERFRUUNTUR. BINAS ergo ACCEPTURI sunt, quando CUM ANIMARUM PERFECTO GAUDIO ETIAM CORPORUM INCORRUPTIONE vestientur.* Tum Lib. IV. Cap. 29. in eundem Librum Job, verba illa interpretans: *cum Regibus & Consulibus terrae*, ita loquitur: *Potest futuros praedicatores Ecclesiae in praesentia spiritus contemplari, qui postquam de Corporibus transeunt, nequaquam per morarum spatia, sicut antiqui Patres, a Caelestis Patriae perceptione differuntur. Mox quippe ut a carnis colligatione exeunt, IN CAELESTI SEDE REQUIESCUNT, Paulo attestante, qui ait: Scimus, quoniam si terrestris domus &c.* In idem dogma confluunt, quae sanctissimus ille Pontifex differit Lib. IX. Cap. XI. num. 17. in Librum eundem Job: *Interiora*, inquit, *Austri sunt occulti illi Angelorum ordines, & secretissimi Patriae Caelestis Sinus, quos implet calor Spiritus Sancti. ILLUC quippe SANCTORUM ANIMAE & NUNC Corporibus exutae, & post Corporibus restituendae PERVENIUNT, & quasi astra in abditis occultantur.* Sed & infra luculentiori sermone haec ipsa confirmat, inquiens Lib. XIII. Cap. 43. *Hoc jam caelestis muneris habemus, ut quum a Carnis nostrae inhabitatione subtrahimur, MOX AD CAELESTIA PRAEMIA DEDUCAMUR. Hi vero, qui ante adventum Domini in hunc Mundum venerunt, quantumlibet justitiae virtutem haberent, ex Corporibus educti, in Sinu Caelestis Patriae statim recipi nullo modo poterant: quia necdum Ille venerat, qui Inferni claustra sua descensione solveret, & Justorum Animas in Perpetua Jam Sede collocaret.* Illos autem, quum in Inferno detinerentur sine tormentis, tamen addit straviſſe lectum in tenebris: *Grave enim taedium electis fuit, post solutionem Carnis, adhuc Speciem non videre Creatoris.* Itaque differre tradit Gregorius, Sanctos ante Christi adventum a Caelesti Patria, atque adeo a Visione Creatoris exclusos esse. Quum vero ad eam Patriam nunc Justorum Animas deferri affirmet, consequens est secundum Gregorii mentem ipsas *Specie Creatoris*, ideſt beatifico Dei adspectu frui. Quanquam dicit omnia, qui illas jam *in Patria* versari dicit. Quod & infra Lib. XVIII. Cap. 28. uberius indicat, ubi de Caelesti Hierusalem loquens, ait: *Quamvis in ea Sancti omnes tanta claritate fulgeant, tanta perspicuitate transluceant, ei tamen Sapientiae, de cujus imagine habent omne quod sunt, aequari non possunt &c.* Addit, illos similes esse Deo, & non similes: *Aspiciendo quippe aeternitatem Dei, fit eis, ut aeterni sint; & dum VISIONIS EJUS DONUM PERCIPIUNT, ex perceptione Beatitudinis imitantur, quod*

*VI-*

*VIDENT. Et ſimiles ergo ſunt, qui BEATI fiunt: & tamen Creatori ſimiles non ſunt, quia Creatura ſunt*, Atque ad hoc ipſum argumentum pertinent, quae magnus iſte Eccleſiae Doctor ſcribit Lib. I. Homil. 19. num. 4. in Evangelia, ubi de Sanctis veteris Teſtamenti iterum verba faciens, illos inquit etiamſi *recte pro percipiendo Regno vixerunt, diu tamen ad percipiendum Regnum dilati ſunt*: quod tunc tantummodo factum, quum Dominus *Paradiſi clauſtra hominibus interpoſitione ſuae mortis aperuit*. Ubi vides nihil diſcriminis a Sancto Gregorio agnoſci inter *Paradiſum*, & *Caelorum Regnum*. Denique ſubdit: *Nos autem poſt Mediatoris adventum in hoc Mundo venientes, ad REGNUM ducimur, MOX UT DE CORPORE eximus, & illud SINE MORA PERCIPIMUS, quod antiqui Patres cum magna percipere dilatione meruerunt*. Adeo perſpicua ſunt hanc in rem beatiſſimi Romani Pontificis verba, ut ſupervacaneum videatur, alia ex ejus Libris delibare. Attamen culpam vix effugerem, ſi inſalutatum tranſilirem nobilem ejuſdem locum Lib. IV. Cap. 2. Dialogorum, ubi perinde ac praeviderit Burnetum aliquem erupturum aliquando, qui in communem Eccleſiae Catholicae doctrinam digladiari non erubeſceret, in haec verba ad Petrum interrogantem, *an Nunc ante Reſurrectionem Corporum, in Caelo recipi valeant Animae Juſtorum*, reſpondet: *Hoc neque de omnibus Juſtis fateri poſſumus, neque de omnibus negare. Nam ſunt quorumdam Juſtorum Animae, quae a Caeleſti Regno quibuſdam adhuc Manſionibus differuntur. In quo dilationis damno quid aliud innuitur, niſi quod de perfecta juſtitia aliquid minus habuerunt? Et tamen LUCE CLARIUS CONSTAT, quia perfectorum JUSTORUM ANIMAE, MOX UT hujus CARNIS CLAUSTRA EXEUNT, IN CAELESTIBUS SEDIBUS RECIPIUNTUR. Quod & ipſa per ſe Veritas atteſtatur, dicens Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilae: quia UBI REDEMTOR NOSTER EST CORPORE, ILLUC PROCUL DUBIO COLLIGUNTUR JUSTORUM ANIMAE. Et Paulus diſſolvi deſiderat, & Eſſe Cum Chriſto. Qui ergo Chriſtum in Caelo eſſe non dubitat, nec Pauli Animam eſſe in Caelo negat. Qui etiam de diſſolutione ſui corporis, atque inhabitatione Caeleſtis Patriae, dicit: Scimus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra &c.* Haec eſt Gregorii Magni doctrina, immo Apoſtolicae Sedis, quam profecto non novam, neque ab eo invectam quiſquam ſuſpicetur, poſteaquam ſtabilem ipſam deprehendimus praecedentibus quoque quinque Saeculis in univerſis Eccleſiis, illamque inter alias profeſſa fuit Romana omnium Magiſtra,

uti

uti literae Martyrum, vivente Sancto Cypriano ſcriptae, & Sancti Damaſus, & Leo I. antea fidem fecerunt. Quamobrem mirum ſemper videatur, quei, Saeculo Chriſti Quartodecimo in mentem venerit Joanni XXII. ſummo Pontifici in diverſam ſententiam inclinare, turbaſque eam ob cauſſam excitare in Galliis. Verum qui rogavit, ne Petri fides dificeret, minime ſivit, ut ejus ſucceſſor Joannes ab antiquiſſima Eccleſiae Traditione deſciſceret; atque illaeſam hac etiam in re hereditatem Patrum ſervavit.

Subſequenti Saeculo Septimo ejuſdem Traditionis teſtes habemus Toletanos duos Archiepiſcopos, *Ildefonſum* videlicet, qui Anno Chriſti DCLVII. ad eam Cathedram aſſumtus fuit, & *Julianum*, qui Anno Chriſti DCLXXX. in eadem ſucceſſit. Auctor eſt Sanctus Ildefonſus in Sermon. de Aſſumtione Beatae Mariae, Sanctos in Caeleſti Gloria poſitos anniverſaria illa die gratulari ob adventum Deiparae in Caelum. Julianus vero in Libris Prognoſticon fuſius de hac ipſa re agit. Et quidem Lib. II. Cap. I. duos Paradiſos ſtatuit; terreſtrem nimirum, ubi primi parentes habitarunt; *alterum vero Caeleſtem, UBI ANIMAE BEATORUM, STATIM UT A CORPORE EXEUNT, TRANSFERUNTUR, atque digna Felicitate laetantes, exſpectant receptionem Corporum ſuorum. DE HOC PARADISO Julianus Pomerius ait: Hinc quoque videntur Animae Juſtorum duci vel ire in Paradiſum, recedentes a Corpore: quo ſe raptum dicit Apoſtolus, mente profecto, non corpore. Item idem poſt aliquanta dicit: Satis eſt dictum de Paradiſo Caeleſti, & quod in eo Sanctae Animae Statim de ſuis Corporibus exeuntes, Deo donante, mittantur. Quod ita debere credi, Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſua auctoritate firmavit, ubi Latroni dicendo: Hodie Mecum Eris In Paradiſo, ſine ulla ambiguitate probavit, quod Beatas Animas, ſuis exutas Corporibus, Paradiſus Caeleſtis ſine ullo intervallo temporis ſuſcipiat.* Claruit *Julianus Pomerius*, heic a Toletano laudatus, Anno Chriſti CCCCXC. teſte Gennadio in Libro de Viris Illuſtribus. Tum pergit Julianus Toletanus inveſtigare, ubi ſit Paradiſus, in quo Beatorum Animae requieſcunt: & Sancti Auguſtini verba e Lib. XII. Cap. 34. de Geneſ. ad liter. profert, quae ſupra Lector a me accepit Cap. XVII. ubi Sanctus Doctor Summum quoque Caelum appellari poſſe *Paradiſum* ſcribit, *&, ſi dici oportet, Paradiſum Paradiſorum*. Deinde Toletanus *de Sinu Abrahae, in quem Beatorum Animae Recipiuntur*, ſermonem habens, haec adjicit: *Sinum Abrahae, Requiem Patris, vel Secretum Patris, ſive etiam Paradiſum, ſignificare, multiplicium,*

Docto-

*Doctorum ſententiis definitum eſſe non ambigo, quum inter ceteros Ambroſius, Auguſtinus, atque Gregorius, tanti Patriarchae Sinum nihil aliud ſignificaſſe, elegantius docuerint.* Demum Julianus Cap. 13. Eccleſiae Catholicae fidem hiſce delineat verbis: *Si eſſe Sanctorum Animas in Caelo, atteſtatione ſacri eloquii credimus, oportet, ut & Iniquorum Animas in Inferno eſſe per omnia credamus: quia ex retributione aeternae Juſtitiae, ex qua Juſti Gloriantur, neceſſe eſt, ut & Injuſti per omnia Crucientur. Nam ſicuti Electos Beatitudo Glorificat, ita credi neceſſe eſt, quod die exitus ſui Ignis Reprobos Exurat.* Et nos ſupra vidimus, communem hanc in Eccleſia ab ejus exordio fuiſſe ſententiam, Divitis praeterea Evangelici exemplo confirmatam, ſcilicet nequaquam procraſtinari Iniquorum ſupplicia poſt mortem; atque adeo *ex retributione aeternae Juſtitiae*, ſi credimus Improbos cruciari, Juſtos pariter opus eſt credere praemio & Beatitudine donari.

Magnam Britanniam, immo & Eccleſiam univerſam, initio Saeculi poſt Chriſtum natum Octavi, illuſtravit venerabilis *Beda*, natione Anglus. Itaque ille in Expoſitione in Cap. XI. Evangel. Joannis ſcribit: *Mortem noſtram Dormitionis nomine Scriptura ſignificat. Nam Corpus, dum deſeritur ab Anima, dormit in ſepulcro, reſuſcitandum in noviſſimo die. Animae vero, dum deſerunt Corpora, diverſas receptiones habent. GAUDIUM BONAE, MALAE TORMENTA. Sed quum facta fuerit Reſurrectio, & bonorum Gaudium amplius erit, & malorum Tormenta graviora, quando cum Corpore torquebuntur.* Haec ille ex Tractatu XLIX. Sancti Auguſtini in Joannis Evangelium. At nunc, bone Beda, quid fieri de Sanctorum Animabus cenſes? Reſpondet ille in Sermon. aeſtivali de Pentecoſte, Sanctos ſcientiae fontem conſpecturos: *Quod etiam de quibuſdam perfectioribus Sanctis, & Ante Tempus Reſurrectionis fieri Dubium Non Eſt; illis videlicet, qui fiducia bonorum operum dicere cum Apoſtolo valent: Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto; mihi enim vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Tum ſubdit: *Sed ne putaremus, eum Apoſtolis ſolummodo, & non etiam nobis, ſi illorum exempla ſequeremur, Beatitudinem divinae cognitionis polliceri, generalem poſt haec ſententiam ſubintulit, & OMNIBUS SE DILIGENTIBUS eadem SUAE VISIONIS ET COGNITIONIS PRAEMIA promittit &c.* Agnoſcit ergo Beda, Sanctorum Animas, jam in Caelum devectas, beari in conſpectu Dei ſummi. Praeterea objectionem exerit, quam dudum a Sancto Auguſtino excitatam ſupra vidimus, eamque ipſius Auguſtini verbis ſolvit, inquiens ad Geneſis verba: *Inſufflavit in faciem ejus ſpira-*

*ſpiraculum vitae; Quaeritur ergo, ſi poteſt Anima abſque Corpore inter Angelos in Perpetua Beatitudine conſiſtere ſine defectu: quid ergo opus eſt, ut iterum ſurgat Corpus, ut illam tunc immortalem induat, quam nunc mortalem depoſuit?* Reſpondet: *Ineſt quidem Corporis adminiſtratio* (fortaſſis *adminiſtrandi deſiderium*) *quo detardatur Anima, ut non in Illud Summum pergat, donec conſurgat Corpus, ut quod nunc ei ſarcinum eſt, tunc ſit in Gloria.* Ceterum Beda in Libro ſingulari aliarum Quaeſtionum Cap. XI. *de Animarum uſque ad reſtitutionem Corporum manſione* agit, & Gregorii Magni verba ex Dialogor. Lib. IV. Cap. 25. nuper a me excerpta, adſerens, omiſſo ejus nomine, ſua pro more facit. Tum Cap. XII. quaerit, *num boni bonos in Regno, vel mali malos in Supplicio agnoſcant.* Reſpondet ille, verba mutuatus ex Lib. II. Prognoſticon Juliani Archiepiſcopi Toletani, cujus tamen ſilet nomen, exemplo Lazari & Divitis Evangelici de hoc eſſe minime dubitandum. Tum addit: *Fit autem in Electis quiddam mirabilius, quia non ſolum eos cognoſcunt, quos in hoc Mundo noverunt, ſed velut viſos ac cognitos recognoſcunt bonos, quos numquam viderunt. Nam quum antiquos Patres in Illa Aeterna Hereditate viderint, eis incogniti per viſionem non erunt, quos in opere ſemper noverunt. Quia enim ILLIC OMNES COMMUNI CLARITATE DEUM CONSPICIUNT: quid eſt, quod ibi neſciant, UBI SCIENTEM OMNIA VIDENT?* Idem vero Scriptor alibi animadvertit, Chriſtum Dominum eſſe *IN PARADISO REGNI CAELESTIS, quem CUM CETERIS SANCTIS, etiam confitenti ſe in Cruce Latroni promittere dignatus eſt.* Qualis ergo ante mille Annos Anglicanae Eccleſiae de hujuſmodi rebus ſententia foret, ab inſigni Scriptore Beda Britanni nunc ediſcant. Sed & idem ediſcere poſſunt a *Sancto Aldhelmo* Occidentalium Saxonum in Anglia Epiſcopo, qui ante Bedam floruit, & nobile Poema nobis reliquit *de laude Virginum*, ſive *Virginitatis*, a Caniſio editum, ubi Sanctos non uno in loco affirmat *ad Regna Caelorum* evectos. Proſtant dilucida ejus verba: haec brevitati conſulens omitto.

At minime omittam, quae *Alcuinus*, ſive *Flaccus Albinus*, grande alterum magnae Britanniae ornamentum, atque omnium ſuo aevo doctiſſimus, hac de re ſcripto mandavit. Is non ſemel in ſuis Epiſtolis, atque alibi etiam tradit, Sanctorum Animas in conſpectu ſummi Paſtoris ac Redemtoris noſtri, aeternis Gaudiis ſemper adſiſtere; ſed potiſſimum in Epiſt. LXXXI. ad Paulinum Patriarcham Aquilejenſem, virum ſanctitate & doctrina ſupra ceteros Italiae Epiſcopos

ſcopos celeberrimum, ſcripta circiter Annum Chriſti DCCXCII. ita de Sanctorum Gloria in Caelis loquitur, ut non ſolum communem tunc de illa fuiſſe Eccleſiae Catholicae ſententiam prodat, ſed etiam erroris arguat, ſi quis contra ſentiat; quanquam innuat, neminem aufum tunc fuiſſe palam refragari hujuſmodi doctrinae: quaſi contra omnium ſententiam ire novatores quidam Hiſpani vererentur. Nam de ſectatoribus Elipandi Archiepiſcopi Toletani, aut Felicis Orgellitani Epiſcopi, agit ibi Alcuinus, qui tunc Eccleſiam Dei novitiis ſuis opinionibus non leviter turbabant. Igitur ſcribit Alcuinus: *Eſt quoque in quibuſdam clancula dubitatio, an Animae Sanctorum Apoſtolorum & Martyrum, aliorumque Perfectorum, ante diem Judicii in Caeleſte recipiantur Regnum. His & hujuſcemodi ſpiculis (de pharetris, ut aeſtimo, exemtis perfidiae) unitatem Sanctae & Catholicae Eccleſiae, & veritatem univerſalis Fidei, aliqui vulnerare nitentes, etiam & ſpurciſſimis errorum faecibus limpidiſſima Fidei pocula inficiunt.* Qui ſic loquitur, certiores nos facit, eandem tunc viguiſſe & ſtabilem ubique fuiſſe in Eccleſia Dei ſententiam de Beatorum Felicitate perenni in Caelis, quae demum in Florentino Concilio inrevocabili decreto roborata fuit. Quicunque vero quenquam effectum *Regni Caeleſtis* conſortem ait, ſimul ait, ipſum beatiſſimo jam Dei adſpectu frui. Ad quam ſane Viſionem ineffabilem Alcuinus idem perductum ait *Sanctum Willibrordum* in Homilia de Natali ejuſdem Sancti Archiepiſcopi. Sed, quod plus eſt, habemus, unde confirmetur ipſius Alcuini fides de recepta tunc per univerſam Eccleſiam ſententia, tribuente Sanctis Beatitatem ante diem Judicii. Anno Chriſti DCCXCIV. celebrata fuit pleniſſima *Synodus Francofordienſis* contra errores praedicti Felicis Orgellitani. Ad eam convenerunt Epiſcopi ferme univerſi Italiae, Galliae, atque Germaniae, praeſente inclyto Francorum Rege Carolo. Eginhardo quoque teſte, interfuerunt eidem Synodo Legati Hadriani ſummi Pontificis, hoc eſt Theophylactus & Stephanus Epiſcopi. Quare quanta fuerit ſacri illius conventus auctoritas, facile intelligis. Ibi vero efformata fuit Synodica Epiſtola ad Praefules Hiſpaniae, quae una cum reliquis Actis legitur in Collectionibus Conciliorum vulgatis. Inter cetera ajunt Patres illi: *Sufficit vobis Sanctorum Patrum veſtigia ſequi, & illorum dicta firma tenere fide. Illi enim in Domino noſtri exſtiterunt Doctores in fide, & ductores ad vitam. Quorum & ſapientia Spiritu Dei plena Libris legitur inſcripta, & vita meritorum miraculis clara & ſanctiſſima: QUORUM ANIMAE APUD DEUM Dei Filium Dominum*

*noſtrum Jeſum Chriſtum pro magno pietatis labore REGNANT IN CAELIS*. Nos conſuevimus, unum Florentinum Concilium laudare, ejuſque auctoritate uti in hujuſmodi argumento. Nonne veneratione dignum eſt & Francofordienſe plenarium, ante annos nongentos & quadraginta celebratum, & conſentiente Romano Pontifice, ejuſque Legatis conſidentibus habitum? Dignum profecto eſt, atque ab eo proditur, quae tum foret hac in re doctrina Latinae ſaltem Eccleſiae: nam de Graeca mox erit mihi ſermo.

Sed & Nono Chriſti Saeculo non minori Paſtorum, doctorumque hominum conſenſu Traditionem hanc cuſtoditam invenias. *Florus Magiſter*, Diaconus Lugdunenſis, vir multa eruditione clarus, in Expoſition. Canonis Miſſae, ad illa verba: *Memento Domine Famulorum &c.* haec circiter Annum Chriſti DCCCXXXVII. ſcribebat: *LUCE CLARIUS CONSTAT, QUIA PERFECTORUM JUSTORUM ANIMAE, MOX UT hujus CLAUSTRA CARNIS EXEUNT, IN CAELESTIBUS SEDIBUS RECIPIUNTUR*. Ita verba haec, quae quidem, ut ſupra vidimus, ſunt Gregorii Magni Romani Pontificis Cap. 2. Lib. IV. Dialogorum, Florus ipſe ſua fecit. Ibi quoque de iis dicit: *Quamvis nondum cum ſuis Corporibus, JAM tamen ANIMAE eorum REGNANT CUM CHRISTO*. Eandem ſententiam invenias in Libris *Theodulphi* Aurelianenſis Epiſcopi, *Walafridi Strabi*, *Dungali*, *Amulonis* Lugdunenſis Archiepiſcopi, *Erminoldi* in Vita Sancti Solae Abbatis, *Eulogii* Archiepiſcopi Toletani, *Servati Lupi*, & aliorum ejuſdem Saeculi Noni Scriptorum, quos recenſere ſupervacaneum duco. Quod autem non in iſtius tantum Saeculi, ſed & in praecedentium Eccleſiaſticorum Libris animadvertat Lector, ſaepe illi de Reſurrectione carnis, ac de poſtremo Judicio loquuntur, ejuſque magni diei adſpectum (quod & nos nunc facimus) ad ſpem ac terrorem Fidelium ita deſcribunt, ut ad illud duntaxat tempus referre videantur poenarum & praemiorum diſtributionem a Deo conſtitutam. Verum non haec illorum mens erat. Ideo in animos Chriſtianae gentis tremendi illius diei ſcenam prae omnibus ingerebant, quia nihil revera vehementius in Evangelica Lege noſtras mentes concutere atque ad virtutem impellere, revocare vero a vitiis poteſt, quam tantus ille apparatus, ſimul dulcis, atque terribilis divinae Juſtitiae. Praeterquamquod tunc & Juſtorum felicitas, & Improborum infelicitas, reſtituta Carne, ad apicem ſuum eſt adducenda. Attamen norant illi, nihil aliud revera futurum eſſe ſupremum Judicium, niſi coram univerſo hominum genere Revelationem,

nem, Manifeſtationem, ſive Confirmationem praecedentis occulti atque peculiaris Judicii, quod jam ſubierant, qui heic viam univerſae carnis ingreſſi fuerant. Scilicet quotieſcumque occaſio ferebat, agnoſcebant Scriptores illi, non exſpectato ſecundo & ſolemni Adventu Filii Dei, Animas carneis vinculis ſolutas, vel ad beatam in Caelis vitam, ſi purgatae erant, vel ad poenas Inferorum deferri. Unum inſtar omnium exemplum dabo. Uſque ad Annum Chriſti DCCCLXV. vitam ſuam produxiſſe videtur *Paſchaſius Radbertus* Monachus, ſive Abbas Corbejenſis, vir magni nominis inter ejus Saeculi Scriptores. Proſtant ejus Commentarii in Evangelium Matthaei, ubi crebra eſt ſupremi Judicii, veluti Retributionis omnium, mentio. Attamen is Lib. XI. ad illa Domini verba: *Vigilate ergo, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit*, diſerte fatetur, agi illic de hora mortis ſingulorum Fidelium, & de occulto Chriſti Judicis adventu, ut rationem exigat a ſervis ſuis. Deinde ad illa verba: *Amen dico vobis, quod ſuper omnia bona ſua conſtituet eum:* jam Sanctis conlatum laborum praemium depraedicat. *Numquid*, ait, *non Petrus, non Paulus, non* OMNES *reliqui* SANCTI, *nunc magis ſubvenire poſſunt, devictis hoſtibus, calcatis vitiis, quia* CUM DEO REGNANT, *quam iſti, qui adhuc in agone deſudant?* Et Infra: *Petrus, quod de Chriſto docuit, Martyrio confirmavit. Idcirco pius Dominus fecit jam quod promiſit; ſicut & reliquos Sanctos, quos conſtituit ſuper omnia bona ſua, ideſt* IN GLORIA *collocavit* DEI, *qua nihil eſt ultra melius, quod poſſideatur.* In eandem ſententiam ille loquitur Lib. VI. ad illa verba: *Qui minor eſt in Regno Caelorum, major eſt illo.* Tum expoſition. in Pſalmum *Eructavit*, hunc ait decantari *in natalitiis earum Virginum, quae jam cum Chriſto, feliciter morte ſolutae, introierunt ad Nuptias.* Atque infra locum deſcribens, quo *Sponſus abiit ſecundum humanitatem, & ſedet a dextris Dei*, ibi Angelorum ordines adſiſtentes & miniſtrantes Deo commemorat. *Ibi Apoſtolorum chorus exſultat conſortio, & Martyrum candidatus cum coronis decertat exercitus. Ibi Patriarcharum turba praecinit, & Prophetarum providus reſpondet numerus: quia quae per eos promiſſa ſunt, completa omnia cunctorum jam releguntur adſpectibus. Ibi Sanctorum Confeſſorum ſuis pro plebibus deprecatur Senatus, infra Aeterna Gaudia ſtolatus. Ibi hymnidici Sanctarum Virginum chori, cum ſuis victricibus palmis, ſequuntur Agnum, quocumque vadit.* Haec ante nongentos annos ſcribebat Paſchaſius, ipſiſſima nimirum, quae & nunc in Eccleſia Catholica traduntur. Legat etiam, qui velit, poſtrema Capita Vitae Sancti Adelardi ab ipſo conſcriptae.

Ceterum minime exſpectet Lector, ut quicquam ego excerpam in hanc rem e Scriptoribus Eccleſiaſticis Latinis Saeculi Decimi, Undecimi, & Duodecimi. Eadem toties repetere, nihil aliud foret, quam taedium dedita opera creare velle legenti. Itaque id unum in praeſentia monere ſatis ſit, videlicet concordes temporibus iis fuiſſe Scriptores Latinos in credenda Sanctorum Beatitate, minime dilata uſque ad extremi Judicii diem; atque a nullo ex iis revocatam in dubium fuiſſe ejuſmodi doctrinam, ſi Sanctum Bernardum excipias, quem tamen ab opinione ſua receſſiſſe, atque in communi conquieviſſe, jam ſupra animadvertimus Cap. XIX. Id adeo certum eſt, ut quo tempore *Petrus Lombardus* Novarienſis, Bernardi ipſius cura ex humili fortuna ad ſublimem evectus, & Epiſcopatu Pariſienſi tandem donatus, dum circiter Annum Chriſti MCL. Libris Sententiarum compoſitis univerſam paene Theologiam complexus eſt, iſtud Eccleſiae dogma veluti rem exploratam ſtatuerit Lib. IV. Diſtinction. 45. ubi ſcribit: *ANIMAS SANCTORUM DEI FACIEM CONTEMPLANTIUM, in ejus veritate intelligere preces hominum, & quae implendae ſint, vel non.* Rurſus vero eodem Lib. IV. Diſtinct. 49. quaerit: *An major futura ſit Beatitudo Sanctorum poſt Judicium*, quam ante Judicium. Quibus ex verbis intelligimus, minime tunc diſputatum fuiſſe, num Beatitate in Caelis fruerentur Animae Juſtorum; ſed uti dogma ſtabile iſtud receptum fuiſſe. Ac proinde is decernit, *majorem Gloriam poſt Judicium, quam ante* futuram eſſe Sanctis ac Juſtis, quia tunc *ampliorem Gloriam ſuae Claritatis Deus demonſtrabit Electis.* Succeſſere poſtea clariſſimi inter Theologos Scholaſticos viri, ac praeſertim eorum coryphaeus, videlicet Angelicus Doctor Sanctus Thomas Aquinas, quos in tradenda & confirmanda dogmatis iſtius medulla concordes invenias. Quare quum circiter Annum Chriſti MCCCXXXIII. Joannes XXII. Romanus Pontifex, tunc in Galliis agens, excitata a ſe in Sermone quodam, ubi Sancti Bernardi auctoritate uſus eſt, controverſia, *num Juſtorum Animae a Corporibus ſegregatae, quibus nulla criminis labes expianda ſupereſt, Divinitatem Facie ad Faciem, ut loquitur Apoſtolus, ante extremi Judicii diem intueantur;* in negativam partem inclinare videretur: ingenti ſtrepitu inſurrexerunt in illum Theologi univerſi Pariſienſes. Inter iſtos prae ceteris tunc eminebant *Durandus a Sancto Porciano*, Ordinis Praedicatorum, olim Palatii Apoſtolici Magiſter, & tunc Epiſcopus Meldenſis, a Scholaſticis appellatus *Doctor reſoluti ſſimus; Petrus de Palude* Patriarcha Hieroſolymitanus; *Petrus Rogerii* Archiepi-

chiepiſcopus Rothomagenſis, poſtea ſub nomine Clementis VI. Romanus Pontifex; *Nicolaus de Lyra*, ob Libros ſuos vir perquam celebris; *Petrus de Caſa* Epiſcopus Vaſionenſis, ut alios praeteream. Una illorum ſententia fuit, adverſari ſacris Literis, & Fidei orthodoxae, qui Viſionem Dei Sanctorum Animabus a Corpore ſeparatis detraheret. Nondum revera hac de re ullum Eccleſiae decretum, ut ajunt, definitivum prodierat, ita ut haereſeos inſimulandus foret, qui ſecus ſentiret. Attamen Joannes Papa, dum aegritudine preſſus ad tribunal Dei feſtinaret, ne quid ſcandali inde oriretur, coram adſtantibus proteſtatus eſt, ſe diſputandi tantum cauſſa, & non quicquam decernendi, illa de re antea loquutum. Immo addidit: *Fatemur ſiquidem, & credimus, quod ANIMAE PURGATAE, SEPARATAE A CORPORIBUS, SUNT IN CAELO, CAELORUM REGNO, ET PARADISO, ET CUM CHRISTO, in conſortio Angelorum congregatae. ET VIDENT DEUM, AC DIVINAM ESSENTIAM FACIE AD FACIEM CLARE, in quantum ſtatus & conditio compatitur Animae ſeparatae.* Et quandoquidem interceptus morte Joannes XXII. ſolemni Bulla, ut ritus habet, ſuam hanc mentem & proteſtationem ad omnium notitiam perducere nequivit: Benedictus XII. ejus Succeſſor, Bulla conſcripta *Avenione XVI. Kalendas Aprilis, Anno Primo*, quam apud Alphonſum de Caſtro, atque in Annalib. Eccleſiaſtic. Raynaldi habemus, Praedeceſſoris conſilium complevit, ejus proteſtatione publici juris facta, ſuoque ſuffragio addito, per quod anceps apud Catholicos eſſe deinceps deſivit ejuſmodi argumentum.

CA-

## CAPUT VICESIMUMQUARTUM.

*Post Photianum Schisma Gracculi quidam, inter quos Moses Bar-Cepha ineptus Scriptor, de Sanctorum Beatitate parum scite opinati. Concordes in ejusmodi quaestione cum Ecclesia Romana Dionysius vulgo appellatus Areopagita, Michael Syncellus, Auctor Vitae Sanctae Synclericae, Eustratius Diaconus C Politanus, Leontius Cyprius Episcopus, Daniel Monachus Raithu, Andreas Cretensis, Stephanus Monachus Laurensis, Concilium II. Generale Nicaenum, Theodorus Studita, Naucratius, Philo Carpathius, Nicetas Paphlago, & alii e Graecis.*

ET haec quidem de Latina Ecclesia. Nam ad Graecos quod attinet, jam Cap. XVIII. monui, exsurrexisse post Photianum Schisma homines quosdam aut nullius momenti, aut multae audaciae, qui Sanctos vita functos aut a Visione Dei, aut a Regno Caelorum arcerent. Quinam hujus opinionis promotores ac propolae fuerint diligentius inquirere non vacat. Andream tamen Caesarienſem Archiepiscopum, incertae aetatis virum, hac opinione Graecos recentiores aliquot dementasse, ibidem animadvertimus. Hoc certe novi, hac de re Anno Christi MCCCCXXXVIII. & sequenti, in Concilio Florentino inter Graecos atque Latinos disceptatum fuisse. Armenios quoque vidimus Anno MCCCXXXV. longe gravius hac in re caespitasse. Sed & maximus Margunius Cythereus Episcopus Saeculo XVI. dum adversus Latinos scriberet, hanc etiam litem instauravit. Accedit, quod in Tomo XVII. Bibliotecae Patrum legitur Commentarius *de Paradiso*, Auctore Mose Bar-Cepha, qui circiter Annum Christi DCCCC-XC. vixisse vulgo creditur, sed fortassis etiam serius floruit. Ibi inter alia futilis ingenii meditamenta, immo inter blasphemias quasdam, Cap. XVIII. tradit, nunc Eliam & Enoch in Paradiso terrestri, unde Adam ejectus fuit, versari. Idem praeterea locus, uti ille scribit, *huic rei servit, ut in ipso habitent Animae hominum Justorum, Piorumque, atque eorum, qui per corporis sui cruciatus Christi Fidem comprobarunt, quique fideles Deum amarunt, exutae Corporibus usque ad Resurrectionis diem. Nam Latronis Animam eo subvexit Dominus; dicebat*

*dicebat enim ad ipſum: Hodie mecum eris in Paradiſo*. Hoc idem antea dixerat Cap. VII. hiſce aliis additis: *Non autem dixit in Caelo, quia neque ipſa Domini Anima, ſimul atque a Corpore diſſociata eſt, Caelum conſcendit; ſed die tertio rurſus Corpus ſubiit. Neque Latro quoque eo die in Caelum potuit evadere, quum dicat Chriſtus, neminem conſcendiſſe in Caelum praeter eum, qui deſcendiſſet de Caelo, Filium hominis, qui eſſet in Caelo.* Perperam hic Auctor interpretatur Domini verba Joann. III. 13. *Et nemo aſcendit in Caelum, niſi qui deſcendit de Caelo, Filius hominis, qui eſt in Caelo.* Conſule Patres atque Interpretes. Immo hinc potius argumentari contraria ratione debuit ſciolus ille. Nam, ſi Chriſtus in terra poſitus, dixit, ſe *in Caelo* eodem eſſe tempore, ob Divinitatem nempe ſuam: ergo Latro poſt Chriſti mortem eodem eſſe die potuit in Caelo; nam & ibi ſemper fuit, & nunquam inde diſceſſit Divinitate ſua Filius Dei. Praeterquamquod etiam extra Caelum futura cum Chriſti Anima Latronis Anima, beata eſſe potuit, quum ibi ſumma Beatitudo ſit, ubi conſpiciendum Chriſtus ſe praebet. Verum haec miſſa faciamus. Duo heic demonſtranda nunc mihi ſumo. Alterum eſt, recentiorum temporum Graecos, ſi qui ſunt, qui Sanctorum Beatitudinem caeleſtem diſtulerint ad poſtremum uſque Adventum Domini, deſciviſſe a ſententia ac Traditione majorum ſuorum. Alterum eſt, abundaſſe ſemper, & quidem ſine comparatione, inter ipſos Graecos, vel poſterioribus hiſce Saeculis, qui Catholicorum Latinorum ſententiam ſuis ſcriptis egregie tutati ſunt, & ſervandam cenſuere.

Ad primum quod ſpectat, meminerit Lector, quam conſona cum placitis noſtris ſupra oſtenderimus verba Sanctorum Ignatii Martyris, Methodii, Dionyſii Alexandrini, Euſebii Caeſarienſis, Baſilii, Athanaſii, Ephraemi, Nazianzeni, Nyſſeni, Epiphanii, Chriſoſtomi, aliorumque Graecorum Patrum. Num tot eximiis viris, tot fulgentiſſimis Eccleſiae Catholicae luminibus, quibuſcum etiam concordes invenimus Latinos Patres, quiſquam doctiores dignioreſve fide arbitretur Graeculos aevi poſterioris? Hiſce nunc adde & alios Eccleſiae Graecae Scriptores, qui poſt illos efflorverunt. Ad Saeculum a Chriſto nato Quinctum vel Sextum nunc omnium Eruditorum calculo pertinere creduntur *Dionyſii*, vulgo appellati *Areopagitae*, Libri, magni ſane faciendi. Accipe, quid ille tradat Cap. VII. de Eccleſiaſt. Hierarchia, ubi de iis agit, quae fiunt circa Defunctos. Laetiſſimum is ac beatum appellat piorum exitum ex hac vita, quia *norunt*,

*runt, quum ad vitae terminum perveniunt, se totos percepturos Christiformem sortem: viamque ad immortalitatem suam e Vicino jam clarius intuentes, Divinitatis laudant munera, divinaque laetitia gestiunt, non amplius ad deteriora conversionem metuentes, sed parata Bona se firmiter perpetuoque possessuros, probe noscentes.* Propterea Sanctos morientes depraedicandos esse *Beatos, uti vere sunt*, inquit Auctor ille. Tum addit: *Porro Cantica divinarum promissionum ac lectiones explicant nobis Sedes illas Beatissimas, ad quas ii, qui divina perfectione praediti sunt, promovebuntur; & quae eum, qui sancte vita functus est, Excipiunt; viventes autem ad similem vitae finem adhortantur.* Quid Sedes istae Beatissimae sint, si quis scisciterur, respondet Dionysius: *Sanctos in Sinu Abrahae collocari.* Tum quid hoc nomine significetur, e vestigio prodit, inquiens: *Sinus autem, mea quidem sententia, sunt Beatorum Patriarcharum, ceterorumque Sanctorum Divinissimae, Beatissimaeque Quietis* (sive Requietis) *Sedes* (atque haec *Requies* nihil aliud est, nisi Beatitas, uti supra palam factum fuit) *quae viros omnes Deiformes Excipiunt in sua infenescibili, beatissimaque consummatione.* Et nos pluries supra animadvertimus, per *Sinum Abrahae* indicari in Caelis Beatorum vitam, quam Ecclesia fidelibus in pace Christi morientibus adprecatur. Et profecto, ut idem Dionysius scribit, *Antistes rogat precatione illa Divinam bonitatem, ut Defuncto peccata omnia dimittat, quae per humanam infirmitatem contracta sunt, eumque in Lucem sanctam, ac Vivorum Regionem transferat & collocet in Sinu Abrahae, Isaac, & Jacob, in loco, a quo dolor & tristitia, gemitusque aufugiunt.* Quum de Fidelibus hinc ad alteram vitam profectis agitur, *Terra viventium* Caelestis est Gloria, phrasi Patribus familiari, dum Psalmi XXVI. 13. verba: *Credo videre Bona Domini in Terra Viventium*, usurpant ad designandum Sanctorum statum in altera Vita. Neque aliud significavit Dionysius; nam haec alia confestim adtexit: *Ista, ut reor, sunt Beatissima Praemia Sanctorum. Quid enim immortalitati perfectae, omnique tristitia vacuae, ac plenae perpetui Luminis, conferri possit? Licet multum sane promissiones illae sublimiores mente nostra sunt, quae vocabulis ad captum nostrum congruis designantur, longe tamen inferiores earum re & veritate appellationes habent. Siquidem verum omnino est eloquium illud: Quoniam oculus non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt, quae praeparavit Deus diligentibus se.*

Jam vidimus, beatissimas illas Sedes, in quibus Dionysio teste aut statim, aut brevi excipiuntur Piorum Animae, corporeo de carcere

cere emigrantes, esse *Sinum Abrahae*, ac *Terram Viventium*. Porro, testante eodem, in hoc Sinu, in hac Terra recipiuntur *Praemia* illa ineffabilia, quae *oculus non vidit &c.* Ergo ad summam Beatitatem, hisce verbis ab Apostolo descriptam, deducuntur Spiritus Piorum post mortem, non exspectata Corporis societate, quam forsitan Deus ad multa annorum millia restituendam servavit. Atque heic Graeci nobis edicant, quo ipsi putarint evolasse Dionysii ipsius Animam, simul atque glorioſum, ut traditur, consummavit Martyrium. Praesto mihi est *Michael Syncellus*, qui circiter Annum Christi DCCCXXX. Encomium ejusdem Dionysii contexuit. *O Divinam*, ait, *& admirabilem Animam illam, quae choro stipata Angelico, in Caelorum usque verticem sublimiter avolavit. Quam honoratissime ab totius gloriae Dominum, coronarumque largitorem Jesum, ascendentem, celebriumque laborum praemia relaturam, unaquaeque Caelestium Virtutum laudibus prosequuta est, multo cum honore suscipiens ejus in certando strenuitatem: quam ipsorum Spirituum praeconium, adspirante Numinis aura, & harmoniae totius concentu circumplaudente, suo coptavit Ordini: quam superna illa Hierusalem, patentibus portis, & expansis undique sinibus, excepit: quam Ecclesia primitivorum, in Caelis descriptorum, circumplexa est: quam Spiritus & Animae Justorum Sanctorum, & corde humilium, exceperunt.* Denique addit, castissimis Christi ulnis Animam illius fuisse constrictam, Apostolis, Prophetis, ac Martyribus certatim plaudentibus. En qualem in locum, ineunte adhuc Saeculo IX. hoc est, ante Photianum Schisma, Graeci crederent, invectas fuisse tum Dionysii Martyris, tum reliquorum Sanctorum Animas. In Caelum utique, in sublimem profecto Beatitatem, atque ad conspectum atque adspectum Dei. Fortassis autem ad idem Saeculum Quinctum referenda est Vita Sanctae Syncleticae a Bollando, Cotelerio, & Montfauconio edita, antiquissima certe, utpote quae in Vitis Patrum vetustissimis commemoratur, atque a Nicephoro Callisto sub Sancti Athanasii nomine jamdiu fuit laudata. De Sancta illa Virgine Graecus Auctor haec in postremis lineis habet, ejus referens mortem: *Ubi proxime fuit meta victoriae atque Coronae, visiones contemplata est, Angelorumque auxilia, Virginum item Sanctarum coborsationes ad ascensum, necnon illustrationes ineffabilis luminis, atque Paradisi regionem.* Post quae, praenuntiato die & hora exitus sui, *ad Dominum migravit Beata Synclerica, atque ab eo in Praemium certaminum accepit Regnum Caelorum.* Quibus in verbis animadvertere potuisti, esse huic Auctori unum idemque cum *Paradiso*

*Regnum Caelorum*. Eodem Saeculo V. atque Anno Chriſti CCCC. LVIII. ad plures abiit Sanctus Anatolius Patriarcha Conſtantinopolitanus, cujus Acta a vetuſtiſſimo Scriptore Graeco literis mandata edidit P. Pinius, Bollandi Continuator, ad diem III. Julii in Actis Sanctorum. Ibi Graecus Scriptor ait: *E vivis abiit Anatolius, atque ad Beatam Vitam migravit*. Tum in fine eum hiſce alloquitur verbis: *Qui Magno Nunc Regi Adſtas, atque ab ipſius fulgore inebriaris, inde fideliſſimum tuum gregem adſpice*.

Anno Chriſti DLXXXII. plenus meritis ad aeterna gaudia translatus eſt Sanctus Eutychius, glorioſus Patriarcha Conſtantinopolitanus. Ejus laudes funebri encomio proſequutus eſt *Euſtratius* magnae Eccleſiae Conſtantinopolitanae Presbyter, ipſius Sancti Patriarchae familiaris atque domeſticus, quam Henſchenius in Acta Sanctorum ad diem VI. Aprilis intulit Latio donatam, addito etiam Graeco textu in calce Tomi. Teſte Euſtratio Cap. X. ejuſdem Orationis, jam ſenex Eutychius *diſcedere cupiebat a Corpore, atque ad Dominum proficiſci, uſurpans indentidem illa verba Davidis: Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat Anima mea ad te Deus; & Quando veniam & apparebo ante Faciem tuam*. Neque enim dubitabat Sanctus vir, neque tunc meliora edocti dubitabant, quin Piorum Animae, ſimul atque e terreno carcere evadebant, *ante Faciem Dei* ſiſterentur, beatifico illius adſpectu in perpetuum deinde fruiturae. Poſtremum tandem Euthychius diem clauſit, atque, ut idem Euſtratius ait, *diſcedens ex hac vita in ſenectute bona, ab Angelis ad Caeleſtes choros eſt ſublevatus*. Addit infra, *illius Animam Caeleſti nunc adſiſtere Altari, ibique cum ſanctis Angelis & Apoſtolis pro univerſo Populo preces effundere*. Nam, ut ille ſubdit, *Sancti per fidem vicerunt regna, adepti ſunt repromiſſiones, & poſt vitae commutationem pollent virtute majori*. Verba ſunt Apoſtoli ad Hebr. XI. 33. ubi affirmat, Sanctos *jam adeptos* fuiſſe, quae illis Deus fuerat pollicitus. De Abraham quoque ait in eadem Epiſtola Cap. VI. 15. *Et ſic longanimiter ferens, adeptus eſt repromiſſionem*. Haec autem conſequuti ſunt in novo Teſtamento: antea quippe nemo ad Caeleſtem Gloriam ingrediebatur. Ac proinde quum infra Paulus dicat verſ. 39. *non acceperunt repromiſſionem ſine nobis*, recte ea verba interpretari licet de vita aeterna Sanctis minime conlata, antequam Chriſtus Redemtor Eccleſiam ſuo ſanguine fundaret, Caelumque haſtenus clauſum aperiret. Denique Euſtratius in peroratione converſus ad ſanctum Patriarcham, haec ait: *Tu vero, ſanctiſſime ac Beatiſſi-*

me

*me Pater, de Caelo nos reſpice, & vitae noſtrae curſum ad ſalutem dirige, ut Quum hinc receſſerimus, recipias nos in Sinum Abrahae atque in Aeterna Juſtorum Tabernacula, Ubi purius perfectiuſque intueamur, quae abs te didicimus de ſancta & ſempiterna ejuſdem eſſentiae Trinitate. Eamdem, Pater, deprecare pro nobis, ut Bona conſequamur Aeterna &c.* Viden', quo in loco, uti toties diximus, ſitus foret Abrahae Sinus? In Caelo ubi Altare myſticum, ideſt Chriſtus, ubi Angeli atque Apoſtoli. Ibi vero ad Viſionem Dei adductae Animae, *purius & perfectius* conſpiciunt, quae de ſancta, conſubſtantiali, & ſempiterna Trinitate didicerunt in terris, ideſt non amplius Fide, ſed Specie beatiſſimum illud lumen contemplantes. Verum non heic ſiſtit praelaudati Euſtratii CPolitani in rem noſtram eruditio. Poſt ſe praeterea ille reliquit egregium Tractatulum, quem tenebris ereptum primus evulgavit Leo Allatius, editumque rurſus habemus in Tomo XXVII. Bibliothecae Patrum. Opuſculi hujus mentionem antea fecerat Photius Cod. CLXXI. Quoniam Burnetus, uti jampridem monui, offendit in veterum Libris, Mortem appellari *Somnum*, morientes vero dici *obdormire*, homini haec ad literam accipienti viſum fuit, per iſta innui, *ſtatum Mortis eſſe ſtatum Quietis, Silentii, & Ἀργαολίας*, ſive Inactionis, *nempe quoad Mundum externum. Praeterea*, addit ille, *Expergiſci dicimur & Evigilare in Reſurrectione. Quamobrem vero? niſi quod mutato ſtatu, quaſi excuſſo Somno, in lucem & in Mundum viſibilem reſurgamus.* Sed nemo neſcit, in quot deliria proruere poſſit, quicunque tot translatas ſeu typicas loquutiones in ſacris Literis, & apud Patres inveniens, eas in proprio ſenſu accipiens, ſuperaedificare velit ſuper iis Chriſtianae Religionis doctrinam. Jam Sancti Patres paſſim oſtenderunt, non de Animabus, ſed de Corporibus dici *Somnum, Obdormire, Evigilare.* Neque opus eſt heic lucernam in meridiano Sole accendere. At bene ceſſit, quod ante Annos Mille & paene Ducentos eruditus Auctor Graecus, ideſt praelaudatus *Euſtratius*, Burneti nugas (hoc enim nomine hujuſmodi opiniones dignas arbitratus ille eſt) confoderit, ac penitus diſſiparit. Nam tunc etiam ſcioli aliquot exſtiterunt, qui non palam, ut ſuſpicor, ſed clanculum muſſitabant, *Animas poſt ſeparationem a Corporibus, non operari.* Quare is relinquens, ut *ipſi inter ſeſe obdormiſcerent, ipſorum Nugas repellandas ſibi ſumſit, ſermonis ſui fulcro ex ſacris Scripturis petito.*

Et ſane ex utriuſque Foederis Libris multa congerit Euſtratius ipſe, ac praecipue illa ipſa adfert, quae & nos ſupra protulimus ad

demonſtrandam Beatitatem ſanctarum Animarum in altera vita. Adhibet deinde teſtimonia Patrum, videlicet Gregorii Nyſſeni, Athanaſii, Baſilii, Nazianzeni, Chryſoſtomi, atque aliorum, diſerte affirmantium, transferri in Caelum, beateque ibi agere Sanctorum Spiritus. Pleraque ex his locis & ego antea produxi. Vitam quoque Sancti Pauli primi Eremitae laudat (hanc Hieronymus aut ſcripſit, aut Latine reddidit) in qua Sanctus Antonius vidiſſe dicitur *Angelorum ordines, & Prophetarum & Apoſtolorum chorum, & inter eos veluti nivem fulgurantem Abbatem Paulum, & una cum illis in Caelum aſcendentem.* Proinde, poſtquam Baſilii verba attulit, in haec erumpit Presbyter G. Politanus: *Ecce enim hic Doctor ſimul una omnes complectens, qui a ſaeculo Domino complacuerunt, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, & Juſtos, commonſtravit, eos cum Angelis choreas ducere, & ſimul cum illis gaudio ſubſilire. Choreas cum Angelis ducere, Actionis, non otii ſive dormitionis, genus eſt. Et quum dicit: Martyrum Civitas, Civitas Dei eſt, Superna Hieruſalem; Pauli, illique ſimilium mater; plane demonſtrat eorum mutuam concordemque Dei laudationem & Actionem. Confirmavitque haec ita ſe habere illis, Chorus paratus, acceſſio magna eorum, qui a Saeculo Dominum glorificant. Si acceſſio illa glorificantium Deum magna eſt: qua fronte vos dicitis, Martyrum Animas non operari?* Utinam haec legiſſet Burnetus! Sed quod ille in una ſua ſomnia intentus neglexit, non negligat Lector veritatis amator. Pergit deinde dicere Euſtratius: *Anima itaque Caeleſtem Beatitudinem tamdem adepta, munia, quibus ſeſe Caeli Incolae exercent, ipſa quoque Regione Viventium adſcripta, eodem modo perſolvit, uti Choro bene convenientium concors & aſſociata &c. Eademque ratione quicumque Angelorum choro adjunguntur, eamdem atque illi Actionem & Operationem, Explent.* Ad haec Sancti Baſilii locum in Expoſitione Pſalmi CXIV. profert: quem quia ſupra omiſimus, ſuo heic loco minime fraudandum duco. Inquit autem ſanctus ille Epiſcopus. *Revera conſiſtit illic Regio Viventium: quippe qui ſibi ipſis ſimiles ſemper ſunt; in qua animo praegeſtienti pronuntiat Propheta, maximopere univerſorum Deo ſe eſſe complaciturum, tamquam qui nulla illic externae rei cogitatione ſperet mentem ſuam deinceps interpellandam, mox ut ad ſcopum pertigerit verae illius, Angelis quoque nihilo diſparis ſervitutis. Contendimus, inquit Paulus, ſive praeſentes in Corpore, ſive peregrinantes a Corpore, placere illi.* Quibus recitatis ſua haec adjungit Euſtratius: *Vides Apoſtoli, Davidis Prophetae, & Eccleſiae Doctoris, divina*

*na ſapientia inſtructorum, doctrinam, dictaque, ut inter ſe concorditer conſonent? Nam illud: Peregrinari a Corpore, & Deo complacere in Regione Viventium, in qua neque nox, neque Somnus, mortis imitatio: certe non aliud ſonat, quam continuam Sanctorum Operationem.* Ad haec, poſtquam Nazianzeni verba de laudibus Sancti Baſilii, quae ſupra ſuo loco prodierunt, Euſtratius in medium adduxit, hiſce ſermonem continuat adverſus natos, aut aliquando erupturos Burnetos: *Singulae dictiones, immo ſyllabae, omnia veſtrae contradictionis argumenta extinguunt. Quomodo enim e Caelo inſpicere, aut intercedere, aut ex hac vita migrantes ſuſcipere in ſuis ipſis tabernaculis, qui ſimul una vitam agentes Inſpiciunt Sanctam ac Beatam Trinitatem, & non ita exigue, ſed Purius Pleniuſque poterunt; ſi, uti vos contenditis, non operantur Juſtorum Animae? Sed ejiciantur, longeque abeant ſimilium ſententiarum portenta.* Diſcat hinc Lector, cavere ſibi ab enormi confidentia Burneti, qui ſibi Graecos veteres ceciniſſe venditat, quum tamen ii niſi fabulas ac portenta tamdiu antea duxerint, quae is aetate noſtra ex officina ſua veluti nova produxit. Infra alterum Nyſſeni locum Euſtratius eorum temporum novatoribus opponit, excerptum videlicet e Commentario in Beatitudines, ubi ad illa verba: *Beati, qui perſequutionem patiuntur*, ita diſſerit: *Ne doleamus igitur, & aegre feramus, Fratres, terrenis nos expelli atque prohiberi; namque qui hinc migraverit, in Caeleſti Regia diverſatur. Duo haec ſunt in creatura rerum univerſarum elementa, habitationi rationalis naturae attributa: Caelum, & Terra. Locus eorum, qui per Carnem vitam ſortiti ſunt, Terra: Caelum autem incorporeorum eſt &c. Si hinc abierimus, in Caelum traducemur.* Infra haec adjicit Euſtratius: *De praeſenti vero Sanctarum Animarum ſtatione jam a nobis expoſitum eſt, eas in Caelo cum Angelis choreas ducere.* Denique multis oſtendit, Animas minus Juſtorum Fidelium indigere *purgatione* in altera Vita, eiſque prodeſſe viventium preces ad Deum, & ſacrificia, & eleemoſynas, ut a peccatis ſolvantur. Haec Euſtratius circiter Annum Chriſti DLXXX. non ſua tantum, ſed praeclariſſimorum Eccleſiae Graecae luminum auctoritate ſtatuebat; ita ut quicunque veritatem diligit, nequeat non iraſci Burneto, apud ſuos Britannos venditanti, recentiorum *Pontificiorum* inventum, ſive commentum eſſe, non minus Caeleſtem Beatitudinem Sanctis hinc decedentibus tributam, quam Purgationem quarundam Animarum in altera Vita peragendam. Calumniari volenti nunquam verba deſunt: ſed calumniatores quae poena maneat, nemo non novit.

Circi-

Circiter Ann. Chriſti DCXVI. literis confignata fuit Vita Sancti Symeonis Sali a *Leontio Neapoleos Epiſcopo* in Inſula Cypri, cujus Scriptoris honorifica mentio occurrit in Actis Nicaeni Concilii II. Hanc habemus editam a Cl. P. Pinio, Continuatore Bollandi, in Actis Sanctorum ad diem I. Julii. Fuit Leontius Symeoni coaevus, de quo in Epilogo haec ait: *Requievit autem, poſtquam Angelicam & perquam mirabilem egiſſet vitam, Symeon &c. & in rectis factis ſecundum Deum admodum coruſcavit, & virtutibus in admirationem rapuit ipſas quoque Caeleſtes Spirituum corpore carentium Poteſtates: & perenni Solio Dei & Patris luminum Adſtat, ut qui libertatem acceperit, perpetuis illum hymnis celebrandi una cum omnibus Caeleſtibus Virtutibus.* Rurſus circiter eundem Annum DCXVI. hinc ad caeleſtia Regna translatus eſt Sanctus Joannes cognomento Eleemoſynarius, celeberrimus ille ob caritatem & pietatem Patriarcha Alexandrinus. Ejus Vita ab eodem *Leontio Epiſcopo*, Auctore ſynchrono, conſcripta legitur in Tomo II. Januarii Actor. Sanctor. Bollandi. Sancto huic viro, dum juvenis eſſet, in ſomnis viſa fuerat virgo ſplendentiſſima, quae ei dixit: *Si me poſſederis amicam, ego te ducam in conſpectum Imperatoris.* Miſericordiam ſive Eleemoſynam ſub virginis ſpecie ſibi oblatam fuiſſe cenſuit Joannes. Ejus vero promiſſa Leontius completa ait in morte ſancti viri; nam *Eleemoſyna & Miſericordia, quam habuit circa egenos, eum in Caelorum Regnum deduxerunt.* Porro Sancto eodem Joanne vivente floruit, ſed longe ante illum in Domino obdormivit, alter Joannes; ſanctitate & is, tum etiam ſacra doctrina clarus, *Climacus* videlicet. Ejus Vita ante illius Libros legitur Tom. X. Bibliothecae Patrum, & apud Bollandum ad diem XXX. Martii, contexta a *Daniele Monacho* Monaſterii Raithu, ejuſdem temporis Scriptore. Quo Sanctus ille, Monachorum in Monte Sina Abbas, poſt hujus ſaeculi certamen abierit, hiſce verbis idem Daniel prodidit: *Eſt enim ille Nunc in illa Regia, de qua Paulus canit, quum in haec verba exclamat. Quorum Converſatio In Caelis Eſt: ubi ſenſu ab omni contagione corporis libero, ſola Mente & intelligentia inexplebili modo, ſumma cum voluptate, Inexhauſti Boni Pulchritudine fruitur, inundatur, & exſatiatur: digna ſudoribus Praemia, laborumque dolores omnes ſedantium Munera adeptus, & in ſortem ibi Hereditatis, Regni inquam, Caeleſtis admiſſus, unus jam ex illis, ſemperque deinceps futurus cum illis, quorum pes ſtetit in via recta.* Burneti noſtri ſomnia ignorabat profecto Monachus iſte, Ignorabant & tot alii Graeci, quorum ſeriem integram exhibere nimius

mius eſſet labor. Ego paucos tantum delibo. Incerta eſt aetas Sancti *Andreae Cretenſis* Archiepiſcopi, quanquam Saeculo Chriſti VII. floruiſſe videatur: at minime incerti ſunt ejus Libri. Proſtat inter eos Encomium Sancti Titi Apoſtoli, ubi iſta leguntur in fine: *Nunc enim vero, o divinum & ſacrum caput, de Caelo nos inſpexeris, utpote qui circum Deum Trinum Spiritu tripudies; gratiaque Gratiae Adſiſtas Throno, ſiſque Animo illuſtratus Divino Lumine; ſupplicans pro nobis, ut illic poſitam Beatitudinem conſequamur, & una tecum habitemus in tabernaculis, in quibus ipſe habitas.* Viſionem Dei conlatam Sanctis hinc decedentibus tum ſupra, tum heic diſcere poſſumus. Quam ſententiam ab eodem Andrea Cretenſi confirmatam habemus in Encomio Sancti Nicolai Epiſcopi, ubi illum alloquens ait: *Nunc quoque nos impenſius paſcis, foveſque intenſius, quum Deo, perfectae illi ac adorandae Trinitati pure Adhaeres, cujus in circuitu, ſpiritali ratione cum Angelorum ordinibus ducens choros, nos e Caelo intueris &c.* Paria quoque habes in Oratione a Sancto *Joanne Damaſceno* conſcripta de laudibus Sanctae Barbarae Martyris, edita a Cl. P. Lequien Tom. II. Operum ejuſdem Sancti. Ubi ejus vitam ac mortem deſcripſit, eamque *ad Caeleſtes domos, & adornatam Requiem cum pompa deductam ait*, ad illam oratione converſa addit: *Abi ergo, caſta Virgo, ut ſuperioribus Mundo Praemiis potiaris. Abi, ubi ſiles oratio, eorum quae orationis vim excedunt, Gloriam diffuſe eloqui non valens. Abi, ſinceras bonorum, quae cogitationem ſuperant, delicias perceptura &c. Laetiſſima Sponſi ſpecie & venuſtate fruere, quae nec verbis efferri, nec mente concipi poteſt. Fruere arcana & myſtica in ſupercaeleſti thalamo confabulatione & conſuetudine: qua plane nihil felicius beatiuſque eſt.* Haec Damaſcenus circiter Annum Chriſti DCCXL.

Itidem Anno Chriſti DCCXCVII. irruptione facta a Saracenis in Palaeſtinam, Monaſterium Laurae Sancti Sabae direptum fuit, piiſſimi vero Monachi plerique caeſi. Hiſtoriam hanc literis conſignavit *Stephanus Monachus* ejuſdem Coenobii ſynchronus, eamque editam habemus a Clariſſimis Bollandiſtis Tomo III. Martii in Act. Sanctor. ad diem XX. De primo inter eos mactato inquit ille Cap. IV. *Beatus es, ter feliciſſime, quia Chriſti premendo veſtigia, cum ut ſervus bonus, docileſque diſcipulus fuiſti ſequutus, & conformis factus paſſionum ejus, conſequenter & particeps exſtitiſti Gloriae in Regno Caeleſti.* Tum poſtquam oſtendit, Martyrum quoque praemia iis deberi, qui pro Virtute quavis mortem tolerant, caeſos illos omnes

omnes in epilogo alloquens, addit: *Gloriam vestram, qua nunc ex merito vestro fruimini, quis sufficiat enarrare? Beati vere estis, & in Deo Beati, quod ex ea, quae super terram est, vita violenter ejecti, alterius in Caelis felicioris digni estis inventi. Beati estis, quia suaveolentes fructus Paradisi decerpsistis, & in loco pascuae respiratis ac requiescitis; quia Christo facti estis accessio desiderabilis. Mementote etiam nostri, quamvis terrena nunc commemoratione relicta in Gaudio & Lumine cohabitatis Caelestibus. Vivificae, divinaeque & consubstantiali Trinitati, quae vos Sibi voluit in Aeternum Adsistere, offerte continuam perseverantemque pro nostra congregatione orationem.* Atque haec erat fides, hic sermo Graecae Ecclesiae, antequam Photianum Schisma variis erroribus lora laxaret in gente illa. Proderit etiam adire Concilium VII. Generale Nicaenum, quod sub finem ejusdem Saeculi, Anno scilicet DCCLXXXVII. celebratum fuit. Uti ex Actione IV. constat, lecta ibi fuit Epistola Germani antea Patriarchae Constantinopoleos, in qua is mentionem facit *Sanctorum*, (ΤΩΝ ΕΝ ΟΥΡΑΝΟΙΣ ΑΓΙΩΝ) *QUI IN CAELIS SUNT*. Infra quoque memorat *Sanctos omnes, conservos quidem nostros, sed Placentes Deo, & supernam confidentiam, & BEATITUDINEM APUD IPSUM ADEPTOS, atque a Deo gratiam consequutos ad ministrandum nobis beneficia ipsius, quum per memoriam eorum in hymnis & canticis, Beatitudinem & honorem ipsorum recolimus.* Ibi quoque lectus est Sermo Joannis Episcopi Thessalonicensis, ubi haec verba occurrunt: *Benedictus es, Deus hujus Sancti, atque omnium Sanctorum, qui dedisti eis patientiam, & DIGNATUS ES ILLOS REGNO TUO.* Tunc ergo communis sententia Graecorum erat, eaque in Generali Concilio probata, videlicet Sanctos e praesenti vita profectos, *in Caelis, in Beatitudine apud Deum*, atque *in Regno* Caelesti degere: quae Traditio ex primis Patribus descendens, ut vidimus, vivida semper viguit atque a melioribus firmata fuit.

Hujus quoque veritatis exemplum reliquit nobis Sanctus *Theodorus Studita*, celebris Saeculi Noni Scriptor inter Graecos. Vitam Sancti Platonis Hegumeni in Monasterio C Politano Studii, atque Anno Christi DCCCXIII. ex humanis sublati, sui olim avunculi, & magistri, elucubravit Teodorus. Surius vero & Bollandi Continuatores ediderunt ad diem IV. Aprilis. Mortem illius describens, ait: *Spiritum suum sanctum tradidit Angelis, ipsum ad Solem Justitiae deducturis. Et Nunc quidem ille in Caelis est, non solum Ascetico dignus effectus ordine, sed Confessorum adnumerandus choreis. Quorum enim*

*enim certamina pertulit, horum indubie etiam Hereditatem participavit.* Diem vero ſuum obiit Anno DCCCXXVI. idem Theodorus Studita, ac de ejus obitu Encyclicam habemus, a *Naucratio* illius diſcipulo conſcriptam, atque a Combefiſio, & in Tomo XIV. Bibliothecae Patrum evulgatam. Dolorem abjiciendum contendit ibi Naucratius, quia Theodorus *potentior jam ad interceſſionem atque auxilium eſt: tantoque amplius, quantum exempli cauſſa refert, ut prius per ſpeculum in aenigmate, Nunc autem Facie ad Faciem, purius ſplendidiuſque Deo ſerviat, atque miniſtret. Ac prior aliquantulum Dei viam inchoavit, nobis faciens iter: illic paraturus nobis Beatae Quietis habitaculum, dummodo Deo placitis moribus vixerimus &c.* Infra quoque addit: *Modo, conſummato Apoſtolico curſu, Caelos pompa ingreditur, & una cum Angelis feſtos choros ducit, in loco tabernaculi admirabilis, in epulantium ſono, Aeternis in Domino fruens Bonis.* Sed & ipſum Sanctum Theodorum Studitam in Sermone XLII. doctrinae ejuſdem praeconem reperimus, ubi poſtquam exhibuit haec Apoſtoli verba: *Quos vocavit, hos & juſtificavit. Quos autem juſtificavit, illos & glorificavit*, haec alia adtexit. *Videtin quo abibimus? Ubi Chriſtus eſt, ad Dei dexteram conſidens, ubi Gaudium & oratio, ubi Angelorum tripudia, ac coetus eorum, qui in Caelis principes conſcripti ſunt. Ubi gentiles noſtri fratres, patreſque, eo nobis Mox eſt abeundum, gaviſuris in eo, qui in virtute ſua dominatur in aeternum, ut canit ſanctus David: non centenis nec millenis annis, ſed perpetuis, ac finem non habentibus Saeculis.* Hiſce adde Vitam Sancti Nicephori Patriarchae CPolitani, ab *Ignatio Diacono*, & Cuſtode magnae illius Eccleſiae contextam, quam ad diem XIII. Martii publici juris fecere Continuatores Bollandi in Act. Sanctorum. Ibi Cap. XIV. mors ſancti Patriarchae dicitur *Tranſitus ad meliorem Vitam, Beatamque illam Requiem, in qua primitivorum in Caelis deſcriptorum Eccleſia cum ſono choros ducit, feſtum diem feliciter agens. Cum quibus pariter & ipſe praeſultans, atque ſanctitatis caſtimoniam Angelica puritate repraeſentans, parem illis Beatae Repromiſſionis Hereditatem conſequutus eſt.* Tum illum in epilogo alloquens ait: *Tu vero Divini inſpector Tabernaculi, qui in ſupernis ſacrorum Principatuum atriis ambulas, ac corruptionis neſciam ſortem, ſedeſque immortales propius adire meruiſti, & Bona illis parata adeptus, qui actione virtutis faſtigium attigerunt, plena eorum ſatietate repleris &c.* Proſtat etiam in Bibliotheca Patrum Tom. V. Commentarius *Philonis Carpathii* in Cantica Canticorum. Quo tempore is floruerit, incertum eſt. Sunt

qui eum ſcripſiſſe circiter Annum Chriſti CCCCI. arbitrantur: ſed veriſimilius longe poſtea. Utcumque ſit, Auctorem Graecum, & quidem pervetuſtum, nemo neget. At is pag. 682. *cuſtodes murorum* cenſet *Apoſtolos*, *Prophetas*, *& Doctores Sanctos omnes*. Tum infra de Eccleſia ait: *Clamat ad Apoſtolos*, *Prophetas*, *& Martyres* (*quibus ſe mater Eccleſia commendare non ceſſat*) *ut quos habuit ſuae fidei & ſalutis auctores*, *eoſdem habeat defenſores tutoreſque perpetuos*, *& perfectores ſuae ſpei apud eumdem Caeleſtem Sponſum: cui quidem nunc cuſtodes illi Beati Spiritus in Caeleſti illa Hieruſalem feliciſſime Adſiſtunt*, *ac ſupplicant pro Sponſa hac militante &c.* Quae quum ita ſint, quis in poſterum dubitet, an Graeci olim arbitrarentur, ad Viſionem Dei, atque ad ineffabilem Beatitatem admitti Juſtorum Animas poſt mortem? Controverſiae locum nullum relinquunt dilucida haec illorum teſtimonia. Cum quibus etiam cohaerere videas, quae in variis Orationibus jamdiu evulgatis differebat circiter Annum Chriſti DCCCLXXX. *Nicetas Paphlago* Dadybrorum Epiſcopus. Diſertis ille verbis tradit, Sanctos Apoſtolos *una cum Chriſto in Caelum receptos*, *ad ejus dexteram ſedere*, *uti ille in dextra Dei Patris ſedet; eoſque Facie ad Faciem illius conſuetudine frui; ac Deiparae Matri in ſuperno atque Caeleſti Paradiſo in exſultatione contubernales eſſe.* Sancta quoque Thecla, ut is ait, nunc *in celſiſſimis intus Paterniſque conquieſcens Sedibus*, *non jam per fidem*, *ſed per ſpeciem*, *neque in ſpeculo & aenigmate*, *ſed Facie ad Faciem*, *Divini ſponſi Pulcritudinem Contemplatur*. Gemina ſunt, quae is habet in laudatione Sancti Hiacynthi, ubi pariter *Dei Paradiſum* pro ſummo Caelo & Aula divini Regis accipit. Reliqua praetereo; neque enim quiſquam plura deſideret, ut intelligat, qualis olim foret de Sanctorum Beatitudine, Graecae Eccleſiae ſententia uſque ad Saeculum Chriſti Nonum: eadem profecto, quae & nunc eſt Eccleſiae Romanae.

CA-

# CAPUT VICESIMUMQUINTUM.

*Etiam poſt Schiſma Photianum plerique nobiles Graecae Eccleſiae Scriptores cum Romana Eccleſia in aſſerenda Beatitudine Sanctorum concordes. Quid de hac re ſcripſerint Joſeph Hymnographus, Simeon Metaphraſtes, Michael Pſellus, Nilus Monachus, Conſtantinus Acropolita, Nicephorus Gregoras, Nicolaus Cabaſilas, Manuel Palaeologus. Menaea Graecorum idem teſtata. Quam inſipienter Marcus Epheſius, & pauci alii Graeculi, dum Concilium Florentinum haberetur, in hoc argumento adverſati Romanae Eccleſiae; ſed compreſſi a Gregorio Protoſyncaello, Georgio Scholario, ſive Gennadio, atque ab aliis Graecis vel poſt ipſum Concilium.*

AT eodem Saeculo Nono Graecam ipſam Eccleſiam graviſſimis turbis concuſſit ac dilaceravit Photius, vir multiplici quidem doctrina ornatus, ſed incredibilis ambitionis facibus ſuccenſus, & pietate omnino vacuus, uſque adeo ut Schiſmate funeſtiſſimo illam a Latina ſejunxerit. An quicquam turbulentus hic homo receſſerit ab antiqua Traditione in doctrina de Beatitate Sanctorum, detegere nondum potui. Sunt, quae ſuſpicionem mihi aliquam ingerant. Certe poſt ea tempora nonnulli apud Graecos occurrunt, qui repromiſſiones Sanctis a Deo factas, ad conſummationem Saeculi diſtuliſſe videntur: quanquam ambiguum ſit, quid ii hac de quaeſtione revera ſignificare voluerint. Jam hoc innui in principio Capitis praecedentis, atque inter eoſdem Scriptores poſt Photium natos ſuſpicor ego recenſendum eſſe Auctorem Quaeſtionum ad Antiochum, quae olim perperam Sancto Athanaſio Alexandrino tribuebantur. Nam quod ab Anonymo Geographo Ravennate Quaeſtiones ejuſmodi memorentur, nihil inde lucis accipimus ad dignoſcendam aetatem Auctoris illius ad nugas proni, quum & Ravennati ipſius dubia prorſus incertaque ſit aetas. Is autem Animas Juſtorum in *Paradiſum* quidem immittit, at *Paradiſum* a *Regno* diſtinguit, quanquam poſtea, veluti ſui immemor, *Juſtos, qui cum Abrahamo ſunt, in Regno exiſtere* agnoſcat. Hiſce vero Quaeſtionibus aliae in Pſalmos adnexuntur, a Clariſs. Montfauconio editae Tom. II. editionis Athanaſianae; inter quas octogeſima nona

nona est de verbis Psalmi CXLIX. *Gloriabuntur Sancti in Gloria, & Exsultabunt in cubilibus suis.* Respondetur: *Sanctos dicit spirituales & probos homines, qui gloriabuntur post mortem in cubilibus suis. Cubilia vero sunt Mansiones Sanctorum, quas post mortem inveniunt, & laetantur in Regno Caelorum.* Verum si quis ex recentioribus Graecis occurrat, non plane concors cum iis, quae hactenus ostendimus: quaenam, quaeso, ratio habenda est hominum a perspicua & stabili Majorum suorum Traditione deflectentium? Et praecipue quum Graeculi posterioris aevi neque doctrina, neque auctoritate certare queant cum tot eximiis Patribus, qui Graecam, immo universam Ecclesiam, tot ante Saeculis illustrarunt. Accedit, quod etsi aliquis e Graecis recentioribus hac in re a paterna Traditione desivit, vetusta tamen sententia non propterea desiit esse communis, vel post Photium, in Orientis Ecclesiis. Id quoque ostendendum antea mihi proposueram. Meam nunc fidem properans liberabo.

Sub finem Saeculi Noni, aut ineunte Decimo, hinc evocatus a Deo fuit Sanctus *Joseph Hymnographus* apud Graecos celebris. Ejus Vitam illustravit P. Papebrochius ad diem III. Aprilis in Actis sanctorum. Dicitur autem in Menaeis Graecis, *quod Sancta illius Anima, deducentibus Sanctis Martyribus Angelisque, evecta in Caelum sit, & Ante Dei Conspectum constituta.* Ad haec *Joannes Magnae Dei Ecclesiae Diaconus* in illius Vita num. 37. fusius exponit, qua ratione visa fuerit illius Anima in Caelum deferri, dolente viro pio, cui visio illa oblata fuit, sibi fas minime fuisse, *reliqua divinae pompae mysteria conspicere: quo pacto scilicet ante Sanctissimam Trinitatem fuerit Joseph evectus, eam pie adoraverit, coelestium Spirituum choreis admixtus.* Ejusmodi visiones rideant, quantum velint Burneti asseclae: istud non moror. Negare saltem nequeant, quin haec fuerit inconcussa eo tempore de Sanctorum Beatitate sententia Graecorum. Proinde Joannes, Vitae illius Scriptor Graecus, ita sub finem ait: *Dicamus potius, quod cum Apostolis & Martyribus fruatur ea, quae de Sanctae Trinitatis Throno procedit, dignitate & Claritate: cui Adsistens, & lucidissimae Pulcritudinis fruitione jucundans, nostrum recordatur &c.* Neque secus sentiebat hac de re sanctus ipse Joseph Hymnographus. Ad diem X. Junii in Act. Sanctorum Bollandi, Hymnum habemus illius, in laudem Sancti Tychonis, ubi is appellatur *Majestati Dei Coronatus Adsistens.* Produxit etiam P. Henschenius in Actis Sanctorum ad diem III. Aprilis alterum ejusdem Hymnum de Sancto Pancratio Episcopo Tauromenii, cujus Stropha

XXXIII.

XXXIII. ita ſe habet: *Sacerdotum conſpicuus fulgoribus, Martyrumque coruſcans ſplendoribus, Sancte Pancrati, jam Dei Gloriam laetus ac geſtiens Contemplaris.* Circiter Annum Chriſti DCCCCXX. ad contexendas Sanctorum Vitas ſe contulit *Simeon Metaphraſtes*, vir primis honoribus apud Graecos Imperatores functus, atque inter Eccleſiaſticos Scriptores celebris. Legitur apud Surium ad diem IV. Novembris Vita Sancti Joannici ab eo ſcripta: ipſoque teſte, pius ille Abbas *Spiritu migrat ad Eum, quem diligebat, deductus a choris Angelorum &c.* Et infra: *Illum praeceſſerunt Angeli, Paradiſi portas ei aperientes, & tranſmittentes ad eam, quae illic eſt, Beatitudinem, pure appariturum ante Faciem Domini, & ſimul verſaturum cum Angelicis Ordinibus, a quibus beata Trinitas laudatur.* Ita apud eundem Surium ad diem I. Novembris habetur Paſſio Sanctorum Acyndini Aphthonii, & aliorum Martyrum, ab ipſo Metaphraſte ſcriptis mandata. Ad Aphthonium, qui primus in agonem deſcenſurus erat, ſacri Athletae, *bono animo, dixerunt, o frater, Beatam Vitam ingredere. Beatus enim es propter tuum deceſſum, quia primus noſtrum ſiſteris Coram optata Trinitate, tui laboris accipies remunerationem, Aeternam Lucem conſequens, & Gloriam Sempiternam.* Eundem quoque Metaphraſtem legiſſe proderit in Vita Sancti Alypii Cionitae apud Surium die XXVI. Novembris, & Sancti Nicolai Myrenſis Epiſcopi, ut ceteras ab eo conſcriptas Vitas praeteream. Neque heic quiſquam naevos objiciat, quos in Metaphraſtis Operibus Critici viri offendunt. Id unum nunc quaerimus: quae tunc ejus foret, atque Eccleſiae Graecae opinio de Beata in Caelis Sanctorum vita. Egregius & ipſe teſtis eſſe poteſt, tunc etiam apud Graecos inconcuſſam ſtetiſſe doctrinam, pro qua hactenus adverſus Burnetum in acie ſtetimus. Ad ſubſequens Saeculum Undecimum progrediamur, quo inſignem ſibi paravit Anno Chriſti ML. eruditionis ac doctrinae famam *Michael Pſellus*, in aula CPolitana ad eximia munera adhibitus. Is autem in Reſponſ. ad Michaelem Ducam Imperatorem ſcribebat: *In ipſo fulgentiſſimo Caeleſtis Beatitatis Throno Chriſtum Vident Fideles in Fide defuncti, & fruuntur Gaudio Aeterno, laeti ipſi, & ad laetitiam provocantes, ſub Dei fane oculis immortalem agentes Vitam.* Eodem Saeculo, atque Anno Chriſti MLXX. ad caeleſtia elatus eſt Sanctus Philaretus Monachus Graecus in Monaſterio Sancti Eliae, cujus Vitam a *Nilo Monacho* Graeco Auctore coaevo ſcriptam, ac Latine redditam Bollandi Continuatores evulgarunt ad diem VI. Aprilis. Ibi ejus obitum referens Nilus ait: *Animam illius*

*lius caeleſtes Angelorum chori reverenter ſuſcipientes, omnium Conditori Deo honorificentiſſime, magnaque cum gloria, tamquam divinum quoddam atque ornatiſſimum donum obtulere. Qui profecto illam accipiens, inter praeclaros Sanctorum virorum, qui jam inde uſque a Mundi incunabulis fuerunt, ordines adſcribit: ubi laetantium omnium eſt habitatio, ubi gaudium & exſultatio, ubi eſt Caeleſte Regnum.* Tandem in Epilogo ad ſanctum ipſum Philaretum Nilus converſus, haec addit. *Tu, inquam, qui Deo propior clarius ac purius Illum intueris, ac mortalitatis noſtrae vinculis jam exſolutus, magnam fiduciam ac libertatem Apud Eumdem es adeptus, ne umquam noſtri te capiat oblivio.* Perſpicua haec ſunt, neque commentario indigent, quippe Dei Viſione beari Sanctos diſerte Nilus affirmat.

Florebat Anno Chriſti MCCLXX. *Conſtantinus Acropolita*, Magnus Logotheta in Aula C Politana. Proſtat ejus Oratio de Laudibus Sancti Joannis Damaſceni, edita inter Acta Sanctorum Bollandi in Appendice ad Tomum II. Maji. Ibi ait, *manifeſtum, certiſſimumque eſſe*, Damaſcenum *a Deo collocatum fuiſſe inter eos, qui propius Sibi Adſiſtunt.* Sed & in Vita Sanctae Theodoſiae Cap. IV. ad diem XXIX. Maji in eiſdem Actis Sanctorum, ab ipſo Conſtantino Acropolita ſcripta horum ſimilia legas. Anno quoque MCCLXXXIII. vel ſubſequenti *Gregorius Cyprius* renuntiatus fuit Patriarcha C Politanus. Hic nobis reliquit Encomium Sancti Georgii magni Martyris, evulgatum in praelaudatis Actis Sanctor. ad diem XXIII. Aprilis, ubi inter alia haec de ipſo Martyre in peroratione ſcribit: *Poſt Apoſtolos, Prophetaſque, & Veteris Teſtamenti Juſtos, princeps in choro Martyrum, Primamque Pulcritudinem* (ſcilicet Deum) *Facie ad Faciem, non jam per ſpeculum in aenigmate, Contemplans, vivit coram Domino. Impletur enim in eo Iſaiae vaticinium dicentis: Et erit ipſi Dominus in lucem ſempiternam, & complebuntur dies luctus ipſius. Propterea etiam in Caelis eſt noſter apud Deum pacificator.* Adire etiam juvabit Vitam Sancti Codrati, aliorumque Martyrum, a *Nicephoro Gregora*, magni nominis Scriptore inter Graecos, exaratam, atque ab iiſdem Bollandi Continuatoribus editam ad diem X. Martii. De Codrato is ait: *Firmiter nobis perſuademus, quod Nunc Bonis Omnibus Apud Deum libere illi perfrui liceat; ac manſiones non has vel illas dumtaxat, ſed ad eumdem modum omnes inhabitando occupet, tamquam heres & filius, in quo Deus Pater ſibi complacuit &c.* Infra addit: *Frueris tu quidem Nunc, o benedicte Patris caeleſtis, praeparatis tibi Bonis Aeternis, fatoque nulli obnoxiis, quae neque*

oculum

*oculum humanum vidiſſe, neque in cor terrenum deſcendiſſe didicimus: & gaudes, dum Athlotheta Chriſto ſine ullo obſtaculo potiris.* Floruit Nicephorus Gregoras Anno Chriſti MCCCXLVII. eique ſynchronus fuit *Nicolaus Cabaſilas* Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, cui debemus Encomium Sanctae Theodorae Sanctimonialis, editum inter Acta Sanctorum Bollandi ad diem V. Aprilis. Ibi in fine ſanctam mulierem hiſce alloquitur: *Tu quidem, quam ſuſpiraſti, Trinitatem, & in quam fixos ut plurimum tenuiſti obtutus,* Ταυτῆς Νῦν Ἀμέσως Μετέχεις, *Nunc Immediate Ipſam Poſſides.* Praetereo heic *Gregorium Palamam*, qui eiſdem temporibus praeter multa alia Vitam ſcripſit Sancti Petri Athonitae in Act. Sanctor. evulgatam ad diem XII. Junii, ubi paria tradit: progredi enim juvat. Anno quoque MCCCCIV. ad plures abiit Theodorus Deſpota, quem Manuel Palaeologus Graecorum Imperator, ejus frater, luculenta Oratione laudavit, a Combefiſio edita in Auctario Bibliothecae Patrum. Ibi Auguſtus Orator ait: *Ille ab humana conſuetudine abjunctus, Deum Conſequutus Eſt, ſuitque inſcriptus Beatorum choro, inter quos multi ejus cognati &c. Cum Beatis, ipſoque inſuper Deo, longe utique jucundius habet, quam quum verſabatur nobiſcum, uſque adeo ut nulla comparatio ſuperſit: Quippe factus particeps interminabilis Vitae, Gloriaeque, & Voluptatis, quae vitae illi indefectibili congruit. Quae enim aevo illi pulcra ſunt ac bona, tanto noſtris praecellunt, quanto incorruptibilia corruptioni obnoxiis; tantumque illorum diſcrimen, ut neque lingua doceri poſſit.* Tum ait, moleſte minime ferendum, quod aliquis e corpore migrans, *Bona Aeterna fuerit conſequutus, & Felicitatem, quae nulli deinceps mutationi obnoxia ſit. Ceterum credimus, Theodorum in loco eſſe ab omni triſtitia vacuo, in Lumine, quod aliquando apparens, Solem hunc fulgore multo ſit obſcuraturum: quodque univerſis praeſtantius eſt, credimus eſſe conjunctum Salvatori Chriſto, & una cum Martyribus agentem choros, Paradiſi potiri bonis.*

Atquae haec erat uſque ad initium Saeculi Quincti-decimi de hiſce rebus ſententia, quam palam profitebantur Eccleſiae Graecae Primates, ipſique etiam Auguſti. Quod ſi eorum Hymnos conſulas, id ſaepe ab ipſis repetitum atque inculcatum invenias. Exemplum accipe ex Magnis Graecorum eorundem Menaeis excerptum, Hymnum videlicet in honorem Sancti Euthychii Melitenenſis Epiſcopi & Martyris, quem ad diem XXVIII. Maji Papebrochius edidit in Act. Sanctorum. Hoc ejus exordium: *Supernis Virtutibus ſociatus Eutychi, & Throno divinae Gratiae Nunc Adſiſtens, luciferam tuam memoriam*

*riam honorantes, tua interceſſione divinitus illuſtra.* Alterum pariter Hymnum audi de Sancto Tito Thaumaturgo, ad diem IV. Aprilis ab Henſchenio evulgatum in Actis eiſdem, atque hauſtum ex Officio Eccleſiaſtico Graecorum. Ibi haec verba: *Omnis materiae expertibus Angelis additus, o Beatiſſime, & Caeleſtis Regni claritate indeſinenter perfruens, reſpice pſallentes. Auguſta virtutum ſpecie refulgens, in Thalamo Gloriae ineffabilis recumbis, Chriſtoque in ſaecula hymnum concinis &c.* Affinia legere potes in altero Hymno in honorem Sanctae Agrippinae Virginis & Martyris, quem e Graecorum Menaeis mutuatus idem Papebrochius ad diem III. Junii intulit in Acta Sanctorum. Sed & in Menologio Graeci ipſi Sanctos *Aſtare Trinitati* fatentur, & praecipue, quum de Sancto Baſilio ajunt: Βασίλειε σοφὲ, Παρεστὼς Τῇ Τριάδι, *Baſili ſapiens, Qui Aſtiſtis Trinitati.* Ceterum plura aggerere non eſt animus. Dies enim & charta me deficeret, ſi unaquaeque Graecae Eccleſiae monumenta hanc in rem conſulere, atque huc transferre vellem. Satis fuerit Lectorem monere, jamdiu a Cl. viro Nicolao Comneno Papadopoli, ſub finem Praenotionum Myſtagogicarum, uti hujuſce doctrinae teſtes egregios laudatos fuiſſe *Conſtantinum Harmenopolum, Nicetam Theſſalonicenſem, Heliam Cretenſem, Joannem Veccum, Georgium Metochiten, Georgium Trapezuntium*, immo & *Gregorium Coreſſium*, Saeculi Sexti-decimi Scriptorem; ita ut dubitatio omnis deſinere debeat, quin eadem olim foret cum Romana Graecae Eccleſiae ſententia de Beatitudine Sanctorum. Addit idem Papadopolus, occurrere paſſim dogma iſtud in Menaeis, Triodiis, Synaxariis, Tropariis, atque aliis ſacris Graecorum Libris, tum excuſis, tum manu exaratis. Atque is conſulto ingentem locorum ſegetem indicavit, petitam ex Antologio Eccleſiae Graecae, & ex *Horologio* (*Diurnum* Latini appellant) quod Graeci prae manibus habent, in quibus aperta occurrit mentio Caeleſtis Beatitatis, qua nunc Sancti poſt depoſitionem terreni oneris perpetuo fruuntur.

At, inquiens, Anno MCCCCXXXVIII. & MCCCCXXXIX. in Florentino Generali Concilio diſputatum fuit hac ipſa de re inter Latinos & Graecos. Ita ſane; ſtabilique decreto firmatum tunc fuit, Graecis ipſis conſentientibus: *Illorum Animas, qui poſt Baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt: Illas etiam, quae poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel exutae corporibus, ſunt purgatae: IN CAELUM MOX RECIPI, ET INTUERI CLARE IPSUM DEUM TRINUM ET UNUM, SICUTI*

*CUTI EST; pro meritorum tamen diverſitate alium alio perfectius.* In Concilio quoque Conſtantienſi, Anno Chriſti MCCCCXVI. non tam perſpicua, magnifica tamen, dicta fuerant de Beatitate Sanctorum. Vide Tomum XII. Collection. Labbeanae pag. 1586. ubi ejuſdem Concilii Bulla de Canonizandis tribus Sanctis Suecis, ex hiſce verbis exordium ſumit: *FELIX PRORSUS ET INEFFABILIS EST SANCTORUM GLORIA, incomparabilis Pulcritudo, ET BEATITUDO PERENNIS &c. Nihil tamen per noſtras laudes, nihil per ſacrificia & oblationes eis accreſcit novae perfectionis & Gloriae. Nec EORUM PLENA ET PERFECTA FELICITAS noſtris operibus, vel obſequioſo famulatu, minui poteſt vel augeri, quum per ſe ſufficiens ſit ſtatus eorum, omnique BONORUM AGGREGATIONE Perfectus.* Ita in Oecumenico illo Concilio ante Florentinum Eccleſia Catholica loquebatur. Poſſem & alias Sanctorum *Canonizationes* recenſere, praecedentibus Saeculis peractas, in quibus ſtatuitur jam inchoata in Caelis Sanctorum Beatitas: ſed pluribus tempero. Quum ergo a primis Chriſtianae Reipublicae Saeculis uſque ad idem Concilium Florentinum communis ſemper, ſtabiliſque deſcendiſſet doctrina de Sanctorum inenarrabili Felicitate in Caelis; eamque Graeca ipſa Eccleſia, uti vidimus, concordi ſemper ſuffragio foviſſet, ac palam profeſſa fuiſſet: petiiſſem lubenter a Novatore Burneto, fuiſſe-ne aequum, ut ob contentionem paucorum recederet Eccleſia a dogmate, tanta Saeculorum praecedentium concordia per manus a Majoribus accepto? Immo hoc unum potuit ac debuit amplecti. Eoque magis, quod plerique Graecorum in eo ipſo Concilio, ubi agebatur de utriuſque Eccleſiae foedere reſtituendo, non rem ipſam negabant, ſed de parergis duntaxat altercabantur. In Actis ejuſdem Concilii pag. 27. edition. Labbeanae haec leguntur: *Et Graeci quidem eos, qui nunc ſuppliciis addicti ſunt, negant perfecte ſuſcepiſſe poenas, ſed Corpora etiam exſpectare; quemadmodum & Animae Sanctorum Sunt Quidem Aſſequutae Beatitudinem, non perfecte tamen. Fruentur autem ea perfecte, quum fiet Reſurrectio Corporum, ſecundum Apoſtolum ad Hebraeos XI. dicentem: Et hi omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſionem; hoc eſt per Corpora non acceperunt. Quum vero Corporibus Animae in Reſurrectione conjungentur, tunc perfecta fruentur Beatitudine. Itali vero aſſerunt, Animas quidem damnatorum non perfecte cruciari, quum non adſint Corpora; tunc enim ajunt, cum Corporibus aeternas poenas ſuſtinebunt. Animas autem Sanctorum perfectam in Caelis jam adeptas eſſe laureolam, nunc quidem ut Ani-*

*mae; tunc autem ſuis, inquiunt, Corporibus indutae perpetuo laetabuntur.* At Concilium intactam reliquit ejuſmodi controverſiam, quae non ſolum inter Graecos, ſed & a longo tempore inter ipſos Latinos Theologos fervebat. Additur in Actis. *Sunt etiam inter Graecos, qui ita ſentiant: Sanctorum Animas non eſſe perfectam conſequutas Beatitudinem, ſed in Loco verſari ſeparato, ibique laetari, mente volventes cogitationem de perfecta, quae eos manet, laureola, abſolutaque Beatitudine, & adeptione Regni Dei.* Pauci e Graecis, Photiani Schiſmatis acerrimis propugnatoribus, poſtremae huic ſententiae adhaerebant, eorumque primipilus fuit Marcus Epheſius, infenſiſſimus ille Latinorum hoſtis, qui hoc ipſo titulo magnus Heros apud Heterodoxos Occidentis poſtea evaſit. At inter ipſos Graecos *Beſſarion* Cardinalis Nicaenus, & *Gregorius Proroſyncellus*, poſtea Patriarcha C Politanus, dogma in Florentino Concilio conſtabilitum tutati ſunt, legiturque in ipſius Synodi Actis, Gregorii ejuſdem Opuſculum, in quo teſtatur, ſe fuſius hac de re egiſſe in altero Tractatu, quem nunquam legi. Accedit, quod adverſus eundem Mareum pugnavit *Georgius Scholarius*, qui & *Gennadius* alio nomine appellabatur, Patriarcha C Politanus & ipſe, ampliſſima Expoſitione pro Concilio Florentino edita, in cujus Cap. IV. e ſacris Literis, atque ex ipſius Eccleſiae Graecae Scriptoribus, ſacriſque monumentis, luculente oſtendit, eandem ſemper fuiſſe Graecorum atque Latinorum ſententiam de Beatitate Sanctorum. Hanc Georgii, ſive Gennadii lucubrationem in Tomo XXVI. Bibliothecae Patrum, omnium uſui expoſitam, oculiſque torvis a nonnullis Heterodoxis exceptam, uti nobile in praeſenti Quaeſtione documentum, optandum eſt, ut unuſquiſque legat.

Interea nemo ſatis mirari poſſit Photianorum quorundam caecitatem, qui ut virulento in Latinos odio morem gererent, nihil penſi habuerunt, an doctrina heic deſererent ac proderent, quam hactenus oſtendimus per tot Saecula ratam atque conſtantem in Eccleſia non minus Latina quam Graeca ſtetiſſe. Rem tamen non levis momenti hac in re animadverte, quaeſo. Pauci fuere Graeci illi, qui Concilii Florentini decreto de Beatitate Sanctorum refragati ſunt, eorum aciem ducente Marco Epheſio. Sed aut ſupinae ignorantiae illos arguere jam neceſſe eſt; aut in doctrinae tantum parergis tota illorum pugna cum aliis Graecis atque Latinis verſabatur; aut alter alterius mentem non intelleXiſſe credendi ſunt. Illi quippe convicti a verbis antiquorum Patrum, ac praeſertim Baſilii, Nazianzeni, & Chry-

Gryſoſtomi, quam triadem Scriptorum, neque immerito, incredibili veneratione proſequebantur Graeci omnes, ſemperque in ore adhuc habent; adducti etiam a Liturgiis, Synaxariis, Trypariis, aliiſque ſacris ſuae Eccleſiae Libris: unanimi conſenſu & ipſi fatebantur, Sanctos nunc in Caelo degere, adſtare Deo uni ac trino, ejuſque Adſpectu gaudere; & nihilominus contendebant, eos nondum recepiſſe repromiſſionem, ſperandam tantummodo in Reſurrectione Carnis. Marcus ipſe Epheſius (uti animadvertit nuper laudatus Gennadius Cap. IV. Sect. 3. Expoſit.) in Oratione, quam habuerat de Sancto Helia, eum dixerat *in Caelo eſſe, atque una cum ſplendoribus Angelorum, Domini Throno Aſſidere, & Dei Ad Faciem Viſione potiri.* Attamen is ajebat, Sanctos nondum Regnum ingreſſos, nondum mercedem, nondum bona, quae oculus non vidit, recepiſſe. Hoc puto enatum ex male intellectis verbis Andreae & Arethae Caeſarienſium Epiſcoporum, de queis actum ſupra fuit Cap. XVIII. Gennadius autem reponebat: *Heic ſubit mihi vehementer videre: ſi Deum Facie ad Faciem Juſtorum Animae Videant; & Trinitati, & Dei Throno ſine ullo medio Adſiſtant; nec tamen ineffabilibus Bonis adhuc perfruantur. O inſenſibilitatem! Quaenam ineffabilia Bona eſſe exiſtimatis Viſione Dei majora? Perſpicite quid dicatis; nam id blaſphemia maxima eſt. Si enim Deum in Facie Vident (quod Nemo Negaverit Umquam); ſunt autem & alia Bona, quae non vident: ergo majora ea Dei Viſione ſunt. At id neque Daemones umquam dicerent.* Itaque vides, neminem e Graecis Viſionem Dei negaſſe Sanctis, quanquam ridiculo poſtea dogmate contenderent, eos adhuc exſpectare mercedem & Regnum. Sed fortaſſis id unum ii volebant, augendam nimirum tunc eſſe Juſtorum Felicitatem in Caelis, quum contubernium Carnis Animae recipient: quod & Latina Eccleſia agnoſcit; ſed ſpiritu diſſenſionis praerepti oculos avertebant ab iis, quae Latini recte ſentiebant. Porro in praeſentia nihil noſtra certo ſcire intereſt, fuerit-ne ejuſdem Apologiae Auctor Gennadius, qui & Georgius Scholarius, an Joſeph Epiſcopus Methonenſis, an quiſquam alius: qua de re adhuc inter Eruditos diſputatur. Nemo neget, quin ea proceſſerit ab Auctore aliquo Graeco, Marci Epheſii ſynchrono, cui perſpecta melius, quam nobis, erat ſuae Eccleſiae doctrina in hocce negotio. Propterea quicumque apud ipſos Graecos nunc etiam numerantur homines mitioris animi, atque ingenii ad meliora compoſiti, ii Novatores ſuae gentis, Latinorum odio nimium excaecatos, averſati, hac in re cum Romana plane Eccleſia conſentiunt. Immo te-

ſtarur idem Papadopolus, gente Graecus, & in ſacris Grecorum rebus verſatiſſimus, ſi Marcum Epheſium, Margunium, & paucos alios excipias, reliquos Graecos nunquam abſceſſiſſe neque abſcedere a dogmate, quod tam a Latinis quam a Graecis in Concilio Florentino conſtabilitum animadvertimus. Quae vero nunc Eccleſiae Graecae hac de re communis ſententia ſit, Papadopolus ipſe prodit verbis *Gabrielis Severi* Metropolitae Philadelphienſis, acerrimi alioquin Latinorum hoſtis, qui Saeculo proxime praeterito in Libro de Differentiis (non ſecus atque *Georgius Coreſſius*, alter Photianus ſynchronus praeſtiterat in Epiſtol. Theolog.) in haec verba loquitur: *Hanc habeo ſententiam in hac controverſia, nimirum Sanctorum Animas Videre ſane, ut Animae ſunt, Beatitatem & Gloriam Dei, uti in Sapientiae Libro dicitur: Juſtorum Animae In Manu Dei Sunt; & ut magnus Baſilius in jam allatis locis dicebat. At in quantum debent iterum Anima & Corpus perfectam mercedem recipere Divinae Beatitatis: dico, nondum perfecte Sanctos Praemium accepiſſe. Nam tunc erit perfecta merces, quum Chriſtus judicabit univerſam terram, & reddet unicuique ſecundum opera ejus.* Philadelphienſis ſententiam nemo Catholicorum improbabit. Nemo quippe noſtrum dubitat, quin poſt Corporum, ſive Carnis Reſurrectionem, futura ſit major Beatitudo Juſtorum in Caelis, uti jam vidimus tradi a veterum quoque pleriſque. Iſtud autem diſputationi adhuc inter Theologos obnoxium eſt, ſcilicet intenſive-ne, an extenſive augenda tunc ſit eadem Beatitas. Quam quidem controverſiam ingredi nunc neque vacat, neque refert. Huic enim in quamcunque partem inclines, a Catholicae Eccleſiae tramite non declines. Vide Sanctum Thomam in 4. Diſtinct. 49. Quaeſt. I. Articulo 4., alioſque Scholaſticos de hoc argumento loquutos. Satis nobis ſit jam percepiſſe, quam ridendus ſit Burnetus, qui Florentini Concilii ſententiam veluti vetuſtatis ac Traditionis ſuffragio deſtitutam exclamat. Antiquiſſimam, ſtabilemque hujus Dogmatis Traditionem nunc habet Lector: quod erat demonſtrandum.

CA-

## CAPUT VICESIMUMSEXTUM.

*Quam neceſſarium, quam utile ad Chriſtianorum Spem confovendam, quamque Dei bonitati conſonum Dogma de Beatitudine Sanctorum. Contra quam pernicioſa Burneti opinio, utpote quae a Martyrio, Virtutibuſque homines avertat, & Vitiis oſtium grande recludat. Quam ſimul divinam bonitatem dedeceat.*

LONGE plura, ne dicam innumera alia, congerere potuiſſem tum Latinae, tum Graecae Eccleſiae Monumenta, ut fuſius etiam oſtenderem, quam longe lateque in omnibus Chriſti Eccleſiis, atque ab ipſis remotioribus Saeculis, communis, conſtans, & ore omnium depraedicata ſemper fuerit Juſtorum in Regia Caeleſti Beatitas, minime exſpectato redivivae Carnis contubernio. Sed modus eſt adhibendus. Nunc ergo Lectores rogo, Britannos potiſſimum, ſi quiſquam ad haec legenda accedat, ut Burnetum ad cauſſam dicendam de Libro a ſe evulgato jam tandem adigant. Scilicet cur, & quo animo, quove conſilio inveteratam (puto etiam apud ſuos tribules) ſententiam de Felicitate Sanctorum, poſtremis hiſce temporibus arrodendam, ac, ſi fieri poſſet, dejiciendam ipſe ſibi ſumſerit. Quis non videt, Impiorum, & Iniquorum commodis Burnetum ſedule proſpexiſſe, quando eorum ſupplicia uſque ad conſummationem Saeculi diſtulit? Dum vero Juſtorum quoque retributionem ad magnum illum diem procraſtinat, vix dici poteſt, quantam perniciem Chriſtianae Religioni moliatur maleſana illius opinio, & quam propterea deteſtanda atque omnibus fugienda ſit, qui revera Chriſto ſuam fidem addixere, atque in Chriſto Domino ſuam ſpem collocarunt. Rerum certe ſacrarum peritis notum arbitror, Chriſtiani hominis vitam atque oeconomiam, quod eſt ad operandum, e tribus potiſſimum pendere Virtutibus, quas Theologicas, & ſupernaturales appellamus: e *Fide* videlicet, *Spe*, & *Caritate*, quas identidem divinus Paulus commemorat. Quo altius hae inſident in animis noſtris, eo operoſius tum declinando a malo, tum faciendo bonum nobis cordi & curae eſt, ut Deo placeamus. Si vero imbecilles haſce in nobis ſentimus, gradibus quoque infirmis tunc ad Deum tendimus, atque in vitia facile finimus

mus ut rapiamur. Et quidem etiamſi ultra hanc vitam altera non eſſet, recta ipſa Ratio perſuaderet, & Deum eſſe, ipſumque fore amandum, & Virtutem potius, quam Vitia, nobis eſſe excolendam. Verum tam ipſa Ratio, quam Revelatio certos nos faciunt, exſiſtere alteram Vitam, Animaſque ratione praeditas, immortales & nunquam perituras, a Deo fuiſſe creatas. Ad haec quum ſupremum omnium Creatorem agnoſcere opus ſit infinite Juſtum (quod attributum niſi mente captus ei deneget): neceſſe eſt, in altero Saeculo & Praemia Juſtorum & Poenas Iniquorum fateamur, ubi Juſtus Deus aequa lance & illos remuneretur, & hos ſecundum merita puniat: quod videlicet in hoc Mundo non ſemper ſibi faciendum divinus rerum arbiter pro ſua voluntate atque ſapientia cenſet. Validiſſimum hoc argumentum ad immortalitatem Animae demonſtrandam, a Platone uſurpatum, Chryſoſtomus, aliique Patres ſaepe inculcant. At quod praecipue certos nos facit de Immortalitate Animae, vox primae Veritatis eſt, vox Chriſti Domini, cujus Religionem inviſtis adducti rationibus amplexi ſumus, & cujus dicta a fallacia ac errore prorſus immunia merito credimus. Erunt ergo Praemia, erunt & Poenae in altera Vita, eaque per Fidem adventura novimus ac certiſſime credimus. Erit Deus ipſe, ſummum Bonum, praemium Bonis, quum ſe in Regia ſpectandum electis ſuis praebebit, ſuoque adſpectu eorum intima illuminabit, ſatiabit, atque admiranda, nunquamque deſitura voluptate replebit. Sed quid Chriſtianis prodeſſet, tantam Felicitatem in Caelis paratam noſſe & credere, niſi etiam ſe eadem potituros, & quidem ſine longa mora, ſperarent? Propterea non Fidem ſolam, ſed & Spem in ſuorum Fidelium Animas immittit Deus, ut quod viribus noſtris aſſequi nunquam fas eſſet, miſericordia & ope divina conferendum nobis ſperemus. O beatam Spem, o dulce proborum refrigerium in terris! Si ſpiritu facta carnis mortificabimus, ſi cum Chriſto compatiemur, ſi ambulantes in viis Domini abnegabimus noſmetipſos: nos quoque glorificabimur, & ex filiis heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti, per Dei miſeratoris gratiam evademus. Nunc quod non videmus, ſperamus. Nunc per patientiam ineffabilia illa Bona exſpectamus. Veniet, ac cito veniet exoptata illa dies, qua Chriſtum amorem noſtrum, in gloria Patris ſedentem, Facie ad Faciem contemplabimur, ac videbimus Deum, ſicuti eſt, non jam amplius per ſpeculum, ſive in aenigmate, atque inhabitabimus in atriis ejus, & ſatiabimur bonis domus ejus. Quis ergo nos ſeparabit a Caritate Dei,

Dei, quae eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſequutio? an gladius? Nihil horum ſane: fiducia noſtra in Deo eſt; in his omnibus ſuperabimus propter Eum, qui dilexit nos. Ipſe enim nobiſcum victoriam referet, & Juſtus ſimul ac miſericors Pater ſua nobis dona, quum hinc emigrabimus, elargietur.

Verum in Britannia exſurrexit, qui nos ſeparare poſtremis hiſce temporibus a Caritate Chriſti vellet. Atque is Burnetus eſt, quem non ita pridem prurigo invaſit iterum ſuſcitandi tamdiu ſepultos atque exſibilatos Chiliaſtarum errores, & procraſtinandi uſque ad extremum Chriſti Judicium, immo & poſt illud ad Annos Mille, ſupernam Juſtorum Felicitatem in Caelis. Chriſtianorum mentibus quam pernicioſa ſit ejuſmodi opinio, quicunque ſerio recogitet, quis continuo non intelligat? Ut ut non tollatur per eam prorſus Spes nobis a Deo ingeſta, grande profecto illi vulnus hac ratione infertur. Ita nimirum efformatus a divino Artifice homo fuit, ut innatum ei ſit atque eſſentiale principium, in volendo & agendo, Amor ſui ipſius, & deſiderium Felicitatis. Propterea benignus ipſe Deus immenſa bona paravit, eaque propoſuit mentiri neſcius Fidelibus ſuis, ut tanto Praemio ſolicitati, in via mandatorum ſuorum alacres decurrant, certitudine ac Spe incomparabilis hujus mercedis levante, immo carum reddente laborem itineris. Atque haec praemia ille ſaepe ac ſaepius repetit, nobiſque inculcat in ſacris Literis, quaſi veritus, ne de iis aliquando dubitaremus, aut eadem excidere e memoria noſtra pateremur: probe noſcens, quantum virium haec habeant ad excitandos animos hominum ad cultum & amorem, alioqui per ſe expetendum, Virtutis. *Quod etiam vel maxime in illius doctrina admireris* (inquit Chryſoſtomus) *ubique ſumma cum plenitudine certaminum praemia ponit: uti Deum videre, adire hereditatem Regni Caelorum, ac Filios Dei fieri, Deoque ſimiles, miſericordiam conſequi & conſolationem, tum etiam in Caelis copioſam habere mercedem. Sicubi vero etiam triſtium meminiſſe oportet, parce id facit. Gehennae enim nomen ſemel in hiſce ſermonibus poſuit; in aliis vero quibuſdam diſſimulanter, ac hortatorio potius quam comminatorio ſermone.* Scilicet optimus ille Pater, promtior ad remunerandum quam ad puniendum eſt. Verum Burnetum auſcultes, ab hiſce praemiis arcentem Juſtos, donec nudi Spiritus Carnis conſortium recipiant: quid, quaeſo, cogitandum deinceps foret de Deo, qui ſe adeo munificum erga ſervos ſuos tam crebro edicit? Quo in loco erunt Praemia illa,

toties

toties ac tantopere depraedicata? & quo tandem evadet ſuaviſſima & efficax Chriſtianae gentis Spes, quae non confundit? Burnetus quippe contendit, Juſtorum Animas corporeo carcere ſolutas in ignotum quendam Locum deferri, a Caelo remotum, ibique ſpecie quadam Somni colligari, & externam quamque rem oblitas ignobili quadam in ἀεργασίᾳ, ſive *inactione* & otio degere. Quamobrem ſecundum illius paene dixi deliria, Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum, Stephani, aliorumque Martyrum Spiritus, promiſſa illa Praemia adhuc exſpectant, eo tantum tempore conſequuturi, quum univerſorum Reſurrectionem Archangeli tuba indicabit. Confectaria dogmatis hujus perſequamur.

Primo fieri non poteſt, quin Impii, Increduli, atque Ethnici nobis inſultent, noſtramque Spem ſonantibus cachinnis irrideant. Quid enim, inquient, vos Chriſtiani dicitis: *Gloriamur in Spe Gloriae Filiorum Dei?* Quid *Spe gaudentes*, vos jactitatis? Ecce inter Britannos doctus vir, qui Chriſtianum ſe dicit, palam fatetur, nondum ullum eorum, qui Deum credunt, ab exordio Mundi ad hunc uſque diem, quae ſperabat, adeptum fuiſſe. Jam fluxere tot annorum Millia, ex quo fruſtra mercedem hanc opperiuntur Adam, Abel, Abraham, Iſaac, & Jacob. Abiere jam Mille ferme & ſeptingenti Anni, ex quo Apoſtoli veſtri vitam fortiter dedere pro Chriſto, conſequendae Beatitudinis illius, quam tam ſaepe in ore habetis, Spe atque fiducia illecti; & nullus tamen eſt hactenus in illam immiſſus. Porro quid ſentiendum de divino, ut dicitis, Magiſtro veſtro, qui ad parandam ſuis Diſcipulis Manſionem in domo Patris ſui ſe ire ante decem & ſeptem Saecula profeſſus eſt, quum illuc tamen nemo hactenus aditum invenerit? Numquid ille luſit, aut promiſſa ſua fefellit, aut tot Saeculis opus fuit ad parandum illis & vobis in Caelo domicilium? Ad haec in fine ſaltem Mundi vos votis veſtris compotes futuros eſſe ſperatis. At quandonam deſinet eſſe Mundus? Id ignoratis, ipſumque vobis occultum voluit Magiſter veſter. Quid, ſi non poſt Mille Annos, ſed poſt multa Annorum Millia exſpectandum ſit hujus Mundi funus? Quid, ſi nunquam terribilis hic dies adveniat? Denique riſu excipient Impii (dolens atque indignabundus dico) divinum ipſum Redemtorem noſtrum, qui animos noſtros erecturus ad quaeque aſpera pro Virtute toleranda, ajebat: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Caelorum. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Beati, qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam*

*niam ipſi ſaturabuntur. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum Videbunt &c.* Variis hiſce nominibus, ut nuper Chryſoſtomus innuebat, & Nyſſenus alibi monuit, unam Caeleſtem Beatitatem ſignificavit Dominus. Quei, inquient Epicuri aſſeclae, adeo magnifica ſperare vos fecit Chriſtus, ſi Burneto teſtante nondum quiſquam illud Regnum, illam Terram, quam Viventium Terram appellatis, ſolatium illud, illam ſatietatem, miſericordiam, & Viſionem Dei aſſequutus eſt? Et nunquid praegnantibus verbis non uſus eſt Praeceptor veſter, quum ait: *Gaudete & exſultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in Caelis?* Ille, quaſi jam tenerent ineffabilem iſtam mercedem, gaudere ſuos & exſultare jubet. Atqui ne ullus quidem poſt tot Saeculorum ſpatium coronam iſtam retulit, incertumque plane eſt, quando ſit relaturus, cunctis interim ſua ſpe fraudatis. Haec, aliaque id genus dicteria ſectatoribus Pyrrhonis adverſus ſanctiſſimam ac veraciſſimam Chriſti Religionem Burnetus miniſtravit improvida opinione ſua. Atque hoc unum ſatis eſſe poteſt apud ſapientes Chriſti Fideles, ut hanc ipſam opinionem, tot abſurda patientem, abominentur, & falſam e veſtigio dijudicent. Is enim, ut verbis utar Theophili Archiepiſcopi Alexandrini, *Chriſtianum Dogma* de Beatitudine Juſtorum, *ludum & jocum facit*, quum tot Chriſtus fuerit Fidelibus ſuis pollicitus, nihil vero iſtorum completum hactenus Burnetus velit. Qui etiam Regnum Chriſti in Caelis nondum inchoatum temere contendit, quum tamen, ut idem ſanctus vir animadvertit, *nulli dubium ſit, quin qui Deus permanet in aeternum, ſimul habeat & Regnum, & ſuper ipſos quoque, quos REGNI POSSESSIONE DONAVIT, Rex perpetuus appelletur.* Ita Theophilus circiter Annum Chriſti CCCXC. in Epiſtol. II. Paſchali, a Sancto Hieronymo in Latinum ſermonem converſa.

Secundo, ab opinione Burneti abſterrentur Fideles, ne in poſterum alacriter Martyrium pro Chriſto ſubeant, ſi occaſio tulerit & ne contra Vitia in agone Chriſtiano fortiter dimicent, animoque obſirmato procedant in amore Virtutum. Nos labores aggredimur, nos ad aerumnas, aliaque mala exantlanda ferimur, dum majus bonum e labore & patientia nos eſſe aſſequuturos ſperamus. Martyres ipſi ad eximia illa praemia anhelantes, quae Chriſti Athletas in Caelis manent, invicto robore perſtabant in tormentis, vitamque laeti dabant, ut terrena bona cum immenſa Caelorum Beatitudine commutarent, in quam certo & confeſtim ſe invehendos ea ratione norant. Nam, uti ajebat Sanctus Aſterius Amaſenus Epiſcopus circiter

Annum Chriſti CCCCI. Homil. in Sanctos Martyres, *Spes ſpiritualium bonorum, proba admodum fortitudinis ac tolerantiae exſiſtit doctrix: quae nimirum velut idoneum pignus, certaque arrha animis infidens, periculum omne imperculſos jubet aſpicere, ac reipſa ferre ſtrenue. Atque id conſentanea maxime ratione. Sic enim fere hominibus natura comparatum eſt, ut in iis laboribus, quibus nihil praemii propoſitum ſit, molles ac reſoluti efficiamur: eoſque viciſſim vegeti alacreſque adeamus, qui praemia ac honores propoſitos habent. Quamobrem univerſi Martyres, Evangelicae illi ſcripturae animum adhibentes, qua Dominus ſacros pugiles ac Dei amantes hortatur, dicens: Si quis confitebitur me &c. pro ea confeſſione immotis animis acutum ferrum tolerarunt, ac rogos conſcenderunt &c.* Neque tantummodo Bonum ac Praemium majus animis noſtris proponatur oportet, ut pro illo adipiſcendo multa toleremus: ſed etiam neceſſe eſt, ut Praemium illud *proxime* arripiendum ſit. Alioquin quo magis remotum a nobis Bonum aliquod contemplamur, eo plus illud in aeſtimatione noſtra decreſcit, ita ut vel exigua Bona praeſentia videantur nobis majora, quoties cum Bonis, quamvis longe excellentioribus ſed remotiſſimis comparentur. Id quotidie uſuvenire experientia nos docet. Itaque, ſi, uti Burnetus ſibi perſuaſit, & nobis (quod tamen abſit) perſuadere vellet, ne poſt Mille & Septingentos quidem Annos Martyres & Juſti percepere fructum ſuorum laborum; ignotumque omnino ſit, quando beata illa dies exoritura ſit; neque deſit metus, ne plura ac plura adhuc Saecula reſtent: refrigeſcat illico Proborum ardor in arduo Virtutum curriculo, atque aegre mortem quiſque eligat pro Chriſti amore, Virtutiſque cuſtodia, quando Vitam, tam grande Bonum, & praeſens, depoſiturus ſit, aut laborioſe ſit ductaturus, pro Bono tam longe poſito, ac tam ſero e manu Dei recipiendo. En grave alterum abſurdum, quod ſecum trahit inconſulta opinio Burneti. Divinae ſapientiae oeconomiam non videt is per haec ſua commenta everſum iri? Nihil magis optat Deus, quam ut Virtutem complectamur; miſitque idcirco in terras Unigenitum ſuum, ut faceret ſibi Populum ſectatorem bonorum operum. Probe quoque ſciens, animos hominum, a ſe efformatos, non moveri ad magna agendum, niſi exſpectatione Praemii magni, atque imminentis, ſublimia pollicitus eſt, eaque poſt mortem noſtram quin illico praeſtare poſſit Deus, nemo neget. At nunc Burnetus Chriſtiano Populo denuntiat, quae tanta liberalitate nobis promiſſa fuere, minime exſpectanda eſſe poſt mortem, ſed incerto tempore, cujus tam longa

etiam

etiam poſſit eſſe ſeries, ut poſt plurima tantummodo Annorum millia promiſſa ſua Deus exſolvere velit. Quis, amabo, haec audiens, praeſentia Bona, ipſamque Vitam laetus contemnat, ut Bona futurae Vitae tam immani ſpatio remota apprehendat?

Tertio, non tantum Juſtis praemia, ſed & Injuſtis poenas aequus rerum omnium Moderator indixit. Verum ut gratificarentur Iniquorum gregi, prodiere noſtris temporibus Novatores quidam in Britannia bene noti, qui haſce poenas, quanquam *Aeternas* diſertis verbis in Evangelio appellatas, in aeternitatem protrahendas negarunt. Immo inventi ſunt quidam, qui Animas eorundem Improborum, ne diutius in tormentis Inferorum crucientur, in nihilum tandem a Deo redigendas ſtatuerunt. Alia nunc ratione in ſubſidium hominum nequam accurrit Burnetus. Non ſolum is ſupplicia Impiorum apud Inferos *Sempiterna* fore inficiatur pag. 239. ſed etiam majus adhibet ſolatium illorum Animabus, contendens, neminem hactenus in ea ſupplicia deductum fuiſſe, quae toties Deus in diviniis Scripturis fuerat comminatus. Complura jam Annorum Millia abierunt, ex quo Mundum atque humanum genus Creator condidit; & nemo tamen hactenus ſenſit, an urat Ignis Infernus. Fortaſſis etiam multa alia Annorum Millia decurrent, antequam Improborum turba in flammas illas conjiciatur: nam poſtremi tantum Judicii die Inferorum poenalium oſtia aperientur, ſi Burneto credimus. Nollem duris ſuſpicionibus onerare memoriam iſtius hominis; at is plane videatur conjurationem iniiſſe cum Atheis & Improbis, ut ex eorum animis metum divinae Juſtitiae amoveat, aut in ipſis, quanto poſſit conatu, imminuat. Nunc etiamſi Chriſtiana gens Aeternitatem poenae a Deo conſtitutae credat, certumque habeat, mox ut quiſque emigrat ex hac vita odio Dei dignus, in illa tormenta detrudendum; tam multi nihilominus in Vitia & peccata ruunt, & quod pejus eſt, in ipſis torpent atque marceſcunt. Quid vero deinceps exſpectandum foret, ubi in opinionem Burneti miſerrime Britannia concederet? Tam immaniter debilitato terrore alterius vitae, nonne enormem in modum fieri poſſet morum ejus gentis in deterius converſio? Cur innumera illa flagitia, quae in Ethnicis cum Apoſtoli, tum Sancti Patres, olim deprehenderunt (quanquam propiora, quam Burnetus, plerique ex Ethnicis ipſis crederent tormenta Inferorum) non apud Britannos ſenſim ſuccreſcerent, Atheis ac Deiſtis denique Burneto, velut ſuo commilitoni, plaudentibus? Quis haec ferat? A Chriſti ſane dictis, divinoque conſilio iſta abhorrent, qui non minus Juſtos Praemiorum

ſpe. ad Virtutem incitat, quam Injuſtos terrore Gehennae compeſcere cupit. Cur autem non continuo poſt mortem malos Omnipotens puniat, qui jamdiu ait: *Mihi vindicta, & ego retribuam?* Et nonne *horrendum eſt*, ut inquit Apoſtolus ad Hebr. X. 31. *incidere in manus Dei viventis?* Nunquid vires, aut voluntas Deo deſunt ad caſtigandos rebelles ſuos, ita ut eorum ſupplicia in tot Saecula differantur?

Quarto, tantum abeſt ſecundum Burneti ſententiam, ut miſericors Deus Praemia toties promiſſa in Sanctos ſuos ex hac vita decedentes effundat, victoreſque in certamine pro ſe inito coronet, ut eos contra veluti reos puniat. An ego quicquam heic exaggerem, ſapiens Lector mox judicabit. Eorum videlicet Animae Corpore ſolutae, ſi Burneto credimus, in ignotum locum devehuntur, atque Lactantio teſte *in una communique cuſtodia detinentur, donec tempus adveniat, quo maximus Judex meritorum faciat examen.* Ibi vero, uti idem Burnetus eſt opinatus pag. 83. degunt *in ſtatu quietis, ſilentii, & ἀεργασίας* (ideſt nihil operantes) *quoad Mundum externum: quouſque expergiſcentes & evigilantes in Reſurrectione, mutato ſtatu, quaſi excuſſo Somno, in lucem & in Mundum viſibilem reſurgunt.* O vere obdormientem hominem, ſuaque ſomnia placide pro ſolidis rebus venditantem, ſed in gravem Dei, ſanctiſſimaeque Religionis contumeliam! Ergo ſecundum ſomniatoris hujus imaginationes Spiritus Juſtorum ſtatim a morte in carcerem & ergaſtulum quoddam detruduntur, a Caelorum Regno remotiſſimum. Ibi ab origine Mundi poſt tot Annorum Millia detinentur Juſti quilibet: & quanquam Chriſtus Dominus mirabili ſacrificio Crucis Patrem placatum erga genus humanum effecerit, id nihil eis profuit. Immo ne Apoſtoli quidem & Martyres, immenſi illius beneficii hactenus fuere participes. Ipſi quoque in carcerem conjecti; carcer adhuc clauſus egredi cupientibus; clauſae adhuc Caelorum portae, neminique licet illuc inferre pedem. Ergo nondum reconciliatus Pater; ergo nullus adhuc Redemtionis fructus, quum & poſt perſolutum a divino Salvatore pretium, melius nunc non habeant Animae Juſtorum, quam ante adventum miſericordis Filii Dei. Ergo exinanitur Incarnatio Filii Dei; exinanitur Crux; & fruſtra Paulus tot ac tanta ad Romanos ſcripſerit de magnificentia meritorum, & gratiae Chriſti in novo Foedere, praecipue quum ait: *Non ſicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui ſunt: multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti.* Et nos *gloriamur in ſpe Gloriae filiorum Dei.* Fruſtra quoque is nobis conſolationem adhibet, inquiens:

inquiens: *Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem: finem vero Vitam Aeternam.* Haec sunt consectaria, & quidem, ni fallor, blasphema Burnetanae opinionis. Quod plus est, Justorum omnium, & vel ipsorum Apostolorum ac Martyrum Spiritus in carcere illo, in otio ignobili, in quadam torporis specie, omniumque, quae gesta sunt in Mundo, obliti, longe a praesentia & conspectu Dei, a tot Saeculis vivunt, & Burneto jubente victuri sunt usque ad extremum Christi Judicium. Haeccine Beatitas illa, quam toties, tantoque apparatu ante oculos Fidelium suorum proposuit Dominus, ut ad arduum Virtutis agonem unumquenque solicitaret? Immo illos in miserum statum conjectos, & reorum ad instar ab Aula eliminatos, & in exsilium actos, atque ibi infelici vitae conditione maceratos fateri cogimur. Nam quantumlibet aerumnis, vanitate aliisque incommodis terrena haec vita abundet: quis tamen nostrum lubens hanc ipsam mansionem desereret, in qua mille objecta nos delectant, in qua operamur, soliciti quotidie, ut commoda & gaudia uberiora nobis accedant, ubi commutaturus eam foret cum infelici illa quiete, atque inactuosa mansione, in quam Burnetus Proborum Animas hinc abeuntes compellit? Quod si aliquis reponat, Animabus iis in solatium converti spem ac memoriam Beatitudinis futurae, de qua certae jam sunt: experientiam heic omnium testem provoco, an non potius excogitandum & dicendum sit, Beatitatis ipsius memoriam in immodicum vergere cruciatum Spirituum, carcerem illum inhabitantium. Rectissime Salomon jamdiu ajebat Proverb. XIII. 12. *Spes, quae differtur, Affligit Animam*, sive *spes protracta, est languor & aegritudo cordis.* Quum quis innocens in carcere detinetur, spe sibi ingesta libertatis quamprimum recipiendae reficitur. At ubi Menses plures abeunt, neque optata illa dies unquam emergit, inquietus evadat animus, necesse est, & spes in impatientiam transeat. Hercle si unum Annum in carcere inclusus, & solus egisset Burnetus, nunquam illi in mentem venisset, pari poena damnare Justos perfectos post mortem. At quid dixi, pari poena? Si Anni, immo centena, immo millia aliquot Annorum fluant, atque in carcere clausus, nondum libertati sit restitutus, spe abeunte desperatio & immanis tristitia succedat oportet. Neque aliud de Justorum statu in absurdissima Burneti opinione excogitandum est. Nihil plus sitiunt vere Deum amantes Animae, vel quum in hac vita versantur, quam Deum suum, summum videlicet Bonum assequi, eumque posse intueri, ejusque beato con-

conſpectu potiri, intra ſe cum Apoſtolo gementes & exſpectantes adoptionem filiorum Dei: *Deſiderantibus*, ut inquit Comicus, *inviſa eſt quaevis mora:* tormentum eſt quaelibet procraſtinatio. Qui ſitit, & fontem paratum de longe conſpicit, at potare diu nequit, non ſpe oblectatur, ſed deſiderio cruciatur, & fatigata exſpectatione enecatur. Ergo intelligas, quanta poena torquerentur Juſti, ſi aucto in morte hoc deſiderio, & tunc invaleſcente adeo dulci ſpe, optata nihilominus Beatitate fraudarentur; & quouſque eorum moeſtitia & dolor procederet; ſi poſt diutinum aliquot Saeculorum deſiderium ac ſpem noſſent ſibi exſpectandum illud adhuc eſſe, quod tantopere cupiunt, aliquot inſuper Annorum Millia. Heu informem atque abominandam Burneti ſententiam, quae Deum, Patrem noſtrum amantiſſimum, veluti ſui, ſuorumque promiſſorum oblitum exhibet! Num adeo bonum ac miſeratorem Deum decere unquam putes, poſt abſolutum certamen, ad quod ille nos tam anxie ſolicitat, Coronam denegare, Praemiumque in enorme temporis ſpatium protrahere, fatigando interea & excruciando (& quidem ſine ullo meriti augmento, nam id ſolum in hac vita ſperandum eſt) filiorum ſuorum ſpem atque exſpectationem? Ne in hominibus quidem ferendum id foret. Proinde incredibilia, injurioſa Deo, nobis propinat Burnetus; & quod magis intolerandum eſt, is alibi, ut Improbis faveat, ultra omnem menſuram miſericordiam Deo tribuit; ipſum vero non veretur immiſericordem praeſtare erga amicos & filios ſuos. Profecto qui haec temere ſcribit, ignorat, quid ſit poena damni, quid abeſſe ab adſpectu Dei: quod omnium maximum ſupplicium in Inferis futurum eſt, neque Juſtis in ſomniato loco aliquo a Caelis remoto concluſis ſupplicium eſſe defineret, etiamſi aliquando deſiturum id eſſe ſtatuas. At quoniam non ſemel Burnetus nomen *Somni*, & *Dormientium* nobis ingerit: nunc monendus eſt Lector, referri iſta non ad Animas a Corpore avulſas, ſed ad Corpora ipſa, quae nunc dormiunt, in ſupremo tantum excitanda Judicio. Audi Sanctum Paulinum Epiſcopum Nolanum, qui Anno Ch. 406. Natalem XIII. Sancti Felicis (e tenebris per me eductum, publicique juris factum Tom. I. Anecdot. Latin.) recitans, in haec verba loquitur:

*Et dignum retinere ſuae pia Carnis honorem*
*Oſſa, quibus Sanctus numquam deſiſtit adeſſe*
*Spiritus: unde piis ſtat gratia viva Sepulcris,*
*Quae probet in Chriſto functos ſine morte ſepultos,*
*Ad tempus placido SOPIRI CORPORA SOMNO.*

Propterea ſicut in Symbolo dicimus de Chriſto Domino: *Mortuus & Sepultus eſt*, utique Corpore, non Anima: ita & de Fidelibus vita functis dicimus: *Dormiunt in Somno Pacis*, ideſt Corpore, non autem Anima.

## CAPUT VICESIMUMSEPTIMUM.

*Improbandum Burneti conſilium in hujuſmodi quaeſtione pertractanda. Quae ab eo divinae Scripturae loca pro ſe adducuntur, nihil Romanae Eccleſiae hac de re Dogmati adverſantur.*

NEMO ergo, niſi deſipiat, nequit quin agnoſcat, ſumme laudabile, Deoque dignum, noſtriſque Animabus utile, Eccleſiae Romanae dogma de Beatitate Sanctorum. Contra hactenus vidimus, quam gravibus abſurdis laboret, atque adeo quam pernicioſa ſit, ac minime ferenda Burneti opinio. Verum is, niſi jam ante Chriſtum Judicem ſtetiſſet, fortaſſe reponere nunc poſſet, ſe ſtudio Veritatis ductum, adverſatum fuiſſe communi huic Chriſtianae gentis ſententiae. Immo is Cap. I. Operis, ſe ipſius *Veritatis amore flagrantem* in hac ipſa controverſia jactitavit. Namque ubi decreverit Deus, idque ex divinis Libris eluceat, in fine duntaxat Mundi futura eſſe Praemia Juſtorum, frontem demittere opus eſt; & non quod nos volumus, aut aequum magiſve congruum nobis videtur, ſed quod ille voluit atque decrevit, credendum eſt. Pulcra ſane verba, venuſta hercle excuſatio, quam tamen in promtu ſemper habeat quiſque Novator. In cenſum autem Novatorum, atque illorum, qui appellantur *free Thinkers*, immo & inter Viſionarios Thomam Burnetum jamdiu retulere ſapientes Britanni, ex quo is in *Theoria telluris*, *in Archaeologiis Philoſophicis*, atque in *Tractatu de Fide*, *& officiis Chriſtianorum*, qualis foret ingenii ſui modulus notum univerſitati Literatorum fecit. At infelicem Veritatis ſortem! quam ſe deperire vel ii maxime profitentur, qui ab ipſa longius recedunt: quod ubique dolendum eſt, ſed praeſertim in Religionis negotio. Hanc Athei ſupra alios ſe attigiſſe ſibi blandiuntur, ridentque aut miſerentur veluti illuſas aliorum mentes. Neque perſpiciunt, id unum ſe quaerere, ut nullum ſit exinde fraenum affectibus ac moribus ſuis, ſeque univerſi generis humani

mani teterrimos hoſtes evaſiſſe. Alii Glorioſae amore ſuccenſi, hujus conſequendae ſpem collocant aut in novis erroribus cudendis, aut in antiquorum ſomniis ex oblivionis antro revocandis, nihil penſi habentes, an iſta in ſacrarum Literarum dedecus, aut in perniciem Religionis & Reipublicae vergant. Loco Veritatis eſt illis amor Novitatis. Atque utinam non ejuſmodi morbo laboraſſet Burnetus, neque ei verum id tantummodo fuiſſet viſum, quod quanquam peregrinum, & ipſius Anglicanae Eccleſiae placitis repugnans, conciliaturum famam ſibi non vulgaris ingenii ſperabatur. Ita fit, ut infelicius in dies gens illa ſentiat, quam pernicioſos fructus pariat, excuſſiſſe auctoritatem Eccleſiae a Deo ſtabilitam, ac methodum contemſiſſe ab Apoſtolis praeſcriptam conſervandae apud Chriſtianos a Deo traditae doctrinae, dum quiſque pro lubito divinos Libros interpretatur, nulliſque amplius habenis indomita ſua ingenia patitur regi. Sed nihil minus, quam Veritas, cordi fuiſſe Burneto, facile Lector deprehendet. Ille quidem nonnulla ſacrarum Literarum loca in ſuam opinionem derivat: aliquot etiam e Sanctis Patribus pro ſe laudat: tum quaſi re confecta ſibimet ipſi ovationem atque triumphum decernit. At iſtud quid aliud eſt, niſi agyrtam atque impoſtorem agere? quid aliud, niſi incautum Lectorem fallere conſulto velle, qui arbitratus, in Burneti Libro quaeſtionis hujus momenta quaelibet ſe accepiſſe, nihil ultra quaerit, atque in ejus fide & eruditione conquieſcit? Si Veritatis reipſa amator fuiſſet hic Scriptor, pari utique diligentia inveſtigaſſet, pari ſinceritate expoſuiſſet contrariae ſententiae vires atque argumenta, neque illa paene cuncta diſſimulatione inhoneſta omnium oculis ſubduxiſſet. Alioqui, ſi haec certandi ratio excuſanda foret, vix ullum eſt e ſacratioribus Religionis Chriſtianae dogmatis, ab Anglicana ipſa Eccleſia receptis, quod aliquibus Scripturae verbis productis, nonnullis etiam locis ex Libris Patrum excerptis, impugnare ſycophanta aliquis non poſſit; ac diſſimulatis, quae contra faciunt, imperito popello perſuadere, Veritatem in ſuis tantum caſtris militare. Itaque nos, ſinceriori methodo procedentes, epilogum heic exhibeamus eorum, quae hactenus in controverſiam iſtam congeſſimus. Et primo recolenda eſt regula, quam quiſque pius & ſapiens divinarum Scripturarum Interpres prae oculis ſemper eſt habiturus: ſubmittendam nempe eſſe Rationem noſtram Revelationi, ubi clara atque aperta eſt mens Dei revelantis in Libris divinitus ſcriptis. Quoties vero contra evidens Rationis lumen Scripturae ſacrae verba pugnare videntur, aut inde

gravia

gravia abſurda conſequi animadvertimus; tunc Traditione Patrum explorata, adhibitiſque in conſilium Majoribus noſtris, interpretationi honeſtae locus eſt quaerendus: quod potiſſimum praeſtare conſueverunt Theologi, quum ſacris in Libris tropi, verba translata, allegorica dicta occurrunt, & ſpiritalia per ſenſibilia explicantur. Eoque magis in eam ſententiam inclinandum ſemper eſt, quae abſurda evitet, & conſona judicetur naturae, bonitati, aequitati, aliiſque perfectiſſimis Dei attributis, quoties id faciendum ſuadeant alia Scripturarum loca, atque ab interpretatione iſta Majorum Traditio minime diſſentiat. Jam quot abſurdis abundet Burneti opinio, nuper vidimus; nemo vero inficias eat, quin Catholicae Eccleſiae ſententia hac in re illa ſit, quam amplecti nos doceat, immo cogat Religionis oeconomia, & benefica Dei natura atque voluntas, niſi evidens Scripturae ſermo adverſetur. Atqui nihil Burnetus, aliive in hoc argumento verſati, quicquam adferre hactenus potuerunt aut poſſunt, unde liqueat, tum ſolum Beatitudinem Sanctorum inchoandam eſſe, quum Mundi hujus advenerit finis. In Evangelio quidem, atque in Apoſtolorum literis, crebra fit mentio, veluti magni muneris, Reſurrectionis Carnis, & redemtionis Corporis noſtri, incorruptionis tunc conſequendae; at nuſquam ibi negatur, quin ante illud tempus Juſtorum Animabus purgatis deferenda ſit Beatitudo Caeleſtis. Sub nomine *Vitae Aeternae* Beatitudo iſta deſignatur. Apoſtolus autem ad Roman. VI. 22. probos Chriſti Fideles habere nunc *fructum in ſanctificationem*, *finem vero Vitam Aeternam*, quum nempe hinc ſoluti ad Chriſtum abibunt. Complementum vero & perfectio Beatitudinis tunc erit, quum rediviva Caro transferetur & ipſa in gloriam. Proinde Dominus noſter Joann. VI. 47. ajebat: *Qui credit in me, habet Vitam Aeternam;* & infra: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet Vitam Aeternam; & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Tam certos nos facit Chriſtus de Beatitudine futura, ut, quaſi haec ſit jam inchoata, inquiat *Habet:* indicaturus poſtea abſolutum Vitae hujus Aeternae ſtatum futurum, ſubdit; *Et Reſuſcitabo.* Prius habet homo Juſtus Vitam Aeternam Animae, hoc eſt Beatitudinem; deinde Corporis quoque Beatitudine donabitur. Quaecunque autem ſacrarum Literarum loca proferuntur a Burneto, juſta interpretatione componuntur cum ſententia noſtra, quam recta Ratio & Religio praeferendam omnino ſuadent. Eadem loca raptim rurſus percurramus.

Inquit Sanctus Joannes in Epiſtol. I. Cap. III. 2. *Nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam quum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia Videbimus Eum, Sicuti Eſt.* At ſupra oſtendimus, & rurſus infra oſtendemus, non ſolum in fine Mundi venturum, atque appariturum eſſe Dominum, ſed etiam illum ad mortem uniuſcujuſque Fidelis venire, atque apparere, ut Judicium de illius Anima inſtituat. Apoſtolum laudat Burnetus ſcribentem Rom. VIII. 19. & 23. *Exſpectatio creaturae Revelationem filiorum Dei exſpectat. Ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exſpectantes, redemtionem corporis noſtri.* Supra vero animadvertimus, non fruſtra in divinis Libris, ubi de ſupremo Judicio agitur, tam ſaepe dici, nos *Revelari*, nos *Manifeſtari*, quia in ſolemni Judicio illo manifeſtum fiet, quale fuerit peculiare & occultum Judicium Animarum, per quod aut ad praemium, aut ad poenam deductae antea fuerant. Utique vero & nos exſpectamus *adoptionem filiorum Dei*, quam Anima hinc abiens, & nihil amplius reatus luendum habens, apud miſericordem Deum conſequitur in Caelo. Nihil enim obſtat, cur Caelum jam ſanguine Chriſti recluſum non ingrediantur, & non impleantur tot magnifica Dei promiſſa, qui ſupra meritum noſtrum paratus eſt ad remunerandos famulos ſuos ſibi fidos. Exſpectamus etiam Reſurrectionem, quia tunc totus homo coronabitur, & Juſtorum gloria augenda eſt. Inquit etiam Paulus ad Coloſſenſ. III. 4. *Quum Chriſtus apparuerit, vita veſtra: tunc & vos apparebitis cum ipſo in Gloria.* Haec de adventu poſtremo Filii Dei, quae nihil ad rem faciunt. Nam uti certum eſt, tunc minime inchoandam Gloriam Chriſti, ita nihil impedit, quominus Juſtorum quoque Gloria fuerit jamdiu ante inchoata. Tunc tam Chriſtus quam Juſti apparebunt, ut eorum Gloria coram univerſo genere hominum, & praecipue coram Improbis, reveletur. Vide Sapientiam Cap. III. & duobus ſubſequentibus. Petrus praeterea in Epiſtol. I. Cap. V. 4. ait: *Quum apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſcibilem Gloriae Coronam.* At ipſe apparebit etiam ad mortem ſingulorum Fidelium. Praeterea idem Petrus paullo antea ſcripſerat, ſe *participem futurum Gloriae, quae in futuro Revelanda eſt*, ideſt in poſtremo Chriſti Adventu, ac propterea non tunc exordium habiturae, ſed confirmandae in conſpectu totius humani generis. Producitur etiam a Burneto Apoſtolus ſecunda ad Thimoth. I. 12. *Scio, cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem juſtus Judex. Depoſiti* voce *Animam* ſignificari putat Burnetus; ſed diſſimulat, quot interpretationibus obnoxium ſit

voca-

vocabulum παρακαταθήκη, ſive *Depoſitum*, tum apud veteres, tum apud recentiores. Eoque magis, quia pone ſequuntur haec alia: *Bonum Depoſitum cuſtodi*. Vide Svicerum in Theſauro Eccleſiaſtico, atque Eſtium in Comment. ad Sacram Scripturam. Addit ibidem Paulus Cap. IV. *6. Ego enim jam delibor, & tempus Reſolutionis meae inſtat. Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita mihi eſt Corona juſtitiae, quam reddet mihi Dominus in illa Die juſtus Judex.* De Corona in poſtremo tantum Judicio ſperanda heic agi Burnetus cenſet. Nos vero longe aequius contendimus, ſignificari heic ab Apoſtolo Coronam, ſtatim poſt mortem reddendam. Nam *illa Dies* refertur ad *Reſolutionem*, ideſt ad ſeparationem Animae a Corpore. Habes heic *Diem Reſolutionis*, quam ſubſequitur Corona Juſtitiae. Alibi habes *Diem Diſſolutionis*, quam ſtatim ſequitur *Eſſe Cum Chriſto*: uti & *peregrinari a Corpore*, ſive Mori, cujus peregrinationis finem illico excipit *Praeſentes Eſſe Ad Dominum*. Quid igitur ultra de mente Apoſtoli dubitandum eſt? Et potiſſimum quia vitam ille ſuam e publicis ludis ſive certaminibus antiquorum metitur, in quibus notiſſimum erat, victori ſine mora delatam fuiſſe Coronam atque Bravium, non vero poſt aliquot annorum millia, uti vellet Burnetus. Propterea incaſſum ille ſubſequentia ejuſdem Pauli verba laudat: *Liberavit me Dominus ab omni opere malo, & ſalvum faciet in Regnum ſuum Caeleſte*. Iſta rectius nobis, immo nobis tantum, militant; atque in evidentiam noſtri dogmatis tranſeunt, ſi cum iis jungantur Apoſtoli ejuſdem verba, cupientis *diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*, quae toties memoravimus. Locum quoque Pauli ſecunda ad Theſſalonicenſ. I. 7. innuit Burnetus, ubi ait: *Et vobis, qui tribulamini, Requiem nobiſcum in Revelatione Domini Jeſu, de Caelo cum Angelis virtutis ejus &c. quum venerit glorificari in Sanctis ſuis &c.* At reſpondeat Burnetus Hammondo & aliis, qui locum hunc, aliaque ſimilia de vindicta & retributione propediem facienda, pertinere cenſent ad excidium Regni Judaici, quod Dominus Matth. XXIV. & alibi jam imminere praenuntiavit, quanquam tam horrendae Tragoediae diem occultum ſemper voluerit Apoſtolis ſuis. Proinde Hammondus idem haec alia Chriſti verba Matth. XVI. 27. *Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis; & tunc reddet unicuique juxta opera ſua. Amen dico vobis, ſunt quidam de heic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in Regno ſuo:* ad ipſam deſolationem Hieroſolymae refert, quae ſane peracta fuit, viventibus

adhuc nonnullis ex Apoſtolis & diſcipulis Domini. Atque id accurate animadvertendum. Neque enim ſemper de ſupremo Mundi totius Judicio loquitur venturi praeſcius Salvator, ſed etiam aliquando de peculiari illo Judaicae gentis Judicio, in quo *redditurus erat unicuique juxta opera ſua*, ut intelligamus, cur Paulus atque alii Apoſtoli perſuaſum haberent fieri potuiſſe, ut everſio Hieroſolymae, vel dum ipſi viverent, complenda foret. Et tunc quidem bonis ac tribulatis pro Chriſto, *Requiem* nuper vidimus Secunda ad Theſſalonicenſ. I. 7. promiſſam. Nam ſi iis, ad quos Epiſtola haec ſcripta fuit, exſpectanda fuiſſet *Requies* in fine Mundi, non conſolationem, ſed deſperationem ingeſſiſſet Apoſtolus. Quid vero foret ejuſmodi Requies, indicatum in eodem loco videas, dicente Paulo: *In exemplum juſti Judicii Dei, ut digni habeamini in Regno Dei, pro quo & patimini*.

Pergit Burnetus laudare loca alia Apoſtoli Prima ad Theſſalonicenſ. IV. 13. & 14. & Prima ad Corinth. XV. 30. ubi, ſi ei fides, Sanctus Paulus *ita argumentari videtur, ac ſi tota ſpes noſtra penderet a Reſurrectione*. Egregie ille, quum inquit *videtur*: nam revera non inde conſequitur, quod ipſius Burneti menti obverſatur. Non ſemel dixi, apud primos Chriſti Fideles ſummo in honore fuiſſe Reſurrectionem Corporum, tum quod ſperarent crederentque, Corpus ipſum, pro digno famulatu praeſtito Spiritui, remunerandum a Deo; tum quod per Corporum anaſtaſin certa reddebatur Immortalitas Animae. Firmiſſimum vero Reſurrectionis noſtrae argumentum deſumebant e glorioſa Reſurrectione Chriſti, ac propterea Reſurrectionis Dominicae feſtus dies prae ceteris erat ſacer atque feſtivus; eaque de cauſſa toties Apoſtoli mentionem Reſurrectionis inculcabant, ne quis Animam in morte perire ſuſpicaretur, aut nimium de dormientibus contriſtarentur, ſicut ceteri, qui ſpem non habent. Hoc omnium maximum erat Chriſtianae gentis ſolatium; atque hoc in primis oſtendendum & credendum fuit, uti primum ac neceſſarium principium futurae Vitae. Quod ſi Anima poſt reſolutionem Corporis degebat: alicubi eam detineri intermedio tempore conſequens erat. Ex aliis vero documentis Evangelii & Apoſtolorum norant Fideles, ipſam e Mundo migrantem in loca ineffabilis gaudii, aut poenarum transferri. Norant etiam, incertam, ignotamque nobis eſſe ſortem noſtram in altera Vita: pendere tamen hanc a nobis, prout fideliter cooperamur cum Gratia Dei, aut infideles ab ipſa deficimus, ſectaturi legem carnis repugnantem legi mentis noſtrae. Quare nihil exſculpat Burnetus e crebra Reſurrectionis mentione in Apoſtoli literis

teris ad quaeſtionem, quam prae manibus habemus. Praeterea Sanctus Paulus ad Romanos VIII. 18. inquit: *Exiſtimo enim, quod non ſunt condignae paſſiones hujus temporis ad futuram Gloriam, quae Revelabitur in nobis.* Heic Burnetus: *Quando vero*, ait, *revelabitur? ſtatim a morte? minime, ſed cum redemtione Corporis noſtri.* Utique tunc *Revelabitur*, ſed quae ante praeceſſerat. Haec enim eſt vis verbi illius. Et profecto ibi Corinthios ſolatur Paulus expectatione Gloriae cito conſequendae, ad quam nos omnes anhelamus, & *intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exſpectantes*, & ſperantes *libertatem Gloriae filiorum Dei, quum creatura liberabitur a ſervitute corruptionis:* quod contingit, quoties Proborum Anima liberatur corpore mortis hujus. Quos enim, quaeſo, animos feciſſet Corinthiis Apoſtolus, ſi eis dixiſſet, uti ſibi fingit Burnetus: *Si ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, Deique filii eritis. Si autem filii, & heredes, coheredes autem Chriſti; ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur?* Atqui ſcitote exſpectationem gemitusque noſtros, ne poſt mortem quidem deſituros. Sed multa fortaſſis Annorum Millia exſpectanda nobis eſſe, antequam Praemium adveniat: incertum quippe eſt, quando noviſſimum rerum humanarum finis aderit. Ergo hilares in agone procedite. Et quis, hiſce poſitis, *nos ſeparabit a caritate Chriſti? an tribulatio? &c.* Profecto ademiſſet Corinthiis, non addidiſſet animos hiſce verbis, & hacce doctrina Paulus, qui tamen prorſus alienum ab ejuſmodi ſententia ſe prodit, dum ait: *Nam quos praeſcivit & praedeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, hos & Juſtificavit: quos autem Juſtificavit, illos & Glorificavit.* Jam Glorificatio in multis Fidelibus praeceſſerat; aut ſi de Glorificatione futura loquitur, Paulus, adeo vicinam ille intuetur, ut quaſi completa dici poſſe ſibi videatur. Et quum ait, *praedeſtinavit nos conformes fieri imaginis Filii ſui; ſi tamen compatimur, ut & glorificemur;* immo quum ipſe Dominus Luc. XXIV. 26. praedixerit: *Oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in Gloriam ſuam:* quomodo conformes in ſocietate paſſionum Fideles cum ſuo capite, tam deformes poſtea in exitu excogitemus, ut quo Caput ipſum intravit, nemo adhuc poſt tot Saecula introierit; & paſſione peracta, abſolutoque certamine, nemo hactenus coronam acceperit, nemo conglorificatus, immo pro Gloria in ignobilem Somni ſpeciem, atque *Inactionem* conjectus fuerit? Ad haec Burnetus pag. 132. in aliam rem producit Sancti Pauli verba ad Coloſſenſ. III. 3. *Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Quum autem Chriſtus, vita noſtra, Manifeſtabitur, tum & vos cum*

*eo Manifeſtabimini cum ipſo in Gloria.* Sed & iſta in ſententiam noſtram recte cadunt. Hoc eſt, licet vita veſtra Spiritalis, qua vitiis mortui eſtis, & vita Caeleſtis, ad quam hinc emigrantes evehimini, ſit, ac futura ſit diu ignota mortalium oculis; quippe abſcondita in ſinu Dei, ubi Chriſtus eſt: attamen veniet dies, quum Chriſtus vita veſtra ſe Mundo manifeſtabit in gloria, & tunc gloria veſtra atque immenſa Felicitas *Manifeſtabitur* coram univerſorum hominum coetu. Profertur & ab eodem alter Apoſtoli locus ad Philippenſ. III. 20. *E Caelo Salvatorem exſpectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtrae &c.* Sed quae praecedunt, addenda erant, nempe: *Multi enim ambulant, quos ſaepe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos Crucis Chriſti, quorum finis interitus. Noſtra autem Converſatio in Caelis eſt, unde etiam Salvatorem exſpectamus &c.* In Graeco textu eſt Πολίτευμα, quod Vulgatus Interpres reddit *Converſatio:* veteres non pauci *Municipatus.* De hoc Municipatu vide infra Cap. XXIX. locum Hieronymi. Senſus ergo eſt: Abundant inimici Crucis, ventri tantum dediti, terrena tantum quaerentes, quos manet perditio aeterna poſt mortem. At nos peregrinorum more Caeleſtia tantum cogitamus; & nunc animo ſumus, re autem hinc migrantes, in Caelo, Patria, ac Municipatu noſtro erimus; ex quo Caelo praeterea (illud *Etiam* non fruſtra additum fuit) exſpectamus Salvatorem noſtrum, qui vile Corpus noſtrum vita, claritate, atque immortalitate donabit. *Non* enim, ut alibi idem divinus Scriptor ait, *habemus haeic Civitatem manentem, ſed futuram inquirimus.* Et ipſe in hac ipſa Epiſtola antea dixerat, ſe urgeri deſiderio *diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Et in hoc ipſo Cap. III. 13. metaphora deſumta e currentibus in ſtadio, ut Bravium, ideſt praemium certaminis acquirant, ait: *Quae retro ſunt obliviſcens, ad ea, quae ſunt priora* (ideſt Caeleſtia ante me poſita) *extendens me ipſum, ad deſtinatum perſequor* (hoc eſt ſcopum ſemper prae oculis habens feſtino) *Bravium ſupernae vocationis Dei in Chriſto Jeſu.* Heu miſerum Paulum, ſi quis Burneti ſomniis credit, exclamet! quantum te tua ſpes fefellit! jam mille & ſeptingenti anni abiere, & *Bravium* ſive Praemium certantibus propoſitum, ad quod tanto ardore currebas, & quod Victoribus differri minime conſuevit, nondum es aſſequutus! Sed non miſer, ſed non deceptus, ſed ſine fine Beatus poſt mortem ſuam Paulus jamdiu in Caelo eſſe coepit. Burnetus quidem ſua opinione deceptus. Neminem vero noſtrum ab ejus ſomniis deceptum iri confido.

Porro

Porro laudat Novator iſte illum quoque Apoſtoli locum Secunda Corinth. IV. 17. *Id enim, quod in praeſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtrae, ſupra modum in ſublimitate aeternum Gloriae pondus operatur in nobis:* quaſi iſtud *aeternum Gloriae pondus* referendum ſit ad Reſurrectionis diem. Quod nos negamus, immo contrarium inde eliciendum dicimus. Nam Apoſtolus, Fideles ad recte operandum, intuitu quoque praemii *immenſi* atque *aeterni* a Deo promiſſi incitans, praecipue urget comparationem inter breve tempus laborum hujus vitae, & perpetuo duraturum praemium vitae alterius. Si aut ſtatim, aut brevi poſt mortem accipiendum hoc praemium non credebatur, & ad extremi Judicii diem differenda erat ſpes Gloriae: comparationi illi parum aut nihil roboris fuiſſet, eamque fortaſſis increduli riſiſſent. Ut quid, dixiſſent, ſemper duraturam Gloriam nobis tanta patientibus inculcas, quum ne tu quidem noris, quando ea ſit inchoanda, & multa fortaſſis Annorum Millia ſuperſunt, ſine gloria illa, ſine praemio ullo tranſigenda? Habe tibi tuam Gloriam, quae tam enormi mora emenda eſt, ſuumque caput in tanta incertitudine temporis abſcondit. Proinde aequum eſt credere, ideo ſpe *aeterni* Premii animatos fuiſſe Fideles, quod brevi in illius poſſeſſionem immittendos ſe ſcirent: quod revera alibi Apoſtolus tradit. Exeruit praeterea idem Scriptos Britannus hanc in rem celeberrima Salvatoris verba Matth. XXV. 34. in ſupremo Judicio ad Juſtos dicenda: *Venite benedicti Patris mei. Poſſidete paratum vobis Regnum a conſtitutione Mundi;* quibus, ut alibi monui, Millenarii Regni ſuper terram error, quem reſtituendum viſionarius ille Auctor ſperavit, prorſus confoditur. Ceterum etſi de Regno loqui heic videatur Dominus, quaſi tunc inchoanda ſit illius poſſeſſio, monendus Lector eſt, nihil textum illum adverſari jam inchoatae Juſtorum Beatitati. In Graeco eſt κληρονομήσατε, ideſt, *titulo proprietario*, ſive *mancipii*, *poſſidete*. In domo quoque terreni Patris ſunt filii, atque illius bonis fruuntur, donec tempus adveniat, quo Uſus in Proprietatem convertantur. Porro ita evenire de Sanctis, evidenter colligimus ex Apocalypſi Sancti Joannis XX. 4. ubi haec verba: *Et vidi Animas decollatorum propter teſtimonium Jeſu, & propter verbum Dei, & qui non adoraverunt beſtiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus, aut in manibus ſuis; & vixerunt, & Regnaverunt cum Chriſto mille Annis.* Apertiſſime vero poſt illos mille Annos, ideſt completo tempore Legis Evangelicae, extremum Judicium adventurum ait Sanctus idem Apoſtolus, in quo

coram

coram impiis omnibus, incredulis & improbis revelabitur Gloria Sanctorum, quibus jamdiu miniſtratus fuerat *introitus in aeternum Regnum Domini noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti*, ut utar verbis Sancti Petri in Secunda Epiſtola I. 11. Quapropter nullum Burnetus, aut quiſquam alius, producere locum potuit, neque poterit e penu divinorum Librorum, quo Beatitas Sanctorum negetur, antequam mortui audiant vocem Filii Dei. Contra vero tot nobis documenta ſuppeditantur ab eiſdem ſacris voluminibus, ut Beatitudinem iſtam fateri cogamur jam inchoatam, neque differendam ad diem, fortaſſe remotiſſimum, conſummationis Saeculi.

## CAPUT VICESIMUMOCTAVUM.

*Egregiis ſacrarum Literarum locis confirmata Catholicorum ſententia. Simeonis Junioris, cognomento Theologi, nobilis pro illa atteſtatio. De ſtatu Juſtorum poſt mortem nemo deteſtabilius loquutus, quam Burnetus. Gregorii Magni, Thomae Aquinatis, Philippi Solitarii, luculenta pro Sanctorum Beatitate teſtimonia.*

CLARISSIMA, ajebam, Scripturae loca praeſto ſunt nobis, in queis, niſi oculos claudere velimus, expreſſam legimus Felicitatem ſummam Sanctis, ceteriſque nihil reatus luendum habentibus, ineundam ſine mora poſt mortem. Id genus primo ſunt, quae ex Apoſtoli Secunda ad Corinth. V. 6. toties commemorata nobis fuerunt: *Dum ſumus in Corpore, peregrinamur a Domino* (ideſt abſumus a praeſentia Domini). *Per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem*, (hoc eſt credimus quidem & ſcimus, Dominum vivere, & regnare ad dexteram Dei Patris ſui in gloria; ſed eum, dum heic ſumus, intueri facie ad faciem nequimus). *Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & praeſentes eſſe ad Dominum.* Ideſt e rebus humanis abire cupimus, ut Anima ſoluta vinculis hujus Corporis evolet ad Dominum, eumque contemplari, ejuſque beatiſſimo adſpectu frui libere confeſtim poſſit. Haec verba caute, ideſt ſubdole, diſſimulavit Burnetus. At ea nobis firmiſſimum atque ineluctabile argumentum praebent, ut certa credatur Romanae Eccleſiae ſententia: quippe in iis nemo non videt apertiſſime promiſſam Juſtis perfectis

ſtatim

ſtatim a morte, ac ſine Corporis contubernio: Gloriam & Viſionem Dei. Falli heic non poſſumus. Idcirco rectiſſime Sanctus Thomas Aquinas in Opuſcul. II. contra Graecos Cap. 9. hiſce laudatis ajebat: *Patet ergo, quod Sanctorum Animae, a Corporibus abſolutae, ad Caeleſtem habitationem perveniunt, Deum Videntes. Non ergo Sanctarum Animarum differtur Gloria, quae in Dei Viſione conſiſtit, uſque ad diem Judicii, quo Corpora reſument. Hoc etiam apparet per dictum Apoſtoli ad Philippenſ. I. 23. ubi dicit: Deſiderium habens diſſolvi, & Eſſe cum Chriſto. Vanum enim hoc deſiderium eſſet, ſi, Corpore diſſoluto, adhuc Paulus cum Chriſto non eſſet, quem tamen conſtat eſſe in Caelo.* Idem eſt *Eſſe Cum Chriſto, & Praeſens Eſſe Ad Dominum:* idem quoque *Praeſens Eſſe Ad Dominum*, ac participem fieri Caeleſtis Beatitatis. Nam uti praeter alios Sanctos animadvertit Gregorius Magnus Papa Lib. IV. Cap. 25. Dialogorum: *Qui Chriſtum in Caelo eſſe non dubitat, nec Pauli Animam eſſe in Caelo negat.* Apoſtolus ad Philippenſ. II. 11. ait: *Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in Gloria eſt Dei Patris.* Novit ne, an negat adeo certam veritatem Burnetus? Porro digna neutiquam ſunt, quae commemorentur, excogitata ab ipſo ad eludendam Apoſtoli mentem perſpicuam. Nam is revera ſibi objecit, ſed fruſtra diſſolvere conatus eſt, illud *Diſſolvi, & Eſſe cum Chriſto.* Idcirco apud primos Chriſti Fideles, eorumque ſucceſſores invaluit formula *Migrare ad Dominum*, quum quis e Juſtis ex hac vita decedebat, hoc eſt plena vox gaudii, quum certa ſpes haberetur de illius tranſitu ex aerumnis hujus Saeculi in Caelum ad ſocietatem Gloriae cum Chriſto. Atque heic moleſtum Lectori non fuerit audire, quid ſcripſerit *Simeon junior*, cognomento *Theologus*, Abbas ſeu Presbyter C Politanus, & Scriptor magno in honore habitus apud Graecos. Lubentius autem Graecos Auctores, dimiſſis tot Latinis, quos commemorare poteram, ad controverſiam iſtam accerſo, quod poſtremis Saeculis aliquot ex iis declinaſſe vidimus hac in re a doctrina ſuorum Majorum. Floruit Simeon, ſi Caveo & aliis fides, Anno Chriſti MLI. Clariſſimus P. Montfauconius in Bibliotheca Coisliniana pag. 410. eum vixiſſe tradit *tempore Baſilii & Conſtantini Porphyrogenitorum*, hoc eſt circiter Annum Chriſti DCCCLXXV. quod tamen aliis accuratius inveſtigandum relinquo. En quid ille adverſus Burneti ſomnia, Jeſum alloquens, tandiu antea retulerit in Lib. divinor. Amor. Cap. II. Tom. 22. Bibliothecae Patrum. *Male conjectant*, ait, *male ſapiunt, qui ſe non tecum, verumtamen in Requie,*

*futuros autumant: qui locum quemdam (o dementiam!) extra Regnum ac Thalamum, a Gehenna & ignis ſupplicio remotum, nec eum lucidum, ac tenebris vacantem conſtituunt: in quem infelices illi devenire deſiderant, non egere ſe Aeterna Tua Gloria, aut Caelorum Regno, ſed in Requie fore arbitrantes. Proh iſtorum caliginem! proh ignorantiam! proh miſeriam & ſpes inanes. Nuſquam hoc ſcriptum exſtat: nuſquam hoc erit. Verum in lumine Felicitatum, qui ſancta & divina geſſerint; in tenebris autem Poenarum erunt, qui iniquitatis operarii fuerunt. Qui ergo illic poſt mortem eſſe concupiſcunt, multis lacrymis & lamentis digni ſunt; quoniam ut jumenta rationis expertia, penitus nihil ſapiunt, ſibimet peſtem imprecantur, ſe ipſos ſeducunt.* Hiſce titulis ornatum vides a Simeone Burnetum. Pergit ille dicens: *Tu Regnum Caelorum, Chriſte, tu terra mitium, tu virens Paradiſus, tu Thalamus divinus & ineffabilis. Tu menſa communis omnium, tu cujuſque Sanctorum lucerna inextincta. Tu es tunica, & Corona, & Coronarum diſtributor. Tu Gaudium & Requies, tu Gloria & deliciae &c. Si igitur non videntes lumen tuum, nec abs te viſi & ſeparati, Viſione tua, omnia bona tua complectente, privantur: ubinam Requiem, ubi locum dolore vacuum invenient? Etenim recti habitabunt cum Vultu tuo.* Non poterat efficacius exſibilari Burnetana opinio, ſimulque oſtendi, quantum Felicitatis eos maneat, qui poſt obitum migrant ad Dominum, atque evehuntur ad beatam illius praeſentiam in Caelos. Atque haec eadem fuerat Sancti Auguſtini ſententia, qui Tractat. LI. in Joann. Evangel. illa verba: *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur*, in hunc modum interpretatur: *Quid eſt: Me ſequatur, niſi me imitetur? At quo fructu? qua mercede? quo Praemio? Et ubi ſum, inquit, ego, illic & miniſter meus erit. Gratis ametur, ut operis, quo miniſtratur illi, pretium ſit Eſſe Cum illo. Ubi enim bene erit ſine illo? aut quando eſſe male poterit cum illo? Audi evidentius. Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus. Quo honore, niſi ut ſit cum Filio ejus? Et quem majorem Honorem accipere poterit adoptatus* (ideſt fidelis Chriſti imitator) *quam ut ſit, ubi eſt Unicus; non aequalis factus divinitati, ſed conſociatus Aeternitati? Sic miniſtrantem Chriſto honorificabit Pater ejus, Honore illo Magno, Ut Sit Cum Filio Ejus, nec umquam deficiat Felicitas ejus.* Habes, quid ſit *Eſſe Cum Chriſto*. Quod quum divinus Apoſtolus & Patres concedendum Juſtis aſſeverent, mox ut Anima e Corpore diſſolvitur: quis niſi incredulus contraria opinari, nobiſque perſuadere audeat?

Secun-

Secundo, multa Apocalypſeos loca attulimus, eo collineantia, ut certos nos faciant Beatitatis Animabus Sanctorum, & praeſertim Martyrum jam conlatae in Caelis. Qui ſincere verborum illorum vim perpendat, nullus dubito, quin cito deprehendat, quantum abſit a veritate Burneti ſententia. Tertio, communis ſententia Patrum fuit, *Requiem* appellari ab Apoſtolo in Epiſtola ad Hebraeos Cap. IV. Beatitudinem a Chriſto nobis procuratam & promiſſam in Regno Caelorum. Quamobrem tam ſaepe Patres ea voce ſunt uſi, & adhuc Eccleſia utitur, ut ſignificet ineffabile illud *Praemium Juſtorum*. Hoc idem elucet ex Apocalypſ. XIV. 13. *Beati Mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut Requieſcant a laboribus ſuis*. At in hanc ipſam beatam Requiem multos e Chriſtianis jam ingreſſos teſtatur Apoſtolus, dum ait Heb. IV. 10. *Qui enim ingreſſus eſt in Requiem ejus*. Sed & idem in eadem Epiſtola Cap. XII. 22. confirmatum vidimus, ubi Sanctus Paulus memorat *Civitatem Dei viventis, Hieruſalem Caeleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in Caelis, & Judicem omnium Deum, & ſpiritus Juſtorum perfectorum*. Communis Patrum ſententia eſt, deſcribi heic a divino Apoſtolo potiſſimum Eccleſiam triumphantem in Caelis, in quam ille agnoſcit jam invectos *Spiritus Juſtorum perfectorum*. Conſentiunt & praeſtantiores poſtremi aevi Interpretes, tum quod vox Graeca, Πνεύματα. *Spiritus*, Animas deſignare conſuevit a Corpore ſeparatas, tum quod Τετελειώμενα. *Perfecta*, hoc eſt Spiritus *perfecti*, ſive conſummati, nonniſi dicuntur Animae, quae jam attigere metam, deductae ad illum Beatitudinis ſtatum, qui Juſtos manet in altera Vita, uti in Graecorum potiſſimum Liturgiis dicitur. Quarto, vidimus Latronis poenitentis Animam evectam a Chriſto *in Paradiſum;* Animam quoque Lazari pauperis ab Angelis portatam in *Sinum Abrahae;* Divitis vero immiſericordis in *Infernum*, in *flammas*, in *tormenta*. Atque heic dicere liceat, neminem deteſtabilius de ſtatu Juſtorum poſt mortem loquutum fuiſſe, quam Burnetus. Is in ignotum locum eorum Animas detrudit, ubi velut ſemiſopitae quieſcunt, in otio & *inactione* jacentes, atque exſpectantes Reſurrectionem Corporum: quem ſtatum ubi ſerio perpendas, ingentem infelicitatem appelles, Spe videlicet & exſpectatione per tot Saecula fatigatis iis Spiritibus, & majori etiam in ventura Saecula moerore fatigandis. At qui Millenarii Regni errore, quem reſtituere vellet Burnetus, olim tenebantur, ſaltem Animas Juſtorum arbitrati ſunt in locum

meliorem, quam terrena habitatio, aut saltem in Paradisum terrestrem interea transferendas, sedem nempe admirandae Felicitatis, uti divini Libri, & Sancti Patres concordi suffragio testantur. Sanctum Irenaeum audi, quem Chiliastarum paene antesignanum novimus, & Burnetus pro se laudat, haec Lib. V. Cap. V. contra Haereses de terrestri Paradiso scribentem: *Dicunt Presbyteri, qui sunt Apostolorum discipuli, eos qui translati sunt, illuc translatos esse (Justis enim hominibus, & Spiritum habentibus, praeparatus est Paradisus, in quem & Paulus Apostolus asportatus audivit sermones inenarrabiles, quantum ad nos in praesenti) & ibi manere eos, qui translati sunt, usque ad consummationem, coauspicantes incorruptelam.* Neque aliter Tertullianus, alter Millenarii somnii praedicator, Burneto carus, in Apolog. Cap. 47. *Ridemur*, ait, *si Paradisum nominemus locum DIVINAE AMOENITATIS, recipiendis Sanctorum spiritibus destinatum, maceria quadam igneae illius Zonae a notitia Orbis segregatum.* Tum animadvertit, ab Ethnicis quoque *campos Elysios* admitti, ac propterea Ethnicos hisce alloquitur: *Unde haec, oro vos, Philosophis aut Poetis tam consimilia? Nonnisi de nostris sacramentis.* Nos quum de *Paradiso voluptatis*, quo primus parens e divino munere fruebatur, Patres loquentes audimus, locum deliciis mirum in modum refertum agnoscimus, ac tantam felicitatem Adamo innocenti invidemus. En vero Burnetum, qui ne istum quidem Paradisum adeundum reliquit Animabus Justorum: sed eas in incognitum locum conjecit, ibi futuras immenso temporis spatio, cujus finem nemo novit, ibique ad instar glirium quadam veluti specie somni correptas. Heu nugatorem, & Christianae spei inimicum! Parum abest, quin exclamem, collineare ejus consilia ad augendas in patria sua Incredulorum acies. Ceterum nos pluribus jam palam fecimus, plerosque Sanctorum Patrum censuisse, nihil aliud *Paradisi* nomine significatum a Christo fuisse nisi locum ineffabilis Felicitatis in Caelo, ubi etiam Sanctus Paulus arcana verba audivit. *Stude*, ajebat etiam Macarius Alexandrinus circiter Annum Christi CCCLXXIII. Homil. XXV. *ingredi in Sanctam Civitatem, in Hierusalem, bello non infestatam & Supernam, ubi etiam Paradisus.* Terrestris Paradisus Corporibus delicias parabat. At Christus Animae Latronis, non Corpori, illa die delicias pollicitus fuit. Neque amplius in Terra reperitur Paradisus ille.

Quincto, iidem Patres arbitrati sunt, per *Sinum Abrahae* designari Regnum Caelorum. Atque ubi mentem Domini diligenter explores,

plores, dum haec tradit in Evangelio, vix aliud concipere poſſis. Quare non ſine indignatione excipienda venit Burneti temeritas, qui Juſtorum Animas ergaſtulo carnis ſolutas in tam abjectam ac miſeram conditionem dejicit, eamque duraturam per immenſam fortaſſi Annorum ſeriem, ut horrorem potius, quam ſolatium, probis Dei amatoribus injiciat. Vel pauci illi inter veteres, qui *Paradiſum*, aut *Sinum Abrahae* ſumſerunt pro loco diverſo a Regno Caelorum, nihilominus credidere, Animas Juſtorum ibi collocatas invidendis bonis frui. Hoc ipſum a *Paradiſi* nomine certo ediſcimus: eo quippe vel ipſi Ethnici Hortum deliciis plenum ſignificabant, ſacrae vero Literae locum mirae Felicitatis. Quinam ergo malus genius Burnetum invaſit, ut ne Paradiſi quidem veſtigium Juſtis concedendum cenſuerit, contra expreſſam divini noſtri Praeceptoris vocem? Quei *Sinum* illum *Abrahae* veluti pro nihilo habuit, atque Angelos, per quos Juſtorum Spiritus illuc deducuntur, ne ictu quidem oculi dignatus eſt? At Chryſoſtomus Oratione in Quadraginta Martyres ſcripſit: *Anima Juſti, quando hinc exceſſerit, Angelorum manibus defertur, qui eam ſiſtunt in Regia Urbe, quae eſt Caeleſtis Hieruſalem.* Quicunque ſapit, majorem certe, quam viſionario huic homini, fidem exhibebit tot eximiis Patribus, Scriptoribuſque ex antiquitate venerandis, qui de Paradiſo, & Sinu Abrahae aliter judicarunt. Patribus, qui Paradiſum idem cum Regno ſtatuerunt, adde etiam Joannem Jejunatorem Patriarcham CPolitanum, haec ſcribentem circiter Annum Chriſti DLXXXV. in Oration. de Virginitate: *Latro in momento ſalvatus eſt, quum credidiſſet*, & *incorruptibilem Regni theſaurum lucratus eſt.* Sed quod etiam minus in Burneto ferendum eſt, contendit ille, Iniquorum Animas in Inferorum poenas ac ſupplicia ſibi deſtinata tum ſolum rapiendas, quum omnium Corpora reſurgent. At Chriſtus ille Dominus, ex cujus auctoritate Chriſtianus quiſque pendet, diſertiſſime nos docet, Divitem nequam, mox ut hinc abſceſſit, collocatum fuiſſe *ἐν τῷ ᾅδῃ, ἐν βασάνοις, ἐν τῇ φλογί*, *in Inferno*, *in Tormentis*, *in Flamma:* atque ita de ea re (ſive hiſtoria, ſive parabola ſit) loquitur, ut agnoſcamus Divitis illius ſupplicia inchoata ante Reſurrectionem Carnis, quum fratres ejus adhuc ſuper terra viventes ac epulantes exhibeat. Num diſcipulus ſupra Magiſtrum? Immo Chriſti contemtor atque haereticus, qui contra minime obſcura illius dicta temere inſurgit. Praeterea quum ex Evangelio, & communi Patrum ſententia, Improborum Animae minime conſortium Carnis exſpectent, ut in Inferno Igne torqueantur,

tur, hoc unum ſatis eſt ad prodendum, Proborum quoque Animas, non exſpectata Reſurrectione, beari in Caelis. Quis enim mentis compos, & divinae naturae attributa, quantum heic licet, contemplans, perſuadere ſibi poſſit, Deum optimum, atque infinite miſericordem, exigere ſtatim poſt mortem Poenas a peccatoribus, Praemio autem donare nolle Juſtos; immo iis, qui pro ſe certarunt, & pugnam viriliter confecerunt, Coronam differre ad tantas annorum myriades? *Fidelis eſt Deus*; caris ſuis magnifica pollicitus eſt: *Non tardat promiſſionem ſuam*, uti Sanctus Petrus Secunda Epiſtol. III. 9. jam nos monuit. *Juſtus* etiam eſt *Deus*, *& Juſtitias dilexit*. Si talem ſe praebet, puniendo ſine cunctatione Malos poſt mortem: cur talem ſe non exhibeat, praemia quoque Bonis largiendo? Saepe vero Dominus Apoſtolis, atque Apoſtoli ſuis diſcipulis (quod ſupra oſtendimus) remunerationem *prope* eſſe, ac *cito* deferendam praenuntiarunt. At nunc erumpit, qui Chriſtum, ejuſque Apoſtolos aut falſi, aut erroris arguit, nimirum contendens, carere Juſtos, & vel ipſos Apoſtolos, a mille & ſeptingentis Annis Praemio; atque inſuper non fraudatam ſolum hactenus eorum ſpem, ſed & ulterius fraudandam, donec erit genus humanum in terris; quod fortaſſe nonniſi poſt multa annorum millia propagari deſinet. Quis haec ferat in Scriptore, qui ſe Chriſtianum dicat?

Sexto, adduximus verba divini Magiſtri Joann. XIV. 2. qui proximus morti haec ad Apoſtolos turbatos & moeſtos, ſolatii cauſſa, loquebatur: *Vado parare vobis Locum*, & quidem *in Domo Patris mei*, ideſt in Caeleſti Regia, in Paradiſi Gloria (nam *Gloria & Divitiae in Domo Ejus*), ubi *manſiones multae ſunt. Et ſi abiero, & praeparavero vobis Locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipſum, Ut Ubi ſum Ego, & Vos Sitis*. Diſcipulorum turbatio inde naſcebatur, quod amantiſſimum Dominum a ſe abiturum audiſſent, ſeque ab optatiſſima illius praeſentia divellendos noſſent. *Non turbetur cor veſtrum*, ait ad eos Dominus. Praecedo ego, ad Patrem meum iturus: in ejus beatiſſima domo Manſionem vobis parabo: adveniente vero morte veſtra rurſus veniam ad vos, ut Animas veſtras recipiam, mecumque adducam in paratam vobis Beatitudinis Manſionem, ubi ero & ego: mea quippe voluntas eſt, ut vos ſitis ſemper, ubi ego quoque ero. Quem in locum aſcenderit Dominus quadraginta diebus poſt Reſurrectionem ſuam, nemo Chriſtianorum ignorat. Ibi nihil illum impediit, quin pararet Manſionem Dilectis ſuis: nihil, quin illos acceperit ad ſe ipſum; atque ille tam aman-

ter

ter ſpoponderat id, quod facile complere poterat, ac fideliter volebat. Quei nunc audeat Burnetus perſuadere Lectori Chriſtiano, nondum in paratam Manſionem ingreſſos fuiſſe Apoſtolos, eoſque poſt tot Saeculorum decurſum arceri adhuc a Praeſentia & Specie Domini, neque ibi eos eſſe, ubi ille eſt? Judicet prudens Lector. Ne, quaeſo, nobis obtrudat Burnetus, Jeſum Chriſtum aut illuſorem, aut impotentem ad praeſtanda, quae promiſit. Supra vero oſtendimus, unum quidem reſtare *Adventum Domini* glorioſum, totique generi humano ſpectandum; at plures alios occultos, nobiſque ignotos Adventus illius eſſe admittendos: ſcilicet in morte noſtra, ut judicium inſtituat peculiare ſingulorum hominum. Audi heic Apoſtolum Prima ad Timoth. VI. 13. *Praecipio tibi*, inquit, *coram Deo &c. ut ſerves mandatum ſine macula, irreprehenſibile, uſque in Adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Miror eſſe Interpretes, qui heic agi putent de poſtremo Adventu Domini, univerſum Orbem judicaturi, quaſi Chriſtus victurus eſſet uſque ad finem Mundi, ac tanto tempore ſervaturus mandata Dei. Sed haec illi parum conſentanee excogitarunt, quod nullum alium Chriſti Adventum poſt ejus Adſcenſionem in Caelum agnoſcerent, niſi ad ſupremum Judicium: quum tamen Dominus ſe ad Hieroſolymae, Regnique Judaici horrendum excidium adventurum ſe praedixerit, occultum tamen judicium de Juſtis & injuſtis Judaeis tunc habiturus: quo tempore adhuc in vita verſari Timotheus potuiſſet. Praeterea ad mortem quoque ſingulorum Fidelium adventurum Dominum, alibi animadvertimus; & de hoc ipſo Adventu omnino credendus eſt heic loqui Apoſtolus. Neque quod in ſacris Literis *Dies Domini* non ſemel occurrat, e veſtigio accipiendum id ſemper eſt de ſolemni ac terribili die extremi Judicii: nam & *Dies Domini*, hoc eſt *Dies Judicii*, interdum indicat obitus noſtri diem, quo occultum Judicium a Domino peragitur de probis ac improbis. Hoc alibi oſtendimus; atque in hoc ſenſu ſumenda ſunt praelaudati Apoſtoli verba, dum ſcribit ad Philippenſ. I. 6. *Confidens hoc ipſum, quia qui coepit in vobis opus bonum, perficiet uſque in Diem Chriſti Jeſu.* Et infra: *Ut probetis potiora, ut ſitis ſinceri, & ſine offenſa in Diem Chriſti.* Et ad Corinth. I. 1. *Qui & confirmabit vos in finem ſine crimine, in Die Adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Qui nihil aliud in mente habent, niſi extremum Chriſti Adventum, hiſce locis parum congruum affingunt ſenſum. Germana interpretatio eſt: qui per gratiam ſuam coepit in vobis opus bonum, idem in vobis perficiet illud uſque ad

mortem

mortem veſtram, ad quam aderit Chriſtus ipſe Dominus, vos remuneraturus. Non enim Corinthii aut Philippenſes illi perduraturi erant uſque ad excidium Mundi; neque de eorum ſucceſſoribus id praedictum fuerat; neque perficiendum erat in aliis, quod in iis, ad quos ſcribit Paulus, Dominus bene coeperat. In hunc eundem ſenſum explicanda omnino videntur, quae idem Apoſtolus Gentium Secunda ad Timoth. I. 18. ait de Oneſiphoro de ſe bene merito: *Det illi Dominus invenire miſericordiam a Domino in illa Die:* Ideſt, quum e vivis exceſſurus erit. Nam Judicii ſupremi terribilis Adventus, dies erit Juſtitiae, non vero Miſericordiae. Atque heic digna forent, quae integra referrentur Sancti Gregorii Magni verba, Homil. XIII. in Evangelia; ubi occulta haec Chriſti Judicia ad ſingulorum Fidelium mortem confirmat verbis ipſius divini Salvatoris Luc. XII. 37. *Beati ſervi illi, quos, quum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod praecinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Haec de hora mortis noſtrae, ac Judicio tunc de nobis clam inſtituendo ſunt dicta. Dominus autem, ut inquit beatiſſimus ille Pontifex, Juſtos *facit diſcumbere, ideſt in AETERNA QUIETE Refoveri. Diſcumbere quippe noſtrum, IN REGNO QUIESCERE eſt.* Et ſane laudata Domini verba apud Sanctum Lucam in hanc ſententiam mirifice nos compellunt, ac praecipue ſi conſiderentur, quae praecedunt. Inquit enim unigenitus Dei Filius ad Apoſtolos: *Sint lumbi veſtri praecincti, & vos ſimiles hominibus exſpectantibus Dominum ſuum, quando revertatur a nuptiis, ut, quum venerit & pulſaverit, confeſtim aperiant illi.* Non loquitur Dominus de iis tantummodo, qui in vivis erunt, quum ipſe judicaturus omnes in fine Mundi adveniet: loquitur ad Apoſtolos ac Diſcipulos, quorum vita in terris ad ſupremum Mundi diem minime reſervanda erat; eoſque omnes monet, ut parati ſint ad excipiendum Dominum, quandocunque venerit. Pari ſenſu Cap. XXIV. Matth. Dominus ait: *Et Vos eſtote parati, quia qua neſcitis hora, Filius hominis veniet.* Ergo de ſingulorum morte agit, ad quam tam illos quam ceteros Fideles paratos in ſanctitate vitae & expurgata conſcientia invenire cupit: quippe tunc adventurus ipſe eſt ad ſecretum Judicium de ipſorum operibus inſtituendum. Quamobrem non una *Dies Domini* excogitanda. Atque hoc etiam animadvertit magnus & ſanctus vir Thomas Aquinas in Opuſcul. II. contra Graecos Cap. IX. hiſce verbis: *Attendendum eſt, quod ſicut Dies Judicii dicitur Dies Domini; quia eſt Dies Adventus ejus ad Judicium univerſale*

totius

*totius Mundi: ita Dies mortis cujuſcumque, dicitur Dies Domini; quia ad unumquemque in morte venire dicitur Chriſtus remuneraturus, vel condemnaturus. Unde quantum ad remunerationem Bonorum, dicit ad Diſcipulos, Joann. XIV. 3. Si abiero, & praeparavero vobis Locum, iterum Veniam, & accipiam vos ad me ipſum, ut ubi ſum ego, & vos ſitis.*

Septimo, ad idem nobis perſuadendum confluere poſſunt alia illa verba Salvatoris Luc. XVI. 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ut, quum defeceritis, recipiant vos in Aeterna Tabernacula.* Theophylacto & Euthymio teſtibus, nihil aliud heic eſt ὅταν ἐκλίπητε, *quum defeceritis*, niſi, quum vos vita praeſens deficiet, ſive quum moriemini. Grotius quoque animadvertit, a Platone ἐκλείποντας appellari Mortuos: quod & interdum LXX. Interpretes fecerunt. Hoc idem & alii ſentiunt. Contra ſi quis haec aliter interpretatus fuit, non ſatis diligenter expendiſſe mihi creditur vim vocum atque contextus. Nam *recipiant vos in Aeterna Tabernacula* dicitur de Animabus ſeparatis a Corpore in Caelum recipiendis, atque adeo neceſſe eſt, ut *quum defeceritis*, ſeparationem iſtam, ſive Mortem ſignificet. Nemo vero eſt, qui non agnoſcat per *Tabernacula* illa *Aeterna* deſignari Regnum Caelorum, ſive Beatitudinis locum aeternum, quem Paulus Secunda ad Corinth. V. 1. appellavit *Domum non manufactam, Aeternam in Caelis*. Tabernaculum caducum, quale peregrinorum eſt, dicitur Corpus noſtrum, aut terra, quam incolimus. Verum *Aeterna Tabernacula* ſunt habitatio noſtra in Caelis, cui nunquam finis erit; & quandoquidem *Aeterna* ſunt, neque adveniente Domino in fine Mundi, inde facienda erit tranſmigratio. Ex his ergo verbis perſpicue pariter deduci videas ſententiam Catholicae Eccleſiae, pro qua hucuſque propugnavimus. Non dicit Jeſus, Juſtos eleemoſynis faciendis deditos, in Vitam Aeternam recipiendos, quum reſurgent mortui, quum conſummatio Saeculi adveniet. Dicit, beatam hanc ſortem eis paratam atque ineundam, quum ex hac vita emigrabunt. Non moram aliquot millium Annorum interſerit (quod Burnetus perperam fecit): ſed quo tempore hinc abibunt, tunc in beata illa Tabernacula ingreſſum eis futurum promittit. Luculentius inſuper hoc indicant verba illa, *ut recipiant vos*. A quo enim in Caelum recipiendi ſunt, quum vita funguntur, qui fecerunt ſibi amicos de mammona iniquitatis? Ab hiſce ipſis Amicis, Juſtis videlicet Pauperibus, in Caelum antea receptis, quia preces ſuas, atque Eleemoſynae meritum ante Deum ſtatuentes, Eleemoſy-

nariis quoque vitam aeternam ac ſedem in Caelis aeternam impetrabunt; ita ut haec minime referri poſſint ad Reſurrectionis tempora, ſed reſpiciant praeſens Eccleſiae militantis aevum. Adhuc tamen, & unum animadvertas velim. Poſtquam Dominus avaros ad Eleemoſynam oratione illa ſolicitavit, paucis interjectis, eodem Cap. XVI. 19. hiſtoriam ſive parabolam profert Divitis a miſericordia averſi, & Lazari ulceroſi atque patientis, quem *in Sinum Abrahae* deductum ab Angelis exhibet. Ejuſmodi nempe exemplo, quae antea depraedicaverat, evidentius confirmat. Si ergo quaeris, quid ſit *Sinus Abrahae*, quo evectus eſt felix ille Pauper, jam tenes. Idem eſt atque *Tabernacula Aeterna*, in quae Pauperes ſpiritu recipiendos antea dixerat divinus Praeceptor, recepturos poſtea illuc & eos, qui amore Pauperum in hac Vita dignos ſe praeſtiterint eorum conſortio. Vide, quomodo cuncta conſonent, ut tandem ſtatuamus, nomine *Sinus Abrahae* unam Caeleſtem Beatitudinem innui a Domino, qui & alibi Felicitatem immenſam ejus loci expreſſit ſub nomine Convivii, in quo Juſti *Recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob.*

Audi propterea Sanctum Auguſtinum, qui, poſtquam exemplum Lazari & Divitis eloquenter in Sermone XLI. illuſtravit, tandem haec ſubdit: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut & ipſi recipiant vos in Aeterna Tabernacula. Sunt heic Pauperes, non habentes tabernacula, ubi nos recipiant. Facite eos amicos de mammona iniquitatis. Nolite contemnere Pauperes non habentes quo redeant, quo intrent. Habent quo intrent. Habent Tabernacula. Habent & Aeterna. Habent quo fruſtra recipi optabitis, ſicut Dives ille, ſi non eos nunc in veſtra receperitis.* En quid Auguſtino *Tabernacula Aeterna* fuerint; ille nempe Sinus, in quo a Divite miſerrimo ſpectatus eſt pauper Lazarus, recumbens & fruens bonis Domus Dei in *Sinu Abraham*, ideſt apud Abraham. Auguſtino adjunctum heic volo recentioris aevi Scriptorem Graecum, ut evidentius in dies intelligat Lector, quam foede Majorum ſuorum fidem deſeruerint pauci illi Graeculi Latinorum hoſtes, de quibus alibi facta eſt mentio. Is eſt *Philippus Solitarius*, Monachus Graecus, qui circiter Annum Chriſti MXCV. aut MCV. *Dioptram*, hoc eſt Amuſſim Fidei & Vitae Chriſtianae ad Callinicum Monachum ſcripſit, a Jacobo Pontano Latine redditam. Ibi Lib. II. Cap. 9. quaerit, quemnam in locum proficiſcantur Juſtorum Animae poſt diſceſſum ex hac luce; atque ita reſpondet: *Scripturae docent, excelſiſſimum eſſe locum, in quo Animae Juſto-*

*Juſtorum Requieſcant. Hic autem Locus diverſis nominibus appellatur: nempe Regio Viventium, Terra mitium, Tabernaculum a Deo factum, Civitas altiſſima, Torrens odoratiſſimus, Sonitus feſtum celebrantium. Et haec quidem ex Epiſtolis Pauli ad Corinthios & Philippenſes conſtant. Diſſoluto incolatu tabernaculi hujus, Domum aliam in ſuperis habemus, cujus aedificator Dominus, cujus opifex Deus. Soluti igitur Corporibus, Conſtanter Credimus, Abductum Nos Iri Ad Dominum, quicum eſſe praeſtat. Quare & amabilem illam vocem emittit: Cupio diſſolvi, & hinc abſolvi, ut cum Chriſto vivam, quicum eſſe deſidero.* Infra ſententiam ſuam dictis Sanctorum Patrum confirmat, inquiens: *Juſtorum Animae in manu Dei ſunt. Joannes autem Damaſcenus, vir ſapientiſſimus, vere ipſa gratia, quod nomen ejus ſonat: Animas quidem habetis (inquit in Hymnis Martyrum) in Civitate Caeleſti, in qua Habitantes Cum Domino Vivitis, pro quo & occubuiſtis. Et plurimos alios reſtes & majores inter Sanctos, dictis meis adſtipulantes producam tibi, Gregorium, Baſilium, ſummos Magiſtros, Gregorium Nyſſenum, Andream Cretenſem, & illud aureum divinumque Os* (Joannem Chryſoſtomum) *omnes ſimul concorditer, & unanimi conſenſu, omnium Sanctorum Animas in Caelo Eſſe, confirmantes. Oportet enim Mundum ſupernum impleri omnimodis (ut magna illa & vigil mens Gregorius ſcribit) e quo delapſus Satan, ut fulgur de Caelo cum Angelis ſuis, Domino teſte, projectus fuit.* Haec Philippus ille Graecus, qui & infra Lib. IV. Cap. 16. quaerit, quando jam Animae Sanctorum cum Chriſto ſedente ad dexteram Patris ſunt in Caelis, quid aliud majus in retributionem pro laboribus accipere poſſint in ſecundo Chriſti Adventu; *nam quod plenum eſt*, inquit, *externa acceſſione non indiget.* Itaque reſpondet, gaudium & gloriam Sanctorum, reſumta Carne, uberius auctum iri. *In Caelis quidem perfecte habitant, Creatorique Adſiſtentes, Eum Contemplantur, & Gaudent. Sed quum tamdem Corpus quoque in Reſurrectione illa omnium communi receperint, tunc etiam gratiae gloriam, & laborum Praemia Pleniſſima, Coronaſque adipiſcentur.* Denique Philippus ſubſequenti Cap. 17. oſtendit, in Paradiſum, non terreſtrem, ſed Caeleſtem, poſt Reſurrectionem Domini introire Juſtorum Animas. *Hic eſt*, inquit, *Paradiſus, in quem raptus eſt Paulus, in quem Gregorius, & magnus cum aliis ingreſſus eſt Baſilius, in infinita & divina & aeterna Bona illa, quae oculus non vidit &c.* Parcat Lector, ſi rurſus huc advoco Scriptores Graecos; nimium quippe noſtra intereſt noſſe, quaenam fuerit per tot Saecula concors hac in re Eccle-

ſiae Graecae ſententia cum Latina, ut ſi quando Graeculum quempiam offendas, qui poſtremis hiſce temporibus aliter ſentire videatur, dignoſcas, pugnare ipſum non ſolum contra Latinos, in antiqua ſemperque tradita doctrina conſtantes, ſed etiam contra ſuam ipſius Eccleſiam, cum Latina retroactis Saeculis unanimi conſenſu concordem.

## CAPUT VICESIMUMNONUM.

*Abominandae calumniae, quibus Eccleſiam Romanam Burnetus onerat, quaſi haec Lucri cauſſa poſtremis hiſce temporibus ſententiam invexerit de Beatitudine Sanctorum. Nihil illa habet, niſi quod priorum Saeculorum Eccleſia profeſſa fuit. Olympiodori, Aſterii, Amaſeni, Nili Monachi teſtimonia adduntur. Sanctorum quoque Invocatio firmata auctoritate Origenis, Sancti Cypriani (cujus verba Joannes Fellus perverſe interpretatur) ac Sancti Hieronymi. Burneti ineptiae, negantis Animabus Corpore ſolutis omnem doloris & gaudii motum.*

PRAETER delibata e ſacris Literis loca, aliquot etiam, ut vidimus, ex antiquis Patribus, Scriptoribuſve Eccleſiaſticis Burnetus produxit, veluti ſuae ſententiae teſtes idoneos. Injuſte non acturum, neque moleſtiam Lectori creaturum me ſpero, ſi centies meminero, nimium deſiderari bonam fidem in homine illo. Erat Scriptoris veritatis amore flagrantis, qualem ſe is profitetur, non hoſce tantum paucos oculis Lectorum objicere, ſed & alios ſine comparatione longe plures, opinioni ſuae adverſantes adferre in medium, ut in conſpectu poſitis omnium placitis, cuique foret in promtu id ſeligere, quod veritati propius agnoſceretur. Profecto non fine dolo malo praetermiſſa a Burneto, celataque videantur, quae conſilio ſuo obeſſe poſſe is bene noverat, perſuaſumque habebat, non conquirenda a Lectoribus ineruditis, apud quos ille ſua duntaxat commendata volebat. Verum obviam itum hucuſque fuit illius artibus, ac duo jam tandem, ni fallor, oſtendimus. Primum eſt, ſi Lactantium excipias, quem nunquam pro Chriſtianae ortodoxae doctrinae interprete fido Eccleſia accepit, reliquos Patres a Burneto pro ſe laudatos, adverſus illum re ipſa pugna-

pugnare. Alterum eſt, ex omni antiquitate, atque a primis Eccleſiae Saeculis uſque ad Concilium Florentinum, convenire omnes ferme Patres in eandem Florentini Concilii ſententiam, ita ut non ſolum divinarum Literarum ſuffragio, ſed continuata omnium Saeculorum Traditione nitatur dogma Romanae Eccleſiae de Beatitate Sanctorum. Quamobrem ludum ludit tribulibus ſuis Burnetus, quum eos eruditurus, veluti manu ducit ad Sanctorum Patrum ſcholam, en, inquiens, hic mecum conſentit, en alter mihi adhaeret; ſuatum interea oculis tot alia paene innumera ſubducens, quibus opinio ſua a fundamentis evertitur. At heic habet Lector, quibus ſubleſtae fidei hominem de facie tandem aliquando noſcat. Quanquam circulatorias illas artes non hactenus omnes detexi. Nihil impenſius nonnulli apud Britannos curant (atque utinam verum non eſſet) quam odium Populi fovere atque accendere contra Romanam Eccleſiam, ne Schiſmati, quod ſine lacrymis meminiſſe nequimus, ullus umquam ſit in poſterum finis. Quae recta ſunt apud nos, coloribus tetris pinguntur: & quod gravius eſt, calumniis & mendaciis, immo & puerilibus ſpectaculis minime parcitur, ut quacunque ratione a doctrina, ritibuſque antiquae Matris vehementius avertantur animi nimium credulae, nec ſatis eruditae Plebis. Poſſem id ego ſexcentis exemplis confirmare. At ſolum peto, an non eſſet hominum ſapientum, & Chriſti, atque ejus Eccleſiae ſponſae amatorum, pacem potius Chriſtiana Caritate quaerere atque ſuadere, quam bellum; & diligentius inveſtigare, veris-ne an falſis accuſationibus diſcordia continuetur; & meditari intentius, quam teterrimum malum ſit Schiſma, quod Sanctus Irenaeus, aliique ſubſequuti Patres tantopere deteſtantur; quod quicunque facit, factumve fovet, fruſtra ſperat aeterna gaudia ſeſe conſequuturum; & quod profecto non nos a Britannis, ſed illi a nobis nunquam ſatis dolendo conſilio fecerunt. Conſpicatus ergo Burnetus ſitam in eo fore potiorem ſpem enervandae, immo & expungendae penitus, ſi fieri poſſet, e Britannorum animis, doctrinae de Beatitate non procraſtinata Sanctorum, ſi perſuadere eis poſſet, conſectarium hanc eſſe alicujus ex dogmatis Romanae Eccleſiae, in Britannia nunc improbatis: ejuſmodi cuniculo non ſemel eſt uſus. Do illius verba.

*Nuperis Saeculis*, inquit is pag. 48. *quis non videt, invectum hunc novae Fidei Articulum in Eccleſiam Romanam, conſiliis prudentum & politicorum; quo Sanctis invocandis, aliiſque id genus inſtitutis commodior anſa praeberetur, ceteriſque, quae adhaerent, lucroſis*

dogma-

*dogmatis patrocinium? Recte notavit Bellarminus, hanc doctrinam Fundamentum esse omnium aliarum, quae ad Sanctos spectant; nempe quae spectant ad Sanctorum cultum, Sanctorum canonizationem, Sanctorum Imagines & Reliquias; denique peregrinationes, & vota iis nuncupata. Vides, quantam catenam, auro & argento gravem, secum trahit hoc dogma. Et si annectas Purgatorium, sive statum Animarum, quae ad Caelum non recta eunt, sed vivorum precibus, & suffragiis Sanctorum, eo serius aut citius evehuntur: habes auri fodinam quavis India ditiorem. Sed Vae illis, qui cauponantur Verbum Dei, Secunda Corinth. II. 17.* Veritus deinde, ne perfunctorie Britanni sapientiores ad tam vividam perorationem aures praebuerint, aut ipsam fuerint obliti, nova impressione illos rursus aggreditur pag. 74. crambem eandem repetens, & inquiens: *Haec meditentur ii, quorum interest: utcumque quoad Reformatos, nihil valet haec auctoritas Romana, Synodorum, aut Pontificum. Nobis integrum est, rem aestimare ex aequo, & ex omnibus suis momentis diligenter expendere, quo propendeat, quo nos ducat Scriptura sacra; quo rei ipsius ratio, quo aetas intemerata Ecclesiae. Nec id tantum ante oculos habere, quod his reclamantibus factum sit, aut definitum nudius tertius in Conventu Florentiae. Dignum utique est hoc caput de Statu Mortuorum, quod excutiatur penitus, & de quo contendamus pars utraque. Huic enim superstructa est tota moles Religionis & Pompae Romanae circa Sanctos: de iis canonizandis, ut loquuntur, invocandis, & colendis; nec de iis ipsis tantum, sed etiam eorum Imaginibus & Reliquiis. Hinc pendent etiam peregrinationes & vota meritoria, & Sanctorum Missae, & novum illud, sed utilissimum, Purgatorii inventum. Quandoquidem idcirco ex hoc filo pendeat tantus apparatus, tantum pondus superstitionum, ex hoc fundamento aut lapide angulari tantum aedificium: nostra plurimum refert nihil temere concedere in hac caussa; nec indulgere nimis piis affectibus, sed male fundatis, in re tanti momenti.* Ita Burnetus ad suos Britannos, cum Ecclesia Catholica in ista quaestione, ut reor, concordes, aut parum ab ea discordes, quos etiam facile in suam opinionem pertrahendos paullo ante speraverat, *quandoquidem*, ut is ait, *Pontificii* (*quorum interest maxime, ut Caelo, Gloria, & Visione Dei fruantur ante Resurrectionem*) *fatentur, Patres generatim ea de re* cum ipso Burneto *convenire*. Denique irridendo dolet, *veritatem tam sero inventam Florentiae* fuisse. Verum ut homini tanta arte ac fiducia pugnanti tandem respondeam: non Florentiae inventa sero Veritas; sed heic duo quidem

vera

vera nos invenimus, ac manu tangimus: scilicet Burnetum calumniari Pontificiis, eodemque tempore imponere velle suis Britannis. An ita se res habeat, experiamur.

Ex iis, quae hactenus a me congesta fuere, exploratum habemus, vel a primis Ecclesiae Saeculis Christianae Reipublicae commune dogma fuisse, Animas Martyrum, separatas a Corpore, statim ad Caelestia Regna transferri. Id unum satis est ad subruendam totam Burneti molem. Nam hoc posito, habemus minime exspectandam Justis esse Beatitatem in supremo Mundi Judicio. Si Martyres nihil impedit, quominus Beati confestim apud Deum evadant: quid ceteros Justos perfectos impediet? Et profecto hos quoque, dum perfecta peccatorum expiatione vel heic, vel in altera Vita functi sint, ad aeternam Felicitatem in Caelos admitti pariter animadvertimus. Atque in hanc sententiam palam factum est, conspirare Acta sincera Martyrum, Epistolas Smyrnensis & Viennensis Ecclesiarum, Sanctos Patres Ignatium, Justinum, Cyprianum, Dionysium & Athanasium Episcopos Alexandrinos, Methodium, Eusebium Caesariensem, Constantinum Augustum &c. Hisce addidimus Sanctos Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Basilium, Nazianzenum, Nyssenum, Ephraemum, Chrysostomum, Prudentium, & copiosam aliorum Sanctorum manum, qui eandem doctrinam disertis verbis, primisque Ecclesiae Saeculis, depraedicarunt. Orientales quoque Ecclesias hac in re cum Latina concordes fuisse, pluribus documentis evicimus. Et quamvis Arethae, aut Andreae Caesarienſis Episcopi Saeculo Christi Decimo novitia doctrina, uti Cap. XVIII. monui, quosdam e Graecis a vetustissima Traditione averterit: nihilo secius ostendimus, plerosque & potiores inter ipsos Graecos, posterioribus quoque Saeculis, constantes perstitisse in Majorum suorum sententia. Addo nunc, censeri, floruisse paucis post Aretham illum Annis *Olympiodorum* Graecum Scriptorem, cujus Enarratio in Ecclesiasten Latine reddita prostat, non semel typis tradita. At is ad Cap. VI. haec habet: *Sapiens vero pauper spiritu, juxta Evangelii dictum, ambulat coram vita, hoc est per virtutum semitas pergit, donec demum perveniat ad ultimum Appetibile. Dissolvi enim cupit, & esse cum Christo, qui profecto est Vita Aeterna.* Deinde ad Cap. XII. *Quum in terram Corpus resolvitur, Anima revertitur ad Deum, reddituta. rationem rerum, quas gessit in vita, Creatori suo.* Sanctis vero potissimum Martyribus Coronam & Praemia sine mora conferri in Caelis, ex innumeris veterum attestationibus didicimus. Quibus juvat

nunc

nunc adjungere *Sanctum Asterium* Amasenum Episcopum, qui circiter Annum Christi CCCXCVIII. praeter alia, quae Cap. XVI. ex ejus Sermonibus hausi, haec etiam nobis offert in Laudatione Sancti Protomartyris Stephani, a Combefisio edita. *Clamabat*, ait, *Domine Jesu Christe, suscipe Spiritum meum. Festinus namque ad velut coloniam ire properabat, & e peregrino solo ad Patriam, ad illustrem praeclaramque Civitatem e terra deserta, aestu arida, ac orribili squallore obsita, contendebat.* Infra haec adtexit: *Angelorum quidem exercitus agonem demirantes, Stephanumque ingenti stipatum satellitio in Hereditatis suae partem evehentes, impensius gaudebant.* Sermonem hunc etiam Photius laudavit. Praeterea vide apud Bollandum ad diem XIV. Januarii, Acta Monachorum, qui pro Christo apud montem Sinam Saeculo Quincto trucidati fuere; a Nilo Monacho, magni Chrysostomi discipulo, literis consignata. Ibi Cap. VII. Sanctus Theodolus moriens superstites socios hisce ad certamina animabat: *Scit Agonotheta* (ita Christum appellare consueverunt Graeci) *quo judicio tradat athletas adversario: ut qui plaeclara Praemia & bravia proposuerit iis, qui plagas aequo animo accipiunt. Quae enim oculus non vidit &c. ea Deus paravit iis, qui pro ipso decertarunt, & pietatis praemiis vitam suam glorioso coronarunt. Sic enim Deum decebat munificum superare labores remunerationibus, & Coronas praebere Athletis, ut & reddat mercedem, quae debetur, & gratiam efficiat remunerationem, propter insignem bonorem.* Matrem quoque cujusdam e Martyribus Cap. X. Nilus inducit, exsultantem ob illius glorioſum e vita exitum. *Beata ego*, ajebat, *in matribus, quae Deo talem exhibuerim Athletam. Rursus quoque ego beata: vere confido fore ut deinceps glorier, quum tu in Christum fueris resolutus, & una Cum Eo Futurus Sis Perpetuo, & Deliciarum, quae numquam desinunt, Sis Particeps.* Possem & alia id genus aggregare documenta; sed modus tandem habendus est. Si haec nescivit Burnetus, quei illius ignorantiam; si novit, quei illius impudentiam excuses?

Itaque prima Burneti illusio atque calumnia est, insultare tum Catholicis, tum Britannis suis, ceterisque credentibus jamdiu reseratam Sanctis Caelestem Gloriam, quasi tum solum ex puteo hausta fuerit haec Veritas, quum Generale Concilium Florentiae habitum fuit. Jam Sole meridiano clarius intuemur, nihil ibi constitutum in ejusmodi controversia, quam quod per tot Saecula ab exordio Ecclesiae tam Occidentales quam Orientales Ecclesiae tanquam ratum certumque tenuerant. Secunda illusio & calumnia Burneti est, persuade-

ſuadere velle Britannis ſuis, Catholicos, ſive Pontificios, manus quodammodo jam dediſſe fatendo, *Patres generatim* ad Reſurrectionem Carnis diſtuliſſe retributionem Sanctorum. Aut nos infantes, aut ſtipites ſuates credat oportet, qui incredibilia haec de nobis venditat, ac tanta confidentia apud eruditos Britannos diſſeminat. Immo non ſolum negamus, Patres generatim adverſatos fuiſſe dogmati in Synodo Florentina ſtabilito, ſed etiam ſperamus, neminem in poſterum fore, qui non agnoſcat eoſdem in hanc ipſam doctrinam conſpirantes, uti oſtendunt quae hactenus de hujuſmodi controverſia in medium attulimus. Tertia calumnia, eaque omnium teterrima adverſus Catholicos, qua Burnetus fortaſſe confiſus eſt, & praecipue credidit, ſe Britannorum animos expugnaturum, illoſque in ſuam opinionem pertrahendos, ea eſt, Quaeſtus tantummodo cauſſa a Pontificiis invectam & conſtabilitam fuiſſe ſententiam de Beatitudine Sanctorum, quos propterea uti apud Deum patronos colere atque invocare aequum ſit & utile Chriſtianis, deceatque in honore habere illorum Reliquias. Heic, ſi Burneto fides, latet Hydrae caput, unde tot *Superſtitiones* fluunt, quibus Pontificiae Eccleſiae inquinantur, & quarum virus fortaſſis ille veretur, ne in Anglicanam quoque effundatur. Dignus eſſet Burnetus, qui heic aſperis exciperetur. Sed pacato animo rogatos tantum volo Britannos aequi & veritatis amantes, ut praejudicatis opinionibus tantiſper ſepoſitis, mecum placide in conſilia Burneti inquirant. Agit heic ille contumeliis, non rationibus, adverſus Catholicos, quos veluti *cauponantes verbum Dei* traducit, quaſi Romana Eccleſia opinionem de Beato Sanctorum vita functorum ſtatu unius turpis Lucri cauſſa invexerit, aut amplexa fuerit. At quando palam jam factum eſt, cunctos paene doctrina & ſanctitate praeſtantiſſimos Patrum, vel ipſis primis Eccleſiae Saeculis, non aliud credidiſſe & tradidiſſe, quam quod nunc credit & tradit Eccleſia Romana: quid aliud inde conſequitur, niſi ab impudenti accuſatore iſto una eademque nota atque cenſura damnari primitivam Eccleſiam, immo ignominiam hanc in Patres potius, quam in nos recidere, quando nos non procudimus, ſed ab eis accepimus hoc ipſum Dogma? Quid vero haec audientes Incredduli, quorum contagione heu nimium Britannia laborat, de Religione Chriſtiana dicturi ſint, facile conjicere poſſumus. Si Sanctos viros atque Doctores noſtros in ipſa Eccleſiae adoleſcentia nunc homo Chriſtianus ob lucrum *cauponantes verbum Dei*, atque adulteratores Evangelicae doctrinae exhibet: rideant Impii neceſſe eſt ſanctiſſimam Religionem,

& ipſum deſpectui habeant divinum illius Auctorem, qui non Apoſtolis tantum ſed Eccleſiae univerſae ſe ſemper adfuturum ſpoponderat Matthaei Cap. XXVIII. verſ. 20. inquiens: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem Saeculi:* qui etiam nos juſſerat audire *Eccleſiam Dei vivi*, quae eſt *columna & firmamentum Veritatis*, Prima ad Timoth. III. 15. Nonne ſubſannantes dicere poſſunt Impii: quos ipſos vos pluris facitis priorum Saeculorum Doctores, en infectos habemus eo ipſo errore, falſaque doctrina, quam Burnetus non in Eccleſia tantum, ſed & in ipſa Anglicana ſe deprehendiſſe fatetur? Verum pereant Novatores, qui obcaecati cupiditate gloriae, nova quotidie comminiſcuntur, & vetera bene ſtabilita, quantis poſſunt, viribus concutiunt. Calumniari volens, in promtu ſemper habet ſuſpiciones, quibus egregia quaeque facta & inventa oneret atque denigret. Eadem quoque facilitate poſſet Burnetus, Epiſcopis alibi infeſtus, aut quiſquam e Calvini aſſeclis, carpere Epiſcopatus inſtitutionem, quaſi per ſacrum illud munus aditum ſibi quaeſierint Sacerdotes ad dominationem, ad honores, ad commoda & lucrum. Poſſet etiam Epicuri & Lucretii ſectator eandem affigere quaeſtus cauſſam Religionis ipſius praedicationi, ut alia omittam. *Duas anſas unaquaeque res habet*, ajebat Epictetus: ſcilicet nihil tam bonum, tam rectum eſt, quod carpere non poſſit malignus, quum velit. Sapientis autem eſt, contemtis obtrectatorum naeniis, veras atque intimas rerum cauſſas inveſtigare. In praeſenti vero quaeſtione ſtatim in oculos incurrit ratio, cur ab Apoſtolorum aevo ad noſtra uſque tempora viguerit fides de non retardata Beatitudine Juſtorum, & Poena Improborum: quia videlicet id e ſacris Literis deducitur, & Religionis ſanctiſſimae Inſtitutor tum praemiis poſt certamen abſque mora recipiendis ſolicitare nos voluit ad laborioſum iter Virtutis, tum terrore poenarum imminentium avertere malos a Vitiis. Hanc autem fuiſſe doctrinam a divino Magiſtro Apoſtolis traditam, non vero Burnetanam, invictiſſimo argumento eſt, omnes ferme priorum quinque Saeculorum Patres convenire in ipſam concordes.

At, inquit Burnetus, ex hoc principio manat *tota Religio ac Pompa Romana circa Sanctos*, *de iis canonizandis*, *invocandis*, *& colendis &c.* hoc eſt, ſi illi credimus, magna ſeges *Superſtitionum*. Profecto manat; verum conſectaria haec, atque hoſce ritus nullo quidem labore Burnetus in *Superſtitionum* cenſum referre poteſt, ſed numquam, niſi calumniis, ut fieri ſolet, ac fallaciis utatur, oſtendere id poterit. Non eſt meum in hanc provinciam ingredi. Proſtant

Catho-

Catholicorum Concilia, ac plurium praeſtantium Theologorum communionis Romanae Libri, quibus refelluntur hac in re heterodoxae gentis cavillationes, legitimique praeſtantur Romanae Eccleſiae ritus & Dogmata. In iſtis Conciliis ac Libris rogatos iterum volo Britannos, ut legant, quae ſit Catholicorum mens, germanaque doctrina, atque hujus doctrinae ſolida fundamenta; non vero in ſuorum Libris atque Homiliis, in quibus, liceat dicere, nihil minus curatur quam Veritas, quoties de Romana Eccleſia verba faciunt; & unicum ſtudium eſt odia cumulare in Catholicos, quum tamen omnium Redemtor nihil plus commendet, quam Veritatis amorem, atque erga omnes Caritate certare. Interea Burneto probri & contumeliae loco commemoranti *Pontificiam Theologiam* de Sanctorum Beatitate, invocatione, cultuque minime idololatrico, ut ſuorum phantaſiam adverſus haec Dogmata ad arma excitet, nihil aliud niſi haec pauca repono. Scilicet laetari & gloriari nos, quod hujus doctrinae duces & vades habeamus magnos illos viros, ſcilicet Sanctos Patres priorum quinque Saeculorum, quos probus quiſque in Britannia ipſa veneratur, neque reputat *cauponantes verbum Dei*, eoque minus Idololatriae addictos, tantique criminis hortatores ſuis in Libris. Niſi furens aliquis Haereticus, aut ex Atheiſmo ebrius, neget, quin Sancti illi viri, & ipſi cum Apoſtolo, Secunda ad Corinth. II. 17. dicere potuerint: *Non enim ſumus, ſicut plurimi adulterantes* (ſive ut alii legunt, *ſicut multi cauponantes*) *verbum Dei, ſed ex ſinceritate, ſed ſicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquimur*. Jam longo ſermone evicimus, Sanctos eoſdem Patres fuiſſe Pontificios in dogmate de non procraſtinata Beatitudine Sanctorum. Pontificii quoque fuerunt in doctrina *de Invocatione Sanctorum*. Quod quum dico, gratiae habendae Burneto ſunt, qui non aliunde natum agnoſcit Eccleſiae Catholicae uſum de implorando Sanctorum jam vita functorum patrocinio, quam ex certa perſuaſione, eos jam apud Deum in Caeleſti Gloria verſari, & efficacius, quam quum in terris, poſſe in Caelis orare Deum pro nobis. Haec ſine dubio legitima ritus origo: ſi enim conſtat e ſacris Literis, utiles Animabus noſtris eſſe poſſe orationes Sanctorum viventium in terra; quanto plus ex iis ſperandum eſt, poſtquam in Caelum recepti ſunt, & depoſita Fide ac Spe ante Thronum Dei mirabilem ſervant Caritatem erga fratres adhuc in Mundo luctantes, eorumque preces ac neceſſitates in Deo glorificatore legunt? Atqui Lectorem non pigeat paucula hanc in rem a me accipere.

Circiter Annum Chriſti CCXLVI. *Origenes* Libros ſuos contra Celſum elucubratus eſt. Ibi Lib. VIII. ſunt ejus verba: *Ex eo quod conciliatur nobis ſummus Deus, conſequens eſt, ut & benevoli reddantur omnes illius amici, Angeli, Animae, ac Spiritus. Habent enim ſenſum eorum, qui Dei benevolentia digni ſunt; nec ſolum erga eos, qui digni ſunt, bene ſunt affecti; ſed & omnibus opitulantur, qui ſummum colere Deum cupiunt, quem & propitium reddunt, & cum iis communiter precantur, ac ſimul poſtulant.* De Animabus ſeparatis a Corpore loquitur ibi Origenes, quum eas appellet Ψυχὰς καὶ Πνεύματα: ac propterea illas ad Deum translatas credit. Atque haec jungenda ſunt cum aliis, quae de Origene ſupra Cap. IX. diſſeruimus. Heic autem habes antiquitatem Invocationis Sanctorum. Junge nunc Origeni *Sanctum Cyprianum*, qui Anno Chriſti CCLII. gratulatoriam Epiſtolam (*cognovimus, frater cariſſime*, ſunt prima illius verba) ad ſanctum Cornelium Papam ſcripſit de exſilio pro fide Chriſti ab ipſo Papa ſuſcepto. Quum vero is praevideret, *appropinquare jam certaminis & agonis noſtri diem*, propterea haec addit: *Memores noſtri invicem ſimus, concordes atque unanimes, utrobique pro nobis ſemper oremus; preſſuras & anguſtias mutua caritate revelemus. Et quis iſtinc noſtrum prior divinae dignationis celeritate praeceſſerit, perſeveret apud Dominum noſtra dilectio; pro fratribus & ſororibus noſtris apud miſericordiam Patris non ceſſet oratio.* Ne Burnetus quidem negat, quin Sancti Cypriani inclyti Epiſcopi & Martyris ſententia fuerit eadem, quae nunc eſt, Romanae Eccleſiae de Beatitudine Sanctorum. Id & ego oſtendi ſupra Cap. X. & luculentius conſtabit ex ejus Opuſculo *de Mortalitate*, quod integrum infra dabo. At ex his diſcimus, non aliam doctrinam excogitandam nobis eſſe in Sancto Cornelio, tunc Romanae Eccleſiae Pontifice, quando ipſius apud Deum precibus ſeſe ac fratres commendat Cyprianus, ſi is forte ad ipſum Deum praecedat. Atque ex his intelligas, tunc in Eccleſia Dei exploratum fuiſſe, magnam vim eſſe Sanctorum precibus, poſtquam ex hac vita migraſſent. Reticere autem nequeo heic, quae ad hunc locum adnotavit Joannes Fellus Oxonienſis in Britannia Epiſcopus in ſua editione Cyprianica Anni MDCC. *Minime*, ait, *dubitamus, Animas Caelo receptas precibus Deum optimum maximum ſolicitare, ut in terris agentium miſereatur: ſed non inde conficitur, preces ad Sanctos fundi debere. Deos, qui rogat, ille facit.* Niſi notum foret, quid poſſit in animis hominum praejudicata opinio, & factionis alicujus arrepta a teneris unguiculis profeſſio, miran-

mirandi locus foret, quei exciderit doctiſſimo illi viro ratio haec, cur improbanda ſit Sanctorum Invocatio, quae (ſit verbo venia) ne infante quidem digna videatur Catholicorum auribus. Inquit ille: *Deos, qui rogat, ille facit.* At nos Sanctos in Caelum receptos tantummodo precamur, *ut Deum orent pro nobis*, certi profeſſione Fidei noſtrae, illos non eſſe Deos, ſed Conſervos noſtros, feliciores tamen quam nos, & potentiores; eorumque etiam preces ad beneficia a nobis impetranda validas eſſe, quia offeruntur Deo a Sanctis *per Filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemtor & Salvator eſt*, ut ait Tridentinum Concilium. Ubinam ergo erat Fellus, quum ſcripſit: Si illos rogatis, facitis Deos? Ecquando Amicos ſive Miniſtros Imperatorum & Regum facimus Imperatores & Reges, ſi eorum patrocinium apud rerum Dominos imploramus? Judices appello heic ſapientes inter Britannos; pudet enim diutius in adeo inani oratione refellenda inſiſtere. Alterum ſimilem Cypriani locum ſupra Cap. X. produxi. Succedat demum Sanctus Hieronymus, qui in Epiſtola ad Heliodorum, ſcripta circiter Annum Chriſti CCCLXVI. ad Eremiticam vitam eum adhortans, in haec verba loquitur: *Veniet, veniet poſtea dies, quo victor revertaris in Patriam, quo Hieroſolymam Caeleſtem vir fortis coronatus incedas. Tunc municipatum cum Paulo capies. Tunc & parentibus tuis, ejuſdem Civitatis jus petes. Tunc & pro me rogabis, qui te, ut vinceres, incitavi.* Sunt in hanc rem luculenta alia Baſilii, Nazianzeni, Ambroſii, Cyrilli Hieroſolymitani, Nyſſeni, Auguſtini, Paulini, aliorumque Patrum teſtimonia. Hos duces in Invocatione Sanctorum nos ſequimur. Hos uti legitimos teſtes Evangelicae doctrinae atque Traditionis audimus. Quos heic ſequatur Burnetus, edicat: Manetem, Eunomium, Vigilantium puto, abominanda nomina, nebulones, impios, atque mox, ut erupere, proſcriptos. At adſtabimus omnes ante tribunal Chriſti; & rationem reddent, qui inter cauſſas conficiendi Schiſmatis, horrendi nempe facinoris, adnumerarunt etiam honorem ab Eccleſia Catholica habitum Beatis Dei Servis, non alium profecto, quam qui eis eſt habitus, dum Saecula illa fluerent, quibus vel ipſi Britanni reverentiam minime negant. Tunc palam fiet, an ſatis ii caverint ab occultis molitionibus Superbiae, Philautiae, aliorumque humanorum affectuum, quorum cauſſa, non vero vi certae atque exploratae Veritatis nunc tunica Chriſti conſciſſa eſt, nunquam ſatis deplorando Caritatis & Religionis vulnere.

Quar-

Quartam addo illuſionem Burneti, qui ut perſuadeat, tum ſolum Beatitudinem Animae ſperandam eſſe, quum redivivo Corpori iterum ſociabitur, mirabili iſta argumentatione utitur pag. 86. *Voluptas*, inquit, *& Dolor, quae ſunt ſenſationes primariae & maximi momenti, oriri non poſſunt in Anima, ſine Corpore proprio, ei vitaliter unito; ſunt enim affectus, qui adveniunt Animae propter bonum aut malum, quod accidit Corpori quatenus ſuo. Si baculo percuſſeris proximum parietem, video motum baculi, & audio ſonum ictus aut plagae: ſed me nihil dolet. Si vero eodem baculo, & eadem vi percuſſeris Corpus meum, ſtatim me dolet.* Hercle quum haec audient, vix riſum tenebunt Philoſophicae Scholae tirones. Utique ex unione Corporis multae obveniunt Animis noſtris cauſſae Voluptatis atque Doloris: ac propterea hoſce motus appellare conſuevimus Voluptates Corporeas, ac Dolores Corporis, quorum tamen gratus aut ingratus ſenſus in una fit Anima, non autem in materia ſenſus experte. At nemo neſcit, innumeros alios procreari in Anima noſtra motus Gaudii atque Doloris ſine commotione Corporis. Exſultat Anima in meditatione Dei, aut in inventione Veritatis, in ſolutione ardui Problematis, ſpe vicini, aut conſequutione uberis praemii &c. Dolet metu mali, injuriae recordatione, conſideratione peccatorum, errorumque ſuorum &c. En Voluptates Doloreſque ſpirituales. Fac ergo, ut Anima ſeparata a Corpore ſiſtatur ante Thronum Dei, ſummumque illud Bonum coram intueatur (quod & Angeli faciunt): quis niſi delirando neget, quin gaudio ineffabili perfundi poſſit ac debeat? Mente illic atque intelligentia eſt opus, non corporea Phantaſia. Quod vero ad externa attinet, ſive ad res Mundi hujus, defectum Corporis Creator unus, omnia in ſe comprehendens, ſupplet; qui etiam Lumen Gloriae caris ſuis elargiens, eorum Animas elevat ac roborat, ut ad ſe intuendum aciem mentis attollant. Quanquam & haec ſuperflua ſunt. Dum enim tenemus ſacrarum Literarum ac Traditionis auctoritate aliquod Chriſtianae Fidei dogma, impudentis tantummodo eſt negare ideo illud velle, quod modum quoque & rationem ejus ignoremus, quum illud quidem revelarit, iſtud vero revelare Deus noluerit. Idque potiſſimum de iis dicendum eſt, quae ſpectant ad ſanctorum Gloriam; illam quippe ſupra captum noſtrum eſſe jam Apoſtolus Prima ad Corinthios II. 9. nos monuit notiſſimis iis verbis: *Quae oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum.*

CA-

## CAPUT TRICESIMUM.

*Romanae Eccleſiae Dogma de Sanctis ad Caeleſtem Felicitatem jam deductis, novis ſacrarum Literarum documentis roboratur. Sancti Cypriani Opuſculum* de Mortalitate *in idem Dogma confluit. Quod Sancti, & potiſſimum Apoſtolus Gentium, verbis tradidere, factis complerunt. Operis concluſio.*

TEMPUS autem eſt contrahendi vela, ut, quae reportavimus e navigatione noſtra, tandem colligamus. Jam, ni fallor, abunde perſpeximus, Burnetum ſub ſpecioſo venandae Veritatis ardore, quem omnes vel Impiorum perditiſſimi crepant, ad ſui nominis famam, gloriamque apud Britannos perennem, per novae, ſed exitialis doctrinae apparatum, unice inhiaſſe. Non illum certe humani generis Caritas, non ſacratiſſimae Religionis zelus ad id conſilii adduxit. Nam quoties duae de ſtatu Mortuorum ſententiae comparantur, quarum altera ad finem uſque Saeculorum differt, altera accelerat Juſtorum praemia, Injuſtorum poenas: illa ſine haeſitatione praeferenda dignoſcitur, quae moras tollit. Proinde is, ubi & Religionem, & Rempublicam Chriſtianam revera cordi habuiſſet, ad hanc totis nervis, quantumque fieri poteſt, roborandam, illuſtrandam, ſuadendamque animum ſuum addicturus fuiſſet. At ille, neſcio quo malo Daemone inſtigatus, contrariam plane viam iniit, nihil intentatum relinquens, ut Populo ſuo perſuadeat, nullam hactenus mercedem fuiſſe Juſtis apud Deum, nullam Improbis gravem poenam, nullum in morte hominum Judicium; ſed univerſorum retributionem, fortaſſe poſt complura annorum Millia, ad diem illam reſervari, qua ſolemne omnium Judicium a Chriſto Domino in ejus viſibili Adventu celebrabitur. Quae ſententia in quantam Animarum perniciem vergat, jam palam fecimus, jam nemo non intelligit. Et quum illum inſuper deprehenderimus aperte fucum feciſſe popularibus ſuis, dum cuncta, quae pro ſua opinione militant, ſtudioſiſſime in aciem eduxit; longe vero majora ac robuſtiora praeteriit, quibus perſuadetur, veraque demonſtratur hac de re ſententia Romanae Eccleſiae: quid aliud reſtat, niſi ut abominandi conſilii homo, qui triticum evellere, lolium

lolium vero ſubſtituere in animum induxit, ejuſque peſtilens lucubratio, proborum omnium deteſtatione tandem excipiatur atque damnetur? Hoc autem potiſſimum praeſtare, Catholicorum omnium eſt. Jam ſolida proſtant, inconcuſſaque doctrinae noſtrae monumenta. Fortius quoque eis ſigillum acceſſit, ex quo in Generali Concilio Florentino dogma hujuſmodi decreto Eccleſiae ſtabilitum novimus: Eccleſiae, inquam, contra quam portae Inferi nunquam praevalebunt, & cui ſemper adſuturum ſe Dominus pollicitus fuit *uſque ad conſummationem Saeculi*. Quamobrem hilari conſtantique animo in agone Chriſtiano certemus. Magna propoſita nobis ſunt praemia, neque exſpectanda poſt immanem multorum Saeculorum moram, uti ſomniant, qui immenſae Dei beneficentiae ac magnificentiae detractores ſe prodere noſtris non verentur temporibus. Praeceſſit nos illuc infinita turba Sanctorum atque Juſtorum. Nos quoque par Felicitas manet, ſi pari ardore in via mandatorum Domini curremus, nobis etiam ſingulis praedicente Spiritu Apocalypſ. II. 7. *Vincenti dabo edere de ligno Vitae, quod eſt in Paradiſo Dei mei*. Pollicetur Spiritus Juſtitiae amatoribus non Paradiſum terreſtrem Adami, ſed Caeleſtem, ſed *Paradiſum Dei*, ubi nondum Corporis, ſed profecto Animae deliciae ſunt; ſub quo nomine toties ab antiquis Patribus atque Scriptoribus deſignatum vidimus Regnum Caelorum. Sanctus quoque Gregorius Nyſſenus Oratione II. in Quadraginta Martyres, eorum *ope atque interventu* precatur, ut *corroborati Fideles ad Paradiſum perveniant*. Supra vidimus Cap. XX. nihil aliud eſſe Nyſſeno *Paradiſum*, niſi Regnum Dei. Nihil autem aliud eſt *Regnum, quam Vita Aeterna*, inquit Sanctus Auguſtinus Sermon. 294. olim 14. de Verb. Apoſtoli. Porro *Vita Aeterna* in eo conſiſtit, ut videatur Deus ſicuti eſt, atque efficiamur Angelorum ſimiles; *qui vident faciem Patris, qui in Caelis eſt*, & perpetuo ſimus cum Chriſto, qui Vita noſtra eſt. Nunc per ſpeculum ambulamus & in aenigmate, Deum tantummodo *per Fidem*, abditum oculis noſtris a longe contemplantes. Ingemiſcimus propterea, atque anxie optamus, ut beata illa effulgeat dies, qua ipſum intueri *per Speciem* nobis liceat, hoc eſt mirabili ejus & beatifico adſpectu ac viſione frui detur. At ecquando haec erunt? Fidelem teſtem habemus Apoſtolum Domini Paulum, qui Secunda ad Corinth. V. 6. certos nos fecit, minime exſpectata Reſurrectione Corporis, immo poſt depoſitionem ipſius Corporis, ſi juſte vixerimus, nos futuros *praeſentes ad Dominum*, neque amplius *per Fidem* ambulaturos, ſed *per Speciem* comprehenſuros ſummam illius Felicitatis, ad quam heic cum gemitibus anhelamus.

Alia Scripturarum loca vidimus, quae tam beatam ſortem ſperare nos faciunt, non uti Novatores quidam contendunt, poſt enormem moram Saeculorum complurium, quorum etiam finem ignorant; ſed ſtatim poſt confectum certamen, aut poſtquam heic, aut in altera Vita peccata noſtra expiaverimus. Eadem vero ſpe nunc nos recreat Dominus, quum Joann. XII. 26. ait: *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur: & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus:* illum nempe inducens in Regnum ſuum, ubi Corona Gloriae induet eum, & convivam ſtatuet menſae Caeleſtis cum Abraham & Iſaac & Jacob. Contineri-ne ergo poteſt indignatio contra Burnetum, ejuſve ſimiles, qui extra ſinum Catholicae Eccleſiae nullo amplius fraeno cerebrum ſuum regentes, eo devenere, ut incautae genti non erubeſcant edicere, vel Petrum & Paulum & Stephanum, quanquam tanta fide & conſtantia divino ſuo Magiſtro miniſtrarint, eumque fuerint ſequuti per immenſas tribulationes, ac pro illo tandem vitam generoſe dederint; excluſos adhuc degere ab ejus latere ac praeſentia, atque in ignoto carcere jacere, fruſtra ſuſpirantes praeſentes eſſe ad Dominum? Jam abiere Mille ferme & Septingenti Anni, & adhuc ſuſpirant. Recenſe mihi, ſi potes, quot fortaſſis etiam Annorum Millia reſtant, antequam magna Dies Domini adveniat. Attamen immani hoc terribilique temporis intervallo, ſi ſomniatoribus quibuſdam credimus, exſpectandum, ſuſpirandumque eſt Apoſtolis, & praemii loco poena tam diuturnae, & quaſi infinitae exſpectationis iis toleranda eſt, quae quanta ſit anhelantibus ad conſpectum & ſocietatem Domini ſui, nemo ſatis excogitare poſſit. At bonus & fidelis promiſſor Dominus, dementiae arguit iſtorum cogitationes; & quum diſerte dicat, ſe velle, ut ii, qui ſibi miniſtrant, ſuaque veſtigia ſequuntur, ſint illic, ubi ipſe erit; non carcerem, ſed Regnum, ſed Caeleſtem Gloriam, mox ut emigrent e vita, illos procul dubio ſperare facit. Et Petrum revera in Caelum jam ſublatum credidere Patres, e quibus unum Ambroſium adducam, ita ſcribentem Expoſition. in Lucam Lib. X. num. 92. *unde te evocem, Petre: ut doceas me, quid flens cogitaveris? Unde, inquam, te evocem? De Caelo, ubi jam choro inſertus es Angelorum.* Concors etiam cum Magiſtro Apoſtolus alter, nempe Jacobus Cap. I. 12. Epiſtolae ſuae ait: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam, quum probatus fuerit, accipiet Coronam Vitae, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Si haec in Burnetanam opinionem accommodare velis, Impiorum riſum concitabis

citabis in divinam Scripturam. Nam ſi Corona vitae tum ſolum exſpectanda eſt, quum Judicii ſupremi dies adveniet, Burnetum ſciſcitabuntur, num poſt mille ſaltem Annos illuceſcet haec Dies? Neſcio, reſpondebit ille. Num poſt decem Annorum millia? Reſpondebit, ignoro. Num poſt quadraginta millia? Incertum eſſe reponet. Tum illi: Tu-ne ergo *Beatum* nunc appellas, qui afflictiones hujus Saeculi, qui equuleos ac tormenta graviſſima pro Chriſti amore patientiſſime ſuffert, quod accepturus ſit Coronam poſt adeo immenſum tempus, cujus finem ne tu quidem indicare potes? Si talis eſt Chriſtianorum Beatitudo, nobis ingens calamitas eſſe videtur: & praeſtat *tentationes* hujus vitae ſummo ſtudio declinare, atque heic, quantum licet, nihil pati, multumque delectari, quam certiſſima tolerare mala ob ſpem adeo protractam, ac prorſus incertam. Contra egregie haec verificantur in Romanae Eccleſiae doctrina. Nam ſecundum ipſius humanae naturae leges prudenter toleratur Malum quodlibet praeſens, dum breve ſit, quando certi ſumus, ſubſequuturum Bonum majus, ac diu duraturum, multoque magis ſi Aeternum. Propterea & in adverſis, atque in ipſis tormentis Beatus eſt Chriſti Fidelis, quod haec ipſa Mala paritura ſint ſibi, ſuperatis tentationibus vitae praeſentis, ſtatim, aut brevi, in altera Vita immenſum Bonum ac Praemium, Beatitatem ſcilicet ineffabilem atque aeternam. Neque dicit Jacobus poſt diuturna tempora *Coronam vitae accipiet;* ſed *quum probatus fuerit:* ſcilicet, mox ut conſtans in patientia, atque in fide perſeverans inventus fuerit, accipiet Vitam aeternam. Breve patientiae tempus erit, at Praemio nunquam finis erit. Qua ratione Sanctus quoque Paulus animos Corinthiorum, Secunda ad eos Epiſtola IV. 17. recreabat, inquiens: *Id enim, quod in praeſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtrae, ſupra modum in ſublimitate Aeternum Gloriae pondus operatur in nobis.* Atque haec omnia ſatis innuunt, mercedem reddendam confeſtim poſt certamen confectum, non vero poſt immanem Saeculorum ſeriem. Quod & ipſe Apoſtolus non obſcure tradit in Secunda ad Timoth. IV. 7. dum ait: *Bonum certamen certavi &c. In reliquo repoſita eſt mihi Corona Juſtitiae.* Coronam vero iſtam non Apoſtolis tantum, ſed & reliquis *diligentibus ſe Deus repromiſit*, dummodo in agone perſeverent uſque ad mortem. Tunc enim victoriae praemium accipient, prout etiam pollicitus eſt Deus in Apocalypſeos Cap. II. 10. Epiſcopo Smyrnenſis Eccleſiae, in tribulatione & paupertate poſito, iis verbis: *Eſto fidelis uſque ad mortem: & dabo tibi Coronam vitae.* Itaque poſt

mor-

mortem, poſt finem boni certaminis, ſubſequetur Corona, hoc eſt Beatitudinis Caeleſtis poſſeſſio, non vero Carcer, non Somnus, neque *Inactio*, non demum fatigata atque illuſa immani Saeculorum interſtitio ſpes ac deſiderium.

Mirifice autem confirmatum videas hoc ipſum dogma a divino Apoſtolo Paulo, qui Prima Corinth. IX. 24. ſcribit: *Neſcitis, quod ii, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit Bravium? Sic currite, ut comprehendatis.* Tum addit, certantes publicis in ludis contendere, *ut corruptibilem Coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Nulla dubitatio eſt, quin Chriſtianorum *Bravium*, ſive Praemium victoriae, ſit accedere ad intuendum ſummum Bonum, hoc eſt, beatifico Dei adſpectu frui in Aula Caeleſti. *Quidnam eſt illud Bravium?* inquit heic Sanctus Gregorius Nyſſenus; *quaenam illa Corona? Non videtur mihi aliud eſſe, praeter ipſum Dominum, in quo ſinguli ſperant. Ipſe enim Praeſes eſt certaminis certantibus, & Corona vincentibus &c. Propter perſequutionem, quam pro Deo patimur, ad Caeleſte Bonum compellimur, ac Beati efficimur.* Nos ergo hortatur Apoſtolus, ut curramus, atque apprehendamus ineffabile praemium hoc. *Currite, ut comprehendatis.* Utri, quaeſo, Chriſtianus heic fidem habebit? Paulo-ne Apoſtolo, an Burneto, homini nihili prae illo? Paulus Corinthios ad curſum in ſtadio Chriſtiano ſolicitat, quia mirandum Praemium propoſitum eſt bene currenti: atque uti ſine mora Bravium victoribus conferri conſuevit, quod eiſdem Corinthiis, ceteriſque Graeciae Populis notiſſimum erat; ita exemplo illo uſus Paulus, ad patientiam illos hortatur: nam vitae ſtadio bene abſoluto, prout in publicis ludis fieri ſolet, ſuccedet comprehenſio Coronae incorruptibilis. Burnetus contra quaſi irridere currentes videtur, quandoquidem, ſi illum audimus, ne poſt Mille quidem & Septingentos annos mortalium quiſquam Bravium & Coronam accepit; immo incertiſſimum eſt, quandonam deinceps ſit accepturus. Ludit-ne, an mendax eſt Apoſtolus, quum ait: *Currite, ut comprehendatis?* Sed & ipſe ad Hebraeos IV. 11. poſtquam Caeleſtem Gloriam *Requiem* appellavit, ſtimulos nobis addit, ut ad illam conſequendam properemus. *Feſtinemus ergo*, inquit, *ingredi in illam Requiem.* Praecedenti ſimilem hunc locum vides. Atqui, uti jam ſupra Cap. XV. monui, nobis ſeſe objicit heic Burnetus, atque edicit, feſtinare quidem nos poſſe, at ingredi in *Requiem* illam beatiſſimam non poſſe: quod quanta cum temeritate dicatur, Chriſtianus quiſque facile intelligit. Et profecto non ibi Sanctus Paulus loquitur de Requie

quie in hac lacrymarum valle minime ſperanda; eoque minus de miſera illa atque ignobili Requie, ſive Somno, ad quem tam Juſtorum quam Injuſtorum Animas a Corpore ſeparatas ſomniator Burnetus deducit. Magnum quid ibi Apoſtolus memorat, & ſperare jubet, finem videlicet Proborum, ſive Vitam Aeternam, atque ingreſſum in iſtam procurandum eſſe ait *operibus perfectis*, propterea nos adhortans, ut *ſimus imitatores eorum, qui fide & patientia hereditabunt promiſſiones;* Abraham praecipue ante Hebraeorum Fidelium oculos proponens, qui *longanimiter ferens, adeptus eſt repromiſſionem*. Cum hiſce junge, quae divinus Magiſter de *Servo fideli & prudenti* ait Matth. XXIV. 45. *Beatus ille ſervus, quem, quum venerit Dominus ejus, invenerit ſic facientem. Amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum*. Uti Cap. VI. animadvertimus, ex iſto, aliiſque Evangelii locis jam productis, rite deducitur occultus Adventus Chriſti Judicis ad ſingulorum Fidelium mortem; atque adeo non praeſtolaturos bonos Dei famulos ineffabile Beatitatis praemium in fine Mundi, ſed recepturos ſtatim atque adveniens Dominus illos ad ſe vocaturus, inveniet perſeverantes in fide atque in operibus ſanctis. Inquit enim Dominus, tunc quum ipſe venerit, ſcilicet ad ſuſcipiendam illorum Animam, (quod & de Protomartyre Stephano factum novimus) *Beatos* eſſe incipere. Et cur? Quia *ſuper omnia bona ſua* conſtituentur a Domino in altera Vita, ideſt in Dei Gloriam invehentur, quae omnium bonorum complementum eſt. Si deſidem Servum, de mora Domini ſui ſibi blandientem invenerit, *dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis: illic erit fletus & ſtridor dentium*. Cur nos in remunerando Servo fideli ſegnem Dominum unquam ſuſpicemur?

En ergo Chriſtianae Spei ſolida fundamenta, quae nunquam ſatis deteſtando conſilio Burnetus invadere eſt auſus, in perniciem Animarum noſtrarum, paene dixi, conjuratus. Sed quod efficacius avertere nos heic poteſt ac debet a Novatoris iſtius machinamentis, exemplum eſt Martyrum in primitiva ipſa Eccleſia. Nunquam ſatis repetere juvabit, ſacros illos Reipublicae Chriſtianae pugiles tanta alacritate pugnaſſe pro Chriſti nomine, tantaque conſtantia ad tormenta mortemque ipſam properaſſe, quia exploratum habebant, vitae huic aerumnoſae atque caducae, mox ut ab ea emigrarent, illico ſucceſſuram eſſe alteram in Caelis beatiſſimam apud Dominum. Id veterum documentis innumeris, perſpicuis, confirmatum ſupra a nobis fuit. Immo ceteros quoque Juſtos feliciſſimae hujus ſortis participes

ticipes cenſuit antiquitas: quod egregie in primis teſtatus fuit Sanctus Cyprianus in Opuſculo *de Mortalitate*, hiſce infra adjungendo. Atque heic in primis animadvertat Lector velim, nihil ex iis, quae pro ſua opinione adfert Burnetus, e ſacris Literis depromtum, ignotum fuiſſe celeberrimo illi Eccleſiae Carthaginienſis Antiſtiti, ceteriſque tunc temporis Martyribus. Attamen vide quantis animis, quantaque promtitudine ii in ſupplicia ruerent, quae nobis vel tantum audita ſtuporem, terroremque incutiunt. Non aliunde mirabilis illa animi fortitudo prodiiſſe potuit, quam ex certa fiducia ineffabilis atque aeterni Praemii, a Deo ſtatim conferendi, in cujus comparatione paſſiones hujus temporis pro nihilo, aut ſaltem tanquam aliquid leve ac momentaneum haberentur. Huic nimirum perſuaſioni norant neutiquam adverſari, quae de Reſurrectione Corporum toties in divinis Libris occurrunt. Atque id potiſſimum noverit oportet ſplendidiſſimum Eccleſiae lumen Sanctus Cyprianus, quem ſane nemo hoſpitem in Scripturarum ſcientia appellare audeat, neque negare ejuſdem doctrinae praeconem, quae adhuc in Romana Eccleſia viget. Lege infra illius Opuſculum. Neque alia tunc erat ipſius Romanae Eccleſiae ſententia, uti ſupra Cap. X. animadvertimus: in quam etiam conſenſiſſe vidimus Sanctum Ignatium Martyrem, & monumenta Smyrnenſis, & Viennenſis Eccleſiarum, ut reliqua jam a nobis producta praeteream. Quis ergo non intelligat, ideo tanta conſenſione praeclaros Antiſtites, & tot Martyres, atque Eccleſias in idem dogma conſpiraſſe, quia a Chriſto Domino per Apoſtolos inconcuſſa Traditione doctrina eadem profecta fuerat? Et quid de ejus certitudine dubitandum reſtat, quum vel ipſi Apoſtolici viri, eorumque Diſcipuli, a fonte parum remoti, id, quod nos credimus, non ſcriptis tantum, ſed & cervice pro Chriſto data, ſe firmiter credere profeſſi fuerint? Si Martyres jam accepere repromiſſionem, ſi minime exſpectata Reſurrectione Corporum, jam Beatae ſunt eorum Animae in viſione Dei: jam tenes, fruſtra a Burneto adhiberi, quaecunque de Reſurrectione, ac ſupremo Judicio in ſacris Literis proſtant.

Quanquam, ſi ipſos Apoſtolos conſulamus, eadem lux nobis affulget: immo tanta, ut cunctos Religionis Chriſtianae irriſores, ſi quis judicio locus apud eos reſtat, nedum Burnetum, convincere poſſimus. Unum adeamus Paulum. De legitima ejus Epiſtolarum origine, quarum profunditatem, vim, & eloquentiam ſatis mirari nemo queat, is ſolum dubitet, qui mente omnino captus eſt. Produnt illae hominem tanto Jeſu Chriſti amore ardentem, tam certum de

revela-

revelata ab eo doctrina, ut pro illa tuenda centies carnifici jugulum oblaturus fuiſſet: quod & denique glorioſo Martyrio peregit. Patenti miraculo ad Chriſtum converſus, cum Apoſtolis verſatus, admirandi praeterea ingenii vir, falli non poterat in iis, quae depraedicabat: eoque minus alios voluiſſe fallere credendus eſt. Nam ubi ſtatuas hominem paratum mori pro Chriſto, conſequens eſt, ut alte etiam animo ejus inſideat inconcuſſa Fides in illum, atque erga illum impenſus amor. Nemo praeterea, niſi prorſus mentis impos, tot labores exantlet, tot perſequutiones ferat, lubenſque tandem vitam, omnium pretioſiſſimam, profundat (quod Paulus praeſtitit) in eum duntaxat finem, ut opiniones apud ſe falſas aliis propinet. Ineluctabile iſtud eſt argumentum Veritatis Chriſtianae Religionis. Sed & hinc diſcimus, eundem Apoſtolum perſuaſum habuiſſe, poſt diſſolutionem corporis ſui, nihil eſſe differendam beatam Animae ſuae vitam & gloriam in Caelis. Is omnia contemnebat: is omnia tolerabat, *ut Chriſtum lucrifaceret*, ſemper contendens *ad bravium ſupernae vocationis Dei in Chriſto Jeſu*, Philippenſ. III. 8. & 14. Et quodnam hoc *bravium*, ſive praemium bene in ſtadio currentium? Ad Chriſtum proficiſci, atque ejus praeſentia frui, ac in aeternum cum eo habitare. Chriſtus autem, qua Homo eſt, non ubique eſt, ſed in Caelo eſt, *in dextera dei ſedens*, & conſtitutus a Patre *ad dexteram ſuam in Caeleſtibus*, ut ipſe non uno in loco teſtatur. Haec *ſpes vocationis Dei*, hae *divitiae hereditatis ejus in Sanctis*, quas ſaepe ſibi, & ad Epheſios ſcribens rememorabat, uti eximium ſolamen in tribulationibus, uti acutum dulcemque ſtimulum ad majora etiam tentandum pro Dei gloria, qui *convivificavit nos in Chriſto, & conreſuſcitavit, & conſedere fecit in Caeleſtibus in Chriſto Jeſu*. Tantum vero Praemium, tantam Felicitatem atque Bravium, ad quod comprehendendum Corinthios, ut nuper vidimus, ille properantes cupiebat, quum probe noſſent divinus Apoſtolus conſequi nos non poſſe, dum *peregrinamur a Domino*, ideſt donec terreno hoc carcere detinemur longe a praeſentia Domini: propterea cupiebat *diſſolvi*, & *peregrinari a Corpore*, ideſt deponere carneam hanc maſſam, certus, ſe hinc ſolutum extemplo fore *cum Chriſto*, & *ad praeſentiam Domini* ſe eſſe ſiſtendum. Id nunquam ſatis repeti atque inculcari poteſt, Falli opinione non poterat Paulus, a Deo edoctus, & ſpiritu Dei plenus; ſed quidem miſere fallitur, atque indignatione Chriſtianorum omnium dignus eſt novitatum venator Burnetus, qui incomparabilem Apoſtolum Bravio carentem adhuc exhibet, atque extra

Caelum

Caelum collocat; hoc eſt a loco, ubi revera Chriſtus eſt, arcere non veretur; ipſum contendens ne poſt mille quidem & ſeptingentos annos ad *praeſentiam Domini* tantopere exoptatam, atque certa fiducia ſtatim poſt *reſolutionem ſuam* exſpectatam, fuiſſe deductum, neque deducendum, donec cum Corpore reſurgat.

Utique reſurget Paulus: reſurgemus & nos, quum Chriſtus Judex ad univerſorum Judicium ingenti cum gloria viſibiliter adveniet; & tunc Corpore etiam ad Caeleſtem Gloriam admiſſo, complebitur atque perficietur Juſtorum gaudium ac Beatitas in Caelo, quum videlicet totus homo coronabitur. In obſcuro quidem reſtat, quale quantumque futurum ſit incrementum iſtud Felicitatis in Reſurrectione Juſtorum; idque diſputationi aliorum ſervatum volo. Attamen interim certa ratione tenemus, intermedio hoc tempore eorum Animas, a Corpore ſeparatas, dum nihil eis eluendum ſuperſit, in Caelum, & ad gaudia ſempiterna tranſire, atque Dei Viſione donari, in quo revera ſita eſt Beatitas ac Vita Aeterna. Non ſibi tantum, ſed & omnibus iis, qui diligunt Adventum Domini, Apoſtolus a Deo edoctus repoſitam ait *Coronam juſtitiae*, quam in die Reſolutionis noſtrae nobis, ſi fideles erimus, reddet, juſtus Judex ſimulque miſericors, Dominus. Itaque & nos innutriti *in Spem Vitae Aeternae*, *quam promiſit*, *qui non mentitur*, *Deus*, non Burnetum auſcultemus, hanc Spem in nobis impio conatu paene extinguentem, ſed Paulum hortantem, *ut abundemus in Spe*, *& virtute Spiritus Sancti*. Jam praeceſſit in Caelum Chriſtus Spes noſtra, Chriſtus Vita noſtra: nobis quoque jamdiu manſionem paravit in domo Patris ſui; noſque invitat atque exſpectat, ut & nos intremus, coheredes futuri cum ipſo, *ſi tamen compatimur*, *ut & conglorificemur*. Praeceſſit etiam turba magna Juſtorum, teſte Joanne Apoſtolo, *quam dinumerare nemo poteſt ex omnibus gentibus*, *ſtantes Ante Thronum*, & *in Conſpectu Agni*. Nam quos Deus bonitatis omnis fons *praedeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui*, *hos & vocavit*; *& quos vocavit*, *hos & juſtificavit*: *quos autem juſtificavit*, *illos & Glorificavit*. Deo Remuneratori magnifico injurioſa nimium ſunt Burneti commenta, atque excogitatae a viſionario homine immanes illae morae. Nos contra ſolatur certa ſpe Apoſtolus Chriſti Petrus, dum ſcribit: *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam*. Ingentia quidem pollicitus eſt; at nihil obſtat, quominus ſine cunctatione promiſſa compleat. Quid de tam bono Patre amplius dubitandum? Qui non fruſtra ſpem noſtram, animoſque noſtros ad ſublimia erexit, quum ait: *Gaudete*, *& exſul-*

*exſultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in Caelis.* Quare beatam illam Patriam, inaeſtimabilis gaudii domicilium, intentis avidiſque oculis in hac lacrymarum valle perpetuo contemplemur. Hinc nobis ſolatium dulce in adverſis, hinc nobis ſtimulus jugis, *ut abnegantes impietatem, & ſaecularia deſideria, ſobrie & juſte & pie vivamus in hoc Saeculo, exſpectantes beatam ſpem, & adventum gloriae magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.* Et procul dubio ad mortem noſtram adveniet ſuorum Fidelium amantiſſimus Dominus; & cum gloria, licet oculis carnalibus occulta, veniet (nam ubi Chriſtus, ibi gloria) ſuſcepturus carorum ſuorum Animas, eaſque in caeleſtem ſuum Paradiſum invecturus, ubi nullus dolor, ubi lux & requies & pax perpetua, & ſonus epulantium, & vox perennis laetantium & benedicentium Deo in aeternum, ubi de torrente voluptatis omnes Juſti bibunt, & replentur Bonis domus aeterni Regis.

Equidem laetatus ſum in his, quae dicta ſunt mihi: *In Domum Domini ibimus.* Sed jam veni, amator hominum benigniſſime, Jeſu, atque manum praebe, ut tuto perveniamus. Aperi oculos tuos, & vide, quot hoſtes tum externi tum interni, quot laquei, quot pericula noſtro ad te itineri ſeſe objiciant. Itaque in adjutorium noſtrum feſtina: accelera, ut eruas nos, quia ſine te nihil poſſumus. Tu nos ſperare juſſiſti Regnum tuum, Regnum omnium Seculorum, & repoſita eſt haec ſpes in ſinu noſtro. Adveniat, adveniat Regnum illud tuum. Heic omnia vana, caduca, aerumnis ac tentationibus plena. Tum ſolum quieſcemus, quum habitabimus in monte ſancto tuo, & adimplebis nos laetitia cum Vultu Tuo. Verumtamen timor & tremor veniunt ſuper nos, quoties recogitamus, quam ſaepe declinavimus a mandatis tuis, & ſicut oves errantes in via peccatorum cucurrimus. Nunc itaque, Deus noſter magne ac fortis, apud Patrem tuum, Patrem miſericordiarum, Advocate noſter fidelis, ne ſinas, ut Spes noſtra excidat, quam ſanguis tuus pro nobis effuſus peperit, quam firmat ineffabilis clementia divini Patris tui. Neque enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Convertere igitur de Caelo, Domine, & reſpice nos e domo tua ſancta & glorioſa, quam proſpectamus & nos viva fide, viva ſpe, poſtquam palam profeſſus es, te ad nos deſcendiſſe, non ut Juſtos, qui tui jam ſunt, ſed ut Peccatores, qui ſine intellectu a te receſſerunt, vocares, atque in Regnum tuum induceres. Inveniſti, quos quaeris; inveniſti nos, indefeſſe Paſtor animarum noſtrarum. Ergo trahe nos poſt te, ſero quidem,

ſed

ſed jam tandem ad te converſos, ac ingenti fiducia ſequentes te. Erit Angelis tuis majus gaudium, ſi nos jam a te averſos, iterumque ad paſcua tua te miſerante reductos, in Caelum atque in aeterna tabernacula tua excipient. Exaudi nos, Domine, exaudi. Intret oratio noſtra in conſpectu tuo. Nobis quoque, quanquam rebellibus olim tuis, aditus ſit in Caeleſtem tuam Hieruſalem, in quam jam Sancti tui invecti de multitudine miſerationum tuarum gloriantur, & inebriantur ab ubertate domus tuae, perpetuo clamantes: Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam paraveras timentibus te! Adjuva nos, bone Jeſu, ſalutaris noſter. Cito ad nos veni, omnium Salvator, amantiſſime Jeſu, & ſalvos fac nos in Regnum tuum. Tibi interea cum Patre & vivifico Spiritu ſit gloria, honor, & imperium per infinita Saecula.

*F I N I S.*

# APPENDIX.

## S. CAECILII CYPRIANI

### *OPUSCULUM*

## DE MORTALITATE.

Anno Ch. CCLII. conſcriptum, ad Fidelium ſolatium heic recuſum.

*Ex Editione Amſtelodami, Anni MDCC. cum altera Baluziana conlatum.*

*Inter calamitates ita in primis conſiderandum, quod præſidia ſint.*

ETſi apud plurimos veſtrum, fratres dilectiſſimi, mens ſolida eſt, & fides firma, & anima devota, quae ad praeſentis Mortalitatis copiam non movetur, ſed tamquam petra fortis & ſtabilis turbidos impetus Mundi, & violentos Seculi fluctus frangit potius ipſa, nec frangitur, & tentationibus non vincitur, ſed probatur: tamen quia animadverto in Plebe quoſdam vel imbecillitate animi, vel fidei parvitate, vel dulcedine ſecularis vitae, vel ſexus mollitie, vel, quod majus eſt, veritatis errore, minus ſtare fortiter, nec pectoris ſui divinum atque invictum robur exerere: diſ-

ſimu-

ſimulanda res non fuit nec tacenda, quo minus, quantum noſtra mediocritas poteſt, vigore pleno, & ſermone de Dominica lectione concepto, delicatae mentis ignavia comprimatur; & qui homo Dei & Chriſti eſſe coepit, Deo & Chriſto dignus habeatur. Agnoſcere enim ſe debet, fratres dilectiſſimi, qui Deo militat, qui poſitus in caeleſtibus caſtris, divina jam *ſpirat*, ut ad procellas & turbines Mundi trepidatio nulla ſit in nobis, nulla turbatio, quando haec ventura praedixerit Dominus providae vocis hortatu inſtruens, & docens, & praeparans, atque corroborans Eccleſiae ſuae Populum ad omnem tolerantiam futurorum, bella & fames & terrae motus & peſtilentias per loca ſingula exſurgere praenuntiavit & docuit. Et ne inopinatus nos, & novus rerum infeſtantium metus quateret, magis ac magis in noviſſimis temporibus adverſa crebreſcere ante praemonuit. Fiunt ecce, quae dicta ſunt; & quando fiunt, quae ante praedicta ſunt, ſequentur & quaecumque promiſſa ſunt, Domino ipſo pollicente & dicente: *Quum autem videritis haec omnia fieri, ſcitote quoniam in proximo eſt Regnum Dei.*

Baluz. *ſperat*

Lucae XXI. 31.

Regnum Dei, fratres dilectiſſimi, eſſe coepit in proximo: praemium vitae, & gaudium ſalutis aeternae, & perpetua *laetitia*, & poſſeſſio Paradiſi nuper amiſſa, Mundo tranſeunte, jam veniunt. Jam terrenis Caeleſtia, & magna parvis, & caducis Aeterna ſuccedunt. Quis heic anxietatis & ſollicitudinis locus eſt? quis inter haec trepidus & moeſtus eſt, niſi cui ſpes & fides deeſt? Ejus eſt enim mortem timere, qui ad Chriſtum nolit ire. Ejus eſt ad Chriſtum nolle ire, qui ſe non credat cum Chriſto incipere Regnare. Scriptum eſt enim, *Juſtum fide vivere*. Si juſtus es, & fide vivis, ſi vere in Deum credis, cur non Cum Chriſto Futurus, & de Domini pollicitatione ſecurus, quod Ad Chriſtum Voceris, amplecteris, & quod Diabolo careas, gratularis? Simeon denique ille juſtus, qui vere juſtus fuit, qui fide plena Dei praecepta ſervavit, quum ei divinitus reſponſum ſuiſſet, quod non ante moreretur, quam Chriſtum vidiſſet, & Chriſtus infans in Templum cum Matre veniſſet, agnovit in ſpiritu natum eſſe jam Chriſtum, de quo ſibi fuerat ante praedictum: quo viſo ſcivit, ſe cito eſſe moriturum. Laetus itaque de morte jam proxima, & de vicina

Baluz. *ſecuritas*. *Porro quod Regnum Dei appropinquare oſtendunt.*

Roman. I. 17.

accerſitione ſecurus, accepit in manus puerum, & benedi-
Luc. II. 29. cens Dominum exclamavit, & dixit: *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace; quoniam viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Probans ſcilicet, atque conteſtans, tunc eſſe ſervis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando de iſtis Mundi turbinibus extracti, ſedis & ſecuritatis aeternae portum petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus.

*A morte exſpectanda fida Tranquillitas & perpetua Securitas.*

Illa eſt enim Noſtra Pax, illa Fida Tranquillitas, illa ſtabilis & Firma & Perpetua Securitas. Ceterum quid aliud in Mundo, quam pugna adverſus Diabolum quotidie geritur? quam adverſus jacula ejus & tela conflictationibus aſſiduis dimicatur? Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congreſſio eſt: cum carnalibus vitiis, cum illecebris ſecularibus aſſidua & moleſta luctatio eſt. Obſeſſa mens hominis, & undique Diaboli infeſtatione vallata, vix occurrit ſingulis, vix reſiſtit. Si avaritia proſtrata eſt, exſurgit libido: ſi libido compreſſa eſt, ſuccedit ambitio: ſi ambitio contemta eſt, ira exaſperat, inflat ſuperbia, violentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abſcindit. Cogeris maledicere, quod divina Lex prohibet. Compelleris jurare, quod non licet. Tot perſequutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus urgetur, & delectat heic inter Diaboli gladios diu ſtare, quum magis concupiſcendum ſit & optandum ad Chriſtum, ſubveniente velocius morte, properare, ipſo inſtruente nos &
Joan. XVI. 20. dicente: *Amen amen dico vobis, quoniam vos plorabitis & plangetis, Seculum autem gaudebit. Vos triſtes eritis, ſed triſtitia veſtra in laetitiam veniet.* Quis non triſtitia carere optet? quis non ad laetitiam venire feſtinet? Quando autem in laetitiam veniat noſtra triſtitia, Dominus denuo ipſe de-
Joan. XVI. 22. clarat dicens: *Iterum Videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & Gaudium Veſtrum Nemo Auferet A Vobis.* Quum ergo Chriſtum Videre, Gaudere ſit, nec poſſit eſſe gaudium noſtrum, niſi quum viderimus Chriſtum: quae caecitas animi, quaeve dementia eſt, amare preſſuras & poenas & lacrymas Mundi, & non feſtinare potius ad gaudium, quod numquam poſſit auferri?

Hoc

